7/7/1982

S.1301A


COLLEGIUM
ACADEMIÆ
NATURÆ
CURIOSORUM.
L
NUNQUAM OTIOSUS
EPH RID.m GER MEDICO-PHYSICAR CURIOSORUM
DEC. II. AN. X.
ANIMALIA
MINERALIA
VEGETAB.
ANATOM.
CHYMIA
BOTANICA
GERMANIA
Vienna
Bohemia
Francon
Noriberg
Misnia
Marchia

# MISCELLANEA CURIOSA
*SIVE*
# EPHEMERIDUM
## MEDICO-PHYSICARUM GERMANICARUM ACADEMIÆ IMPERIALIS
# LEOPOLDINÆ
## NATURÆ CURIOSORUM,
*DECURIÆ II.*
# ANNUS DECIMUS,
ANNI M. DC. XCI.

*Continens*

Celeberrimorum Virorum,

*Tùm Medicorum, tùm aliorum Eruditorum in Germaniâ & extra Eam*

**OBSERVATIONES**

MEDICO-PHYSICO-CHYMICO-MATHEMATICAS.

*Cum*

APPENDICE,

*Et Privilegio Sacræ Cæſareæ Majeſtatis.*

---

*NORIMBERGÆ,*

Sumptibus WOLFGANGI MAURITII ENDTERI.

*ANNO M. DC. XCII.*

# DECURIÆ
# ANNORUM SECUNDÆ
# MISCELLANEORUM
# MEDICO-PHYSICORUM
*Sive*
# EPHEMERIDUM
# GERMANICARUM
# ANNUS DECIMUS.

POTENTISSIMO
INVICTISSIMOQUE
IMPERATORI
LEOPOLDO
SEMPER AUGUSTO,
PIO, JUSTO, FELICI;
ROMANORUM,
GERMANORUM,
HUNGARORUM,
BOHEMORUM,
DALMATARUM,
CROATORUM

ET

ET
SLAVORUM
REGI,
AUSTRIÆ SUPREMO DUCI
&c. &c. &c.
PATRI PATRIÆ,
ARTIUM AC SCIENTIARUM
STATORI OPT. MAX.
S.

Tu

TU quoque CÆSAREIS liber excipiende tablinis
Protinus Auguſtum limen adire paras.
Si neſcis, aditus duro cuſtode tenentur:
Stant vigiles horæ, limine quæque ſuo.
Hæ ſubeant orbis, partito munere, curas,
Nec potis eſt ulla parte vacare dies.
Illa Scythas reſpicit: tonſos domat altera Gallos:
Hæc Aſiæ: hæc terris conſulit Heſperiis.
Cogitat hæc Batavos: validis favet illa Britannis:
Vult horam Rhenus, Danubiusque ſuam.
Una eſt, Auguſtos quæ poſſit pandere poſtes,
Cum removet ſacras Pallas amica dapes.
Nam quod per ludum tempus mortalibus ægris
Effluit, egregiis artibus illa dicat.
Hæc Sophien ducit ſecum, cultamque Thaliam,
Quotque habet his ſimiles Græcia docta Deas.
Quas inter noſtris locus eſt quandoq; Camenis,
Naturæ ad tectos cum juvat ire lares.

His animum CÆSAR ſtudiis de mole remittit
Imperii, ad conſtans mox rediturus opus.
Ergo ubi ſecreti patuere, libelle, receſſus,
Sacratis ſupplex oſcula da manibus.
Et quæ bis denos tulimus jam vota per annos,
Neu dubita votis accumulare novis.
Alma LEOPOLDO redeat pax auſpice, preſſis
Præſidium populis, copia dives agris
Dispereant hoſtes: utroque à cardine gentes
Unus inoffenſo fœdere nectat amor.
Auro ſecla fluant: pandat nova litora Tethys,
Et non viſa prius ſidera porro micent.
Excipiet vultu pacatus, & aure benigna
Carmen ut ILLE tuum, ſic tua vota DEUS.

SERENISSIMO

SACRI ROMANI IMPERII

# PRINCIPI,

ARCHIMARESCHALLO ET ELECTORI POTENTISSIMO

# DOMINO

# JOHANNI GEORGIO IV.

# DUCI SAXONIÆ,

JULIACI, CLIVIÆ, MONTIUM, ANGRIÆ ET WESTPHALIÆ,

LANDGRAVIO THURINGIÆ,

MARCHIONI MISNIÆ, ET UTRIUS-
QUE LUSATIÆ,

COMITI PRINCIPALI HENNEBERGÆ,

BURGGRAVIO MAGDEBURGI,

COMITI MARCÆ, RAVENSPERGÆ,
ET BARBY,

DOMINO RAVENSTEINII, &c. &c. &c.

DOMINO NOSTRO CLEMENTISSIMO.

SERE-

*SERENISSIME AC POTENTISSIME*

# PRINCEPS ELECTOR
## DOMINE CLEMENTISSIME,

EPhemeridum curioſarum volumen, quod hoc anno in lucem publicam exponit Academia noſtra, ut inſtitutum ſuum in colligendis atque edendis tum naturalium, tum imprimis medicarum rerum obſervationibus perſequatur, quod eſſe res TUA perſona non indigna videbatur, DOMINE, mittendum ad TE, ornandumq; TUI nominis inſcriptione cenſuimus, futurum, ſperantes, ut librum

quidem ipſum pro TUO ſingulari judicio, officium autem noſtrum pro incredibili humanitate comprobes. Nam cum eum inter ſummos orbis Principes gradum obtineas, in quo Illuſtri ſtemmatis antiquitate & ſplendore, fœderibus, cognationibus, opibus, magnarum rerum, tam pacis, quam belli temporibus, cognitione ac uſu, & omnino muneribus iis, quæ vel natura, vel fortuna tribuit, anteferri prorſus nemo, atque adeo ne conferri quidem fortaſſe poſſit; TUA tamen & animi magnitudine & prudentia, jam conſequutus es, ut quaſi TE à fortuna, licet TIBI unice favente, ſejunxeris, totumque ad virtutem tranſtuleris, in maximo univerſæ Europæ motu animum TUUM conſtituas, æternam luminum cœleſtium conſuetudinem imitatus. Quæ cum aſſidue moveantur, quieſcere tamen in motu videntur: tantum valet ordo ſibi conſtans, certa menſura temperatus, atque iis, quæ repente nonnunquam accidunt, nunquam interruptus. Itaque tantam laudem gloriamque initio ſtatim ſuſcepti regiminis TIBI comparaſti, quantam exemplo jam diu non agnovimus, futuræ autem gentes, cum audient,

dient, mirabuntur. Nec enim tantam virtutem hiſtoriæ prætermittent, TUAMque famam patientur paucorum annorum aut ſeculorum ambitu terminari; eoque magis prædicabitur felicitas populorum, quos Divina providentia imperio TUO ſubjecit, quod omnes in TE Majorum TUORUM virtutes reviviſcere videamus, quibus ſtirps Auguſta Saxoniæ floruit, unde tot fortiſſimi Principes, tot Imperatores fluxerunt, quorum ſemper præclara voluntas fuit, ac ſtudium ſingulare non modo in amplificandis & proferendis ditionum ſuarum terminis, verum etiam imprimis in tuenda republ. & ſapientiæ conſiliis moderanda. Quod cum ita ſit, plane nobis tollitur omnis dubitatio, quin ſis diutiſſime afflictis rebus Germaniæ ſuperſtes futurus ejusque libertatem porro auxiliis atque ope ſalutari vindicaturus ab immanibus hoſtis truculenti vaſtationibus. Atque hoc nos quidem à DEO poſcimus, hoc ſperamus, hoc fore omnino confidimus, ut & TUÆ gloriæ conſulatur, & ſimul ex TUA ingenti prudentia perpetuum fructum capiat communis patria tantum à TE adjuvanda, quantum ad

ejus

ejus immortalitatem ſatis eſſe poſſit. Quod ſi voluntatem noſtram vires adæquarent, eniteremur omni ſtudio, ut ab ingeniis etiam noſtris præconium aliquod TUA virtute, quam intuemur animis, minime indignum exiſteret; nunc id ſatis eſſe debet, ſi oblato in demiſſi cultus ſignum libello in tutelam gratiæ TUÆ recipiatur Academia noſtra. Quæ cum ſe TIBI, ſuo primum judicio commota, TUIS deinde meritis impulſa, prorſus addixerit, eandem porro obſervantiam omni ratione præſtabit; &, ut eam poſteri quoque intelligant, ipſo, ad quem omnia referimus, ſummo DEO opem ferente, ſtudiis ſine dubio noſtris & opera ſedula conſequemur.

SERENISSIMÆ POTENTISSIMÆQ.
CELSITUDINI TUÆ

*humillimis obſequiis devotiſſimi*

ACADEMICI LEOPOLDINI,
ex S. R. I. ordine Naturæ Curioſorum.

CATA-

# CATALOGUS ALPHABETICUS
*Excellentiſſimorum VIRORUM*
## Qui pro Decimo hoc Secundæ Ephemeridum Phyſico-Medicarum Decuriæ Anno, Obſervationes communicarunt.

1. D. SYLV. SAMUEL ANHORNIUS, de Hartwiſs, *Archiater Sangallenſis*, Acad. Cur.
2. ANONYMUS.
3. D. RUDOLPHUS JACOBUS CAMERARIUS, *Acad. Tubingenſis Profeſſor Publ. Hortiq; medici Inſpector*, Acad. Curioſ.
4. D. ELIAS CAMERARIUS, *Phyſicus Tubingenſis extraordinarius*, Acad. Curioſ.
5. D. ANDREAS CLEYERUS, *Illuſtr. Societ. Ind. Orient. Proto-Medicus*, Acad. Cur.
6. D. JOHANNES DOLÆUS, *Potentiſſ. Haſſiæ Principis Conſiliarius & Archiater Primarius*, *Collegii Medici Caſſelani Decanus perpetuus*, Acad. Cur.
7. D. GEORG. TOBIAS DüRRIUS, *Sereniſſ. Elect. Palat. Conſiliarius*, *Phyſicus Auguſt. & Coll. Med. ibid. Vicarius*, Acad. Cur.
8. D. ALARDUS MAURICIUS EGGERDES, *Sereniſſ. Ducis Ord. Teuton. Magni Magiſtri & Principis Coadjutoris Mogunt. Perſonæ Medicus*, Acad. Cur.

9. D. JOH. LAURENTIUS FEHRIUS, *Phyſicus Suinfurtenſis, Acad. Leop. Imper. Nat. Cur. Adjunctus.*

10. D. JOHANN. FRIDERICUS FROMMANNUS, *Medicus Ducalis & Provincialis Saxonicus, nec non Illuſtr. Gymnaſii quod Coburgi eſt, Prof. Publ.*

11. D. JOH. ZACHARIAS FüRST, *Aulæ Trevirenſis Archiater*, Academicus Curioſus.

12. D. GUSTAVUS CASIMIRUS GAHRLIEP, von der Mühlen/ *Sereniſſ. Elect. Brandenb. Archiater*, Academicus Curioſus.

13. Dn. Lic. CHRISTIANUS FRIDERICUS GARMANNUS, *Phyſicus Chemnicenſis*, Academicus Curioſus.

14. D. MARCUS GERBEZIUS, *Practicus Labacenſis*, Academicus Curioſus.

15. D. EBERHARDUS GOCKELIUS, *Archiater Würtembergico-Weiltingenſis, & Phyſicus Ord. Ulmenſis*, Academicus Curioſus.

16. D. ERNESTUS SIGISMUNDUS GRASSIUS, *Phyſicus Javera-Sileſius.*

17. D. JOH. GEORGIUS GRüBELIUS, *Seren. Viduæ Electoralis Saxonicæ quondam Archiater*, Academicus Curioſus.

18. D. MARTINUS JOHANNES HAESBART, *Poliater Weſelenſis*, Academicus Curioſus.

91. D. GEORGIUS HANNÆUS, *Practicus & Prof. Othinienſis in Dania*, Academicus Curioſus.

20. D. PHILIPPUS JACOBUS HARTMANNUS, *Profeſſ. Publ. Regiomontanus*, Academicus Curioſus.

21. D. GEORGIUS HEINTKE, *Phyſic. Ordinarius Windshemii*, Academ. Curioſ.

22. D. JOH. MAURITIUS HOFFMANNUS, *in Academia Altdorffina Profeſſor Publ.* & Academiæ Cæſareo-Leopold. Nat. Curioſor. Adjunctus.

23. D. CHRISTOPH. HORCHIUS, *Phil. & Med.* Acad. Cur.

24. Dn. Lic. JAC. AUGUSTINUS HüNERWOLFFIUS, *Phyſicus Arnſtadienſis*, Academicus Curioſus.

25. D. FRANCISCUS JUSTINI, *Medicus Ferrarienſis.*
26. D. EMANUEL KöNIG, *Medicus Baſileenſis*, Academicus Curioſus.
27. D. THEODORUS CHRISTOPHORUS KRUGIUS, *Conſiliarius & Archiater Electoralis Brandenburgicus*, Ac. Cur.
28. D. JOSEPHUS LANZONUS, *Medicus & Botanices Profeſſor Ferrarienſis*, Academicus Curioſus.
29. D. ADAMUS à LEBENWALDT, *Com. Pal. Cæſar. Inclyt. Ducatus Styriæ Conſiliarius & Medicus*, Acad. Cæſ. Leopold. Nat. Cur. Adjunctus.
30 D. SAMUEL LEDELIUS, *Phyſicus Ducatus Görlicenſis Provincialis*, Academicus Curioſus.
31. D. SIGISMUNDUS LEDELIUS, *JCtus & Advocatus juratus Ducatuum Schvvidnicenſis & Javorenſis*, Academicus Curioſus.
32. Dn. Lic. ROSINUS LENTILIUS, *Phyſicus Nördlingenſis Ordinarius*, Academicus Curioſus.
33. D. JOHANNES CHRISTIANUS MACKIUS, *Sereniſſ. Electoris Saxoniæ Medicus Provincialis & Primarius Schneebergenſis*, Academicus Curioſus.
34. D. JOH. CHRISTIANUS MENTZELIUS, *Sereniſſ. Electoris Brandenburgici Aulæ Medicus*, Academicus Curioſus.
35. D. GEORG. ABRAHAM MERCKLINUS, *Rever. & Seren. Principis Palat. Supr. Teuton. Ordin. Magiſtri Conſiliarius & Medicus, Reipl. Noriberg. Phyſicus Ord.* Academicus Curioſus.
36. D. JOHANNES de MURALTO, *Phyſicus Tigurinus* Ac. Cur.
37. Dn. JOHANNES CONRADUS de MURALTO, *Joh. Fil. Philiater.*
38. D. CAROLUS PATINUS, *Eques D. Marci. Doctor Medicus Pariſienſis, & in Archilyceo Patavino Profeſſor*, Academicus Curioſus.
39. D. CHRISTIANUS FRANCISCUS PAULLINI, *Comes Palatinus Cæſar. Sereniſſ. Ducis Saxon. Iſenacenſis Medicus*, Academicus Curioſus.

 40. D.

40. D. SALOMON REISELIUS, *Conſiliarius & Archiater Ducalis Würtenbergicus*, Academicus Curioſus.
41. D. PETRUS ROMMELIUS, *Phyſicus Ulmenſis.*
42. D. BENJAMIN SCHARFFIUS, *Archiater Sondershuſano-Schvvarzburgicus*, Academicus Curioſus.
43. D. LUCAS SCHRöCKIUS, Luc. Fil. *Sac. Cæſ. Majeſtatis Archiater & Com. Palat. Cæſ. Phyſicus Auguſtanus, Coll. Med. ibid. h. t. Decanus, Acad. Leopoldinæ Imp. Nat. Cur. Ephemeridum Director.*
44. D. JOH. GEORGIUS SOMMERUS, *Archiater Arnſtadio-Svvarzenburgicus.* Academicus Curioſus.
45. D. MICHAEL BERNHARDUS VALENTINI, *Prof. Publ. Gieſenſis*, Acad. Leop. Imp. Nat. Cur. Adjunctus.
46. D. JOH. JACOBUS WAGNERUS, *Phyſicus Tigurinus*, Academicus Curioſus.
47. D. JOHANNES JACOBUS WEPFERUS, *Diverſorum S. R. I. Principum Archiater, Medicus Scaphuſanus*, Academicus Curioſus.
48. D. JOH. PAULUS WURFFBAINIUS, *Phyſic. Norimberg. Ordin.* & Academiæ Cæſar. Leopold. Imp. Naturæ Curioſ. Adjunctus.
49. D. JOSEPHUS M. ZAMPERIUS.
50. D. THEODORUS ZWINGERUS, *Profeſſor Publ. Baſileenſis*, Academicus Curioſus.

# CATALOGUS OBSERVATIONUM

*Dec. II. Anni X. Ephemeridum Nat. Cur.*

## D. THEODORI CHRISTOPHORI KRUGII.


1. De Cultrivoro Halenſi Saxonico. pag. 1
2. De non mutato pulſu & urina in febre intermittente tertiana. 5
3. De Uſu Opii ſingulari. 9


## D. GUSTAVI CASIMIRI GAHRLIEP.


4. Notabilia quædam circa formationem pulli gallinacei. 13
5. De Cryſtallis Salis marini ſingularibus. 20
6. De Annulo aureo ab infante unius anni & quod excurrit, octidui, deglutito, ſeptem ferè hebdomadum ſpatio in viſceribus commorante. 22


## D. SAMUELIS LEDELII.


7. Tympanites lethalis cum ictero flavo tandem nigro, aſthmate, retentione urinæ, lenique delirio, absque ſiti. 24
8. Odor roſarum rubrarum nocivus. 27
9. Carpiones diu viventes. 28
10. Triſtiſſimum Melancholiæ fatum. 30
11. Nauſeoſum à morbis præſervativum. 31
12. Ridicula tertianæ curatio. 32
13. Vomitiones pernitioſæ. 33
14. A Mercurio dulci mors. 34
15. Cum Dyſenteria febris petechialis lethalis. 35
16. De Apoplexia cum Epilepſia. 36

D. SIGISMUNDI LEDELII.

17. De Mercurio vivo arboribus pruniferis indito. 38
18. De Cœcitate à fumo Ligni viridis. ibid.

D. SYLVII SAMUELIS ANHORNII.

19. Ex Plica amiſſa Steatoma. 40

ANONYMUS.

20. Epilepſia ſingularis. 48

D. BENJAMIN SCHARFFII.

21. Anatome calculoſi. 57

D. SALOMONIS REISELII.

22. Frigus & dolor vena ſecta ſublatus. 59
23. Scabiei inunctio Mercurialis lethalis. ibid.
24. A Lapſu levi fractura Cranii rara & lethalis. 60
25. Capitis vulnus cum fractura & fiſſura lethale. 62
26. Bregmatis ſiniſtri ſupra dextrum transpoſitio rariſſima, in fœtu mortuo. 65
27. Hydrops ovarii muliebris. 66
28. Tumor Ventris quaſi gravidi ab omento glanduloſo. 68
29. Avtoma capitis humani loquentis. 69
30. Thermometrum correſpondens. 70
31. Maſſa limaci formis vomitu rejecta. 71
32. Oculi globus ſub inferiori ſolum palpebra latens infantis cœci. ibid.

D. CAROLI PATINI.

33. Monſtrum biceps Maſculinum. 72

D. JOH. CHRISTIANI MENTZELII.

34. De duobus Hydropicis. 74

D. AN-

## D. ANDREÆ CLEYERI.

35. DeOpio Aphrodiſiaco. 77
36. De Arboribus Japonenſium Itabe & Hambu. 78
37. De Arbore Camphorifera Japonenſium Kuſnoky dicta. 79
38. De Plantis Japonenſium Ran & Schoboe. ibid.

## D. JOH. GEORGII GRüBELII.

39. Epilepſia per annulum appenſum curata. 80
40. Fonticulus ſuturam inter coronalem & ſagittalem applicatus, in Cephalæa inveterata fruſtraneus. 83
41. Apoplexia lethalis ex bregmatis hiatus, in ſeptuagenaria majore, coaleſcentia oborta. 84
42. Hydrocephalus pro monſtro habitus. 85
43. Ex temeraria cruſtæ lacteæ cura, totius naſi decidentia. 87
44. Ex halitu hominis vitæ revocatio. 88

## D. RUDOLPHI JACOBI CAMERARII.

45. Ova Mercurialis ſubventanea. 99

## D. GEORGII HEINTKE.

46. Gypſum, cognatum Calci minerale per vomitum rejectum. 92
47. Lumbrici morborum ſymptomatumque gravium cauſæ. 93
48. Suppoſitorium anodynum, dyſenteriæ periculoſiſſimæ remedium. 94

## Dn. Lic. JACOBI AUGUSTINI HüNERWOLFFII.

49. De Sacco abdominis hydropem mentiente. 95
50. De alio inæquali & lethali abdominis dolore. 96
51. De Alvi excretione ſebacea. 97
52. De Plebeis ad dyſenteriam remediis. 98
53. De Strumarum curatione transplantatoria. 99
54. De Orthopnœa in ſene curata. 100

D. ER-

D. ERNESTI SIGISMUNDI GRASSII.


55. Andria Sileſiaca. 101
56. Conceptus prodigioſus. 102
57. Bezoardicum Martiale Reguli parergon. 104
58. Flores Sulphuris ſimplices ſupervacanei. 105
59. Sudor viſcidus & ſalutaris. 106
60. Ecchymoſes notabiles. 107


D. MARCI GERBEZII.


61. Siliginis pluvia. 109
62. Dentis ocularis infauſta extractio. 113
63. Pulſus mira inconſtantia. 115
64. Judicia Dei abyſſus multa. 118


D. ALARDI MAURITII EGGERDES.


65. Sudor ſanguineus Infantis recens nati. 121
66. Nucleus Ceraſi per aſperam arteriam in pulmones delapſus, phthiſin lethalem cauſat. 123
67. Clavus in pulmonem per aſperam arteriam illapſus, poſt novem menſes feliciter rejectus. 124


D. JOHANNIS DOLÆI.


68. Febris continua, vomitus atrabiliarius, alvi fluxus bilioſus, & tandem phthiſis à Diarrhœa, ovis induratis ſuppreſſa. 125
69. Purgantium poſt Diarrhœam nuper ſuppreſſam uſus maximè ſuſpectus. 126
70. Purgantium uſus in alvi fluxu, præſertim infantium, periculoſus. 127
71. Abſceſſus internus abdominis, à purgante disruptus. 128
72. De Mure albiſſimo. 129


D. MARTINI JOH. HAESBART.


73. De Homine adulto, urinam per viam inconſuetam reddente. ibid.

74. Pulſus exploratio extra carpum, & cura hæmorrhagiæ per ſanguinem humanum. 131
75. De Pene imperforato & ano clauſo. 132

D. JOH. LAURENTII FEHRII.

76. De Cancro mammarum exulcerato rarò perfectè curabili. 133

D. GUSTAVI CASIMIRI GAHRLIEP.

77. Lerna morborum. 143
78. Calculus prægrandis è veſicâ fœminæ 56. annorum per dilatationem ſphincteris eductus. 147
79. De Spina gutturi infixa. 149
80. De Opio ſingularia quædam. 151

D. JOH. GEORGII SOMMERI.

81. Effectus terroris in prægnante. 154
82. Morſus Galli venenatus. 155
83. Prægnantium Diæta fœtuum hodegeta. ibid.
84. Uteri hæmorrhagia in recens natis. 156

D. JOSEPHI LANZONI.

85. De Remedio facili ad Quartanam. 157
86. Cephalalgia capitis vulnere curata. 159
87. De Cœcitate ex adſtricta dyſenteria. ibid.
88. De Vomitu & ſingultu ex Venere. 160
89. De Muliere gravida Epileptica. ibid.
90. Mira calculorum excretio. 161
91. De Puero Diabete laborante. 162
92. De Fluxu menſtruo imminuto, hirudinum appoſitione curato. 163
93. De Variolis in Vetula. 165
94. De Remedio Arthritidis prodigioſo. ibid.
95. Fiſtula curata. 166

):():():():(

D. FRANCISCI JUSTINI.

96. Ophthalmia nive curata. 166

D. SALOMONIS REISELII.

97. Cornea multiplex. 167

D. SAMUELIS LEDELII.

98. Varia Scorbuti facies. 175
99. Contagium. 178
100. Epilepſia latens. 179
101. Ulcus annoſum purgatione ſublatum. 182

D. JOH. CHRISTIANI MACKII.

102. Arteriæ venoſæ particula rejecta magnum pulmonis vulnus curatum. 183
103. Poſt Vermem aculeatum Puer, & poſt lumbricos rejectos, alii reviviſcunt. 187
104. Lumbricus in ſe ipſum convolutus ſive conſtrictus excernitur. 190
105. Funduli umbilico impoſiti depaſcuntur & curant. 191
106. Doloroſa & periculoſa deglutitio & degluciti ſanguinolenta excretio. ibid.

D. JOHANNIS de MURALTO.

107. De Ulcere poſt Pleuritidem ſpuriam per urinam criticè evacuato. 192

D. JOH. JACOBI WAGNERI.

108. Solani Melanoceraſi ſeu ſylvatici vis ſoporifera ac deleteria. 197
109. Vis imaginationis ex intuitu inciſionis tumoris. 200
110. Cochlearum uſus inſignis discutiendi ac attenuandi lympham coagulatam circa juncturas articulorum, ac in genere nervoſo. 201

111. Ce-

111. Cephalalgia ſcorbutica intermittens, à glandulis in Cerebro prognatis, ac inde ſubſecuto Hydrope Capitis orta. 202

## DN. JOH. CONRADI MURALTI Joh. filii.

112. Lutræ maſculi Anatome. 204

## D. EMANUELIS KöNIG.

113. Urina non niſi emulgendo per urethram reddita. 207
114. Proceſſus cornuformis digiti longitudine è pollice pedis enaſcens. 208
115. Novæ Radicis exoticæ Hipepocanna dicta, virtus antidyſenterica. 209
116. Calculus ſub lingua exciſus. 210
117. Apoſtema hepatis diarrhœa ſanatum. 211

## D. MICHAELIS BERNHARDI VALENTINI.

118. Mania ab eſu belladonæ pro Myrtillis. 213
119. Vermis latus in Studioſo per intervalla rejectus. 214
120. Infauſtus Spiritus Salis Ammoniaci abuſus. ibid.
121. Pruna Damaſcena ſubventanea. 215
122. Vagitus Uterinus in mure minore. 216

## D. CAROLI PATINI.

123. Hydrops lethalis ex nimio Vini potu, vacuata primùm vi naturæ totâ feroſa colluvie. ibid.

## D. JOSEPHI LANZONI.

124. De Ulcere in Inguine, alvi fæcibus tranſitum concedente, ſanato. 218
125. Mors à narium hæmorrhagia ſuppreſſa. 219
126. Mania ex Amore nimio. ibid.
127. Epilepſia per ſubſequens matrimonium curata. 220
128. Quartana Venere curata. 221

129. Uſus Aquæ Tettucianæ in dyſenteria. 221
130. Dyſenteria ſcabie ſoluta. 222
131. Coma Somnolentum ex nimio pulveris Tabaci uſu. ibid.
132. Pleuritis, Spiritus vini potu curata. 223
133. Uſus Euphraſiæ in oculi caligine. 224
134. De Vulnere Aqua Vitæ curato. 225
135. De Vagitu Uterino. 225
136. De Narium hæmorrhagia ſola aqua ſimplici curata. 226
137. Diarrhœa ſolo plantaginis ſucco curata. 227
138. De Papillis duabus in unica mamma. 228
139. Colica bilioſa uſu aquæ frigidæ curata. ibid.
140. De Uſu Chinæ Chinæ ad fugandos vermes. 229
141. De Veneris ſtimulo ex aſſumto Pharmaco purgante. ibid.
142. Præſervatio à Calculis. 230
143. Abortus ex Teneſmo. ibid.
144. Lac in Infante. 231
145. Dolor Capitis â ſolo odore ſulphuris. ibid.
146. De Remedio ad Tremorem. 232

D. JOSEPHI M. ZAMPERII.

147. Magna hæmorrhagia narium curata. 233

D. GEORGII HANNÆI.

148. Lepuſculus in Alvo Matris petrefactus. 234
149. Uterus Ovis lapideſcens. 235
150. Vomitus ſtercoreus, ſine diuturna præcedente aut ſequente inexorabili obſtructione alvina. 236
151. Aquula curata. 239
152. Inſomnium Mortem accelerans. 240
153. Aurum fulminans ſine igne incenſum. 241

D. ADAMI à LEBENWALDT.

154. Folia Alni Serpentum charactere tincta. 243
155. Mirabilis Diabetes. ibid.

D. PHI-

## D. PHILIPPI JACOBI HARTMANNI.


156. Oſcheo-didymo-hydro-ſarco-cele. 244
157. Abortus & Molæ. 246
158. Pueri fera tuſſi laborantis viſcera. 248
159. [illegible] 249
160. Anatome Nephriticæ & Picrocholæ κάτω. 250
161. Anatome Apoplectici. 254
162. Anatome Monſtri. 258
163. Colon occluſum. 262


## D. EBERHARDI GOCKELII.


164. De Colica convulſiva billioſa pertinaciſſima, peſſima ſymptomatum ſyndrome concomitata. 264
165. Tumor ſiniſtri brachii, circa ulnam ingens & horrendus, ab infelici Venæſectione obortus, lethalem hæmorrhagiam & gangrænam minitans, ex voto curatus. 270
166. Convulſiones Epilepticæ per uſum acidularum & excretionem animalculi curatæ. 273


## D. CHRISTOPHORI HORCHII.


167. Ephemeris tophi, qui ex oſſe carioſo propullulârat, ſectione ablati. 274


## Dn. Lic. ELIÆ CAMERARII.


168. Frigida Maris in fundo temperies, Experimento comprobata. 286
169. Phœnomena quædam ad antliam pneumaticam ſpectantia. 288


## D. JOH. JACOBI WEPFERI.


170. Inteſtini Jejuni laceratio integro abdomine lethalis. 290
171. Inteſtini Ilei ruptura integro Abdomine. 297
172. Inteſtini Laceratio ſine abdominis vulnere. 331

173. Abdominis vulnus penetrans ſine læſione Ventriculi & inteſtinorum. 334

D. JOH. ZACHARIÆ FüRST.

174. Reſpiratio difficilis à Polypo Cordis. 336
175. Reſpiratio difficilis & Urinæ incontinentia, à nimia pinguedine, & diverſis aliis cauſis proveniens. 342
176. Empyema ex Pleuritide, Paracenteſi curato, tandem hydrope mortuo. 344

D. GEORGII TOBIÆ DüRRII.

177. Fœcunditas in Senio. 350
178. Dyſenteriæ periculoſisſimæ ſuperveniens fluxus hepaticus. 352
179. Sudor ſanguineus in Juvene. 354

D. JOH. MAURITII HOFFMANNI.

180. De Partu ſingulari catellorum glabrorum & piloſorum. 355
181. De Procidentia Uteri notha. 356
182. De Vulnere oculi. 357
183. De Salis Lixivi ſive alcaliſati citra acidi aſſociati beneficium eveniente & perdurante cryſtalliſatione. 359
184. De Chryſanthemo foliis matricariæ petalis fiſtuloſis. 360

Dn. Lic. CHRISTIANI FRIDERICI GARMANNI.

185. Rei deglutitæ per umbilicum excretio. 361
186. Non reſiſtere putredini cadavera fulguritorum. 362

Dn. Lic. ROSINI LENTILII.

187. Mirus effectus curæ ſeri lactis. 364

D. GEORGII ABRAHAMI MERKLINI.

188. De Doloroſiſſima Colica ſpaſmodica, ejusque inutili quidem per Mercurium vivum ſalutari verò contra, per balneum aquæ dulcis, curatione. 365

D. CHRI-

## D. CHRISTIANI FRANCISCI PAULLINI.


189. Iſchuria cum tumore corporis verminoſo. 368
190. Hernia Mania curata. 369
191. Sternutatio à Vino Hiſpanico. 370


## D. PETRI ROMMELII.


192. Dyſenteria contumax, uvis recentibus & muſto curata. 370
193. Menſium defectum, Menſtruum alvi profluvium ſupplens. 374
194. Sudor unius tantum lateris. 276
195. Mictionis difficilis, facile remedium. 377
196. Urina actu frigida emiſſa. 378
197. Mutus canens ſeu cantillans. 378
198. Experimenta non ſemper ac ubique ſuccedunt. 379


## D. THEODORI ZWINGERI.


199. Tertiana febris ſpaſmodica. 382
200. Grando Palpebræ Oculi feliciter & promptè discuſſus. 384
201. Puellus ſine cerebro natus ad momentum vivens. 386


## D. JOH. GEORGII SOMMERI.


202. Eryſipelas capitis curatum. 388
203. De uſu ſuturarum Cranii. 389


## D. JOH. CHRISTIANI FROMMANNI.


204. Inflatio inteſtinorum. 390


## D. JOH. PAULI WURFFBAINII.


205. De Maritorum Vomitu, dentiumque dolore loco Conjugum utero gerentium. 410
206. De Folio Lactucæ monſtroſo. 411


D. LU-

D. LUCÆ SCHRöCKII L. f.
207. De Fungulis minimis ſeminiferis. 411
208. De Fixatione Salium Volatilium urinoſorum. 416

# ADDENDA

*Ad Decuriæ hujus II. Anni V. Obſerv. LXXVI.*

Embryi intra uterum mortui & conquaſſati effigies monſtrum præ ſe ferens. pag. 419

*Ad Dec. II. Anni X. & ultimi Obſerv. I.*

De Cultrivoro Halenſi Saxonico. ibid.

## *LECTORIBUS.*

Conſtitutum initio nobis fuerat, exacta jam altera Ephemeridum Leopoldinarum decade, ceſſare tantiſper ab edendis in publicum his collectionibus, & conſumpto tot annorum labore ferias ducere, non eas quidem perpetuas, ſed ſtatas ſaltem ac ſolemnes, operarum deinceps eo alacriorum viciſſitudine brevi definiendas. Verum excuſſit hoc animis propoſitum, Virorum graviſſimorum auctoritas & judicium, hortatuq; & monitis effecit, ut mutaremus omnino fixam alias ratamq; ſententiam. Igitur ne fruſtremur expectationem & vota orbis litterarii, cœptam feliciſſimis auſpiciis telam, nulla interpoſita mora, poſthac pertexendam ſuſcipiemus, tertiam Ephemeridum decadem, DEO clementer annuente conatibus noſtris, mox condituri. Cui inſtituto noſtro, ut porro faveatis, quotquot eſtis naturalium rerum ac medicarum curioſi, rogamus magnopere, & ad conferendas in communem penum ſuaviſſimas ſelectiſſimasq; epulas ſerio invitamus. Sic & ſtudiis ſedulitatiq; noſtræ ſua amplius conſtabit dignitas, & ſapientiſſimi IMPERATORIS, Maximorumq; Principum, quorum nutus jure nobis pro imperio eſſe debent, indulgentia ac propenſio in Academiam noſtram perpetua conſervabitur.

*Rarus honos, Summo ſe Cæſare poſſe tueri;*
*Rarior, à Summo Cæſare poſſe legi.*

EPHE-

# EPHEMERIDUM MEDICO-PHYSICARUM CURIOSARUM

## *DECURIÆ II.*

## ANNI DECIMI

### OBSERVATIO I.

### D. THEODORI CHRISTOPHORI KRUGII, *De* Cultrivoro Halenſi Saxonico.

TErtullianeum iſtud, Certum eſt quia impoſſibile, hucusque in indagandis rerum naturalium phænomenis apud quosdam earum cultores ſanctè magis quàm rectè cultum fuiſſe videtur, unde plurima in Scholas Medicas propullularunt nullo alio quàm cœco nomine apodictica & è contra impoſſibilia illa quæ ex præſuppoſitis falſis non probabilia judicata, quibus id effecêrunt ut, ſicut ingenioſus Helmont loquitur, experimenta negligentes non artem medicam ſed conjecturam incertam ſubterfugiis ſtudentes & humo ſuos errores tegentes conſtituerint; Hinc ex noxio illo axiomate: αὐτὸς ἔφα tot diverſæ ſententiæ, tot inutiles diſquiſitiones de uſu partium, tot nocivæ diſputationes de origine & progreſſu morbi, & de remediorum applicationibus, ita ut ſub formularum tam numeroſo & ſpecioſo titulo & in tanta remediorum farragine nul-

lum ſæpius ſit tam efficax & quod æque id ac Empirici cujuſdam multiplici experimento compertum præſtat, falſis enim præſuppoſitis falſiſſimam ſuperſtruere opinionem quid mirum? Nolo hâc in re, utili licèt & neceſſariâ, jam plura proferre, commodior dabitur in poſterum occaſio, innuo ſaltem jam hoc, quod de cultrivoro noto Pruſſiaco hinc indè variè fertur; plures hactenus iique non indocti Medici hiſtoriam illam vix crediderunt veram, licèt Regiomontani omnibus ad hoc negotium neceſſariis circumſtantiis in Bibliotheca Electorali & per atteſtata Magiſtratûs & Medicorum tum temporis Clariſſimorum publica id comprobaverint. Dominus Doctor Craan, Conſiliarius & Archiater Electoralis Brandenburgicus, Medicus dum viveret magni nominis, impoſſibilem credidit ingreſſum cultri in ſtomachum per œſophagum ob ejus ſtructuram mechanicam, de curâ ut nihil diceret; at præſens hiſtoria aliam opinionem poſtulat, &, quod culter poſſit œſophagum intrare & hærere intra ventriculi parietes, oſtendit; Sat doctè jam hanc rem tractavit Medicus conſum̃atiſſimus Dominus Doctor Albrecht in Ephemeridibus Dec. II. anni octavi, ità ut de veritate illius hiſtoriæ nullum ampliùs reſtet dubium, nec neceſſe adducere alia ejusmodi exempla quæ paſſim apud authores practicos proſtant, de cultrivoro Pragenſi anno 1620. teſte Doctore Jeſſenio: de cultrivoro Baſilienſi & Londinenſi, de quibus vid. Tom. prim. Theophil. Bonett. Medicin. ſeptentrion. l. 3. 1. c. 16, 17, 18. it. c. 19. p. m. 511. aliorumq́ue plurium, quorum apud Olaum Wormium, Foreſtum, Hildanum, &c. fit mentio. Inſtar omnium ſit, quod ipſimet mihi videre licuit cum Halæ Saxonum nuper cum Potentiſſimo Electore Brandenburgico ex Carolinis thermis redux degerem; tum temporis enim hoc in caſu nominatus puer Cultrivorus vultui Clementiſſimo Potentiſſimi noſtri Electoris Brandenburgici ſe ſiſtens, ex munificentiſſimâ Electoris manu num̃os ad curam & ſuſtentationem neceſſarios accipiens, omnibus aulicis reliquisq́; adſtantibus ſitum cultri

devorati



devorati oſtendebat, cura demandabatur Domino Doctori Wiſenero, Phyſico Electorali ibidem & Practico ordinario, ex cujus ut & Pueri cultrivori relatione ſequentia communico. Ruſtici cujusdam filius, nomine Johannes Rudluff 16. annorum, natus in vicinia urbis Halæ Saxonum, tertio currentis anni Januario, circa veſperam colludentibus commilitonibus ſub ſcamno infixum cultrum ſinè apice licèt, corneo manubrio & præter propter delineatâ hîc magnitudine & figurâ, aptato ad hoc in certo ſitu corpore & declinato capite dentibus extrahere voluit, verùm unà cùm ſcamno ad terram decidens ore prehenſum cultrum improvidè gulæ profundiùs commiſit, adegitq́ue in fauces. Commilitones reliqui accurrunt & cultrum quidem ſi ob dentium prominentium ſeriem, & qui unà omnes ſubitò invadebat terrorem, potuiſſent, eximere conantur; ſed cum neque conſilium neque modum ullum alium ſcirent, cultrum iſtum, manuum partim operâ partim cereviſiâ primò frigida mox calida & tandem oleo olivarum fauces humectando, ad ventriculi cavum intruſerunt, quo facto ſtatim miſer cultrivorus lipothymiis corripitur, dirisq́ue vomitionibus, præprimis ſi aliquid cibi aſſumpſerat, tentatur: Parens dicti pueri tantam rem non negligenter agens, auxilium Medici Halenſis ordinarii Dni Doctoris Wiſeneri petit, qui etiam confortantibus medicamentis per aliquot dies propinatis, recenſita ſymptomata non ſolùm mitigavit,

 ſed

ſed & horum medicamentorum repetito uſu factum, ut puer, qui pro meliori cura 13. Januarii die ad urbem delatus, & ob factam motionem vomitu ac lipothymiis de novo infeſtatus, iterùm liberatus fuerit; Egredi tamen è ſtomacho noluit fundi illius calamitas, ſed deglutitus culter tum temporis transverſum ſitum in ſtomacho tenebat, ita ut manubrio ſuo circa latus ſiniſtrum præter propter manus transverſæ diſtantiâ ab umbilico, ibi enim prominentia quædam ad contactum puero moleſtos pariens dolores aderat, vergeret, dextrum autem latus obtuſa cultri acies occupaverat, & ibidem acutum & pungitivum inferebat dolorem, quoties ſedulâ manu ſitus ejus explorabatur atq; ita & Medicus & Chirurgus aliivé complures cultri transverſum ſitum in ſtomacho annotarunt. Interim laudatus Medicus ad dolores compeſcendos oleoſa lenientia & prout vocat, balſamica adhibuit, interdum & acida ab omnibus heterogeneitatibus ſedulâ ejus manu depurata ut illis martem frangeret, propinavit, ad quorum uſum evenit, ut excrementa non ſolùm nigerrima egeſta, ſed & dolores ſopiti, cultrique partes paululum imminutæ fuerint, complicatis enim manibus ſinè ſenſu doloris utraque latera comprimenda puer hactenus obtulit, & idem jam benè comedit & bibit, naturaliter itidem dormit, niſi veſperi largiter & immodicè cœnatus fuerit, tunc enim dolorem gravativum per noctem cum cutis eô in loco ubi manubrium vergebat elevatione, ſicuti ad minimum corporis motum ſub coſtis ſpuriis ſiniſtri lateris punctionem moleſtam ſenſit, ſed & hic ceſſavit jam, dum puer in quiete & otio degit & ab omnibus gravioribus laboribus & ſymptomatibus liber vivit: Noluit idcirco ſæpius laudatus medicus ad exemplum Pruſſiaci cultrivori inciſione, in ſtomachum factâ extirpationem cultri moliri, ſed ſuaſoribus reliquis periculoſum & anceps experimentum diſſuaſit, maluitque hactenus naturæ operam expectare illamque ſupra dictis medicamentis pro optato cum Deo eventu adjuvare. Interim non reticenda Potentiſſimi

Electo-

Electoris Brandenburgici Domini Noſtri Clementiſſimi Munificentia, quâ jam ſecundâ vice Clementiſſimus Elector commotus ut ante aliquot ſeptimanas miſero huic cultrivoro per ſpeciale decretum nummos de quibus viveret neceſſarios perquàm gratiosè conceſſerit.

## OBSERVATIO II.

## D. THEODORI CHRISTOPHORI KRUGII.

*De*

# Non mutato pulſu & urinâ in febre intermittente tertianâ.

IN pulſu & urinâ ſigna eſſe certiſſima febrium, vulgo Medici deponunt, exque his diagnoſin & prognoſin formare ſolent; ſed, quæ credunt, non eſſe vera ſemper hæc ſigna nec temporis nec loci eſt hîc indigitare, nec lubet hîc eſſentiam febrium denominare & in quo, num in turbatione, num fermentatione ſanguinis & humorum, num in obſtructione ſanguinis aut alio ejus ſtatu inordinato, febris conſiſtat? in quacunque ſententiâ invenitur ſcrupulus, & non minor etiam in explicatione illius phænomeni cur nempe ſtatutis horis paroxyſmi febriles uno eodemque modo cum frigore & inſequente calore in intermittentibus, & adhuc ſpecialius, alii quotidie, alii alterna die, alii tridui intervallo redeant? incerta hæc ſi quis ratione certa facere poſtulet, nihilo plus aget, quam ſi det operam, ut cum ratione inſaniat, non enim fel, nec ſplen, nec archeus ſufficiunt ut ſint circumſcripti limites febrium, potius ſunt miſeranda & generi humano perniciosiſſima figmenta; ſat doctè de hac materiâ ſcripta vide in Helmontio, & in celebri tractatu de febribus ab Excellentiſſimo Bontekoe conſcripto & curâ Celeberrimi Domini à Gehema edito. Dico & urgeo ſaltem hoc, veroſimile eſſe non in quâvis febre certam materiam febrilem præſupponere & hinc

neque purgatione, neque vomitoriis, neque clyſteribus, neq; venæſectione nec ſic dictis vulgò diaphoreticis aut diureticis illas ſemper curare neceſſe: illud quod jam Kergerus ſuo tempore in praxi obſervavit, dum ſcribit ſect. 3. cap. 3. Ego ab anno 1649. in hunc diem per integros 14. annos ultra mille febricitantes ſinè venæſectione, ſinè purgatione, ſinè ſudoriferis, ſinè diureticis, ſinè alterantibus, ſinè corroborantibus, ſinè Topicis & ſi quid præterea, unico ferè medicamento præcipitante, Deo inprimis benedicente curavi, non conſiderando an febris ſit intermittens an continua, an tertiana vel quartana, nec expectata coctione, nec habito reſpectu ſexus, ætatis, anni temporis vel aliarum circumſtantiarum, & quidem paucorum dierum ſpatio ſinè recidivâ vel aliquo notabili incommodo. Nolo egomet impetrari aut mihi aut illi omnia aſſentari, ſufficit, ſaltem hîc adduxiſſe verba jam dicta; pro ulteriori autem dictorum inveſtigatione & ad hanc rem veriùs indagandam, communico obſervationem febris tertianæ in viro aulico XL. annorum, quam præterito tempore hujus anni vernali poſt non exquiſitam diætam in itinere, accedente motu animi vehementiore contraxit; patiebatur hic paroxyſmos vehementes, frigus durans per duas horas excipiebat calor intenſiſſimus, per duodecim horas cum deliriis, interdum vomitu, jectigationibus, anxietatibus præcordiorum & ejusmodi pluribus ſymptomatibus ſtipatus & largo ſudore ſe finiens. Vocatus ad curam, ex permiſſu Clementiſſimo Potentiſſimi Electoris, viſito ægrum 4tâ febris acceſſione (fretus enim naturæ robore & ex credulitate neſcio quâ anili, non fore proficuum ſi ante quartum paroxyſmum febris abigatur, hactenus nihil pharmaci aſſumpſit) invenio ægri urinam naturaliter conſtitutam, ſicut & pulſum planè naturalem, ægrum tamen in maximo ardore febrili, & ſine omni ſiti. Committo hanc rem quidem tempori inſequenti, aſt altero die pòſt invenio ægrum benè diſpoſitum in prandio bono cum appetitu, urina erat ſanorum ſimilis, pulſus itidem

bonus

bonus, verbo, toto curſu morbi quem ob incontinentiam ad decem paroxyſmos eosque valde graves protraxerat, nullum me obſervaſſe mutatum pulſum nec mutatam urinam, nec ſitim in maximo febrili æſtu ſanctè aſſerere poſſum; non ſine admiratione vidi hæc, malignitatis quam vulgo Medici in ejusmodi caſibus accuſant non aderant ſigna, extra paroxyſmos enim patiens benè ſe habebat, nec etiam in paroxyſmo quidpiam extraordinarii paſſus. Curata fuit hæc febris unico remedio eoque genuino ſpecifico, liquore meo de china chinæ ritè diſſolvente quodam præparato, absque ullo vomitorio, aut purgante, aut clyſterio, aut venæſectione, aut ſudorifero, aut diuretico, nec poſt febrem urina depoſuit ſedimentum ſed manſit cum pulſu in uno eodemque ſtatu & conſiſtentiâ, usque ad hanc horam, ægro athleticè vivente. Rariſſimus quamquam hic caſus noſter, reperio tamen ante me ab Excellentiſſimo Lipſienſi Profeſſore, Domino Ettmüllero b. m. annotatum & pulſum & urinam quàm maximè fallere in febribus, illum ratione ſpirituum animalium cor moventium, hanc verò ob admixtam urinam potus urinam ſanguinis, plus minus alterantem: Linquo hanc hiſtoriam Doctiorum judicio pro ulteriori indagatione naturæ febrium, & quid de pulſu & urinâ in febribus judicandum? Conſideretur modo illud, quid ſit quod corpus moveat in ſtatu naturali? quod ſeparat urinas? & à quo dependeat pulſus? præprimis, num ſanguis moveat cor & pulſum? num verò pulſus moveat ſanguinem? Conſiderent hoc Neoterici qui volunt audire & non ſunt, modò eſſent veridici, qui attenuationem ſanguinis ceu à volatilibus factam in calore febrili accuſant & ſplendidis & ſpecioſis terminis ſe exponere ſtudent, & exinde pulſum celerem in febribus explicant, imo gloriantur ſibi, quod hoc modo mechanicè rem explicent, das Geblüt iſt gar zu dünne/ es fliehet gleichſam im Leibe; Sed apertis oculis non vident & lethalis eſt ignorantia, ſanguis enim nimis tenuis in calore ſi erit? qualis erit in frigore? cum idem ſit pulſus &

quid

quid ad pulſum ſanguis tenuis facit quæſo? Sic craſſi eorum ſpiritus & tenuis ſanguis erunt ſuarum fabularum condi in perniciem miſeri ægri ejulantis, ſpiritus attenuabuntur & dies abbreviabuntur. Ego ſaltem ratione curæ cum chinâ adduco verba, quæ illuſtris Philoſophus Britannicus in ſuâ Philoſophiâ corpuſculari ſat doctè adducit dum ſcribit; interdum ſpecificum unire poteſt particulas ſuas cum particulis peccantis materiæ (ſunt verba authoris) cumque iis conſtituere neutrum quid, quod facilè proſcribi poterit aut quod non neceſſariò expellendum, quoniam jam novæ indolis ægroq; ipſo momento amicum & curatio hæc plerumque absq; ullo ægri incommodo contingit. Tutum non ſolum ſed & efficax inveni ſemper in febribus medicamentum ex chinâ, & miror plurimos rejicere hoc ſalutare aut magnâ præcautione adhibere aut deridere ſpecificum, ſi ita loqui liceat, quod tamen Medicum ſemper evadit, & ad admirationem modo & tempore genuino adhibitum febres pellit: Propinanda china ante, in, ac poſt paroxyſmum, & non attendere debes ad iſtas admonitiones, ut nempe non niſi purgato corpore & præmiſſis enemate & venæſectione debeat china propinari, & poſtea febre per chinam fugata iterum ſit, aliàs recidiva metuenda, purgandum. Vana erunt illa evacuantia & remedia laxantia & diſcite hoc juniores, nec ſanguinis etiam miſſio alio titulo curat febres quàm quatenus, ut cum Helmontio loquar, de calido vitali furatur, ceu & enemata pudenda medentum ſubſidia nil hoc modo faciunt ad febrium curam. Magis certum tutumque erit contra febres medicamen in dicto cortice Peruviano; ubi non abs re erit ad majorem rei illuſtrationem hic addere, quod quando per chinam legitimè fugata febris, utplurimum & cæteris paribus ſtatim color urinæ febrilis ſummus ruber mutetur in colorem ordinarium absq; ullo ſedimento aliàs ſolito & absque ullâ attentione ad ſigna materiæ, uti Practici loquuntur coctæ.

OBSER-

# OBSERVATIO III.

## D. THEODORI CHRISTOPHORI KRUGII,

*De*

## Uſu opii ſingulari.

IN opio quæſtus nunc eſt uberrimus, non enim ex ſtultis facit inſanos, ſed debilitatis & perditis prodeſt fœminis, ſat candidè jam rem ſingularem explicuit amicus meus, dum in Academiis viveret, charus, & hujus causâ & quod poſtea Collega Academicus curioſus fuerit honorandus, ejus mortem inopinatam & præmaturam doleo, nimirum Dominus Doctor Burg/ Vratislavienſis Practicus celeberrimus, in Ephemeridibus anni octavi Dec. II. de matronâ apud quam opium in partu difficili feliciter exhibitum. Simile ferè quid nuperrimè obſervare licuit in Matronâ Illuſtriſſimâ, quæ poſt dolores graviores colicos ex diæta inordinatâ contractos, tandem abortum paſſa eſt; quo facto, non tamen ceſſarunt dolores acutiſſimi abdominis, ſed potius cruciarunt ægram miſerrimè, ſupervenitq; diarrhœa, ità ut ſedecies per noctem aſellare cogeretur; hiſce acceſſerunt lipothymiæ, externorum frigus, & lochia penitus fuêre ſuppreſſa; Maritus Illuſtriſſimus anxius, noctu horâ duodecimâ ad ædes meas mittit, & petit in hoc deſperato caſu auxilium à me medicum, cum jam Charon nave ſua fœminam chariſſimam expectaret; Ex doloribus abdominis ab irritatione acris materiæ cujusdam omne hoc malum oriri judicans, idcircò ad hos compeſcendos præſcribo pulverem hunc: ℞. antimonii diaphoretic. ℈ß extracti caſtorei, opii mei liquore ſimplici correcti ana gran. II, datur & propinatur in aquâ meliſſæ ſimplici, quo ſumpto, ſtatim non ſolùm dolor atrociſſimus, ſed cum hoc quoq; anxietates præcordiorum & fluxus alvi ceſsârunt, ægra fit quieta, dormit bene cum ſudore, lochia incipiunt fluere, ita ut Mari-

tus ſummo mane ad meas ædes veniret, & gratias pro conſilio redderet maximas, cum illo accedo ægram, quæ quam maximè dictum pulverem cœlitus quaſi miſſum laudabat, circa veſperam, cùm neſcio, quâ occaſione externâ, leniores licet dolores, ſentiret, me inſcio iterum ſumpſit pulverem ſupra dictum eodem cum ſalubri effectu placideque noctem tranſegit, lochia bene fluebant, & cum his multum ſanguinis grumoſi excernebatur, ſub cujus excretione ſemper dolores recurrebant, donec mixturæ hujus præſcriptæ uſu: ℞. aq. cardui bened. meliſſæ āā. ℥iij. acet. vini acerrim. ʒiij. ocul. ♋. ppt. ʒiß. opii correcti gr. ij. ſacch. perlat. ʒß. miſc. D. S. mixtur auf 3. mal; quatuor dierum ſpatio feliciter curata, ità ut octiduo vix adimpleto cum Marito ſuo lares paternos ſalva & incolumis repeteret, jamq; ut audio, iterum uterum gerat, quem illi apprecor feliciorem. De opio igitur, ſi de aliquo veriſſimum profertur, laudatur ab hoc, culpatur ab illo. Hoc autem judicium dependet non ſemper à rei veritate, ſed ex præſuppoſito aliquo falſo principio eorum, qui ſequuntur gregem, antecedentium; ſunt qui opium horrent, nec injuſtè, ſi non cum circumſpectione debitâ & expertâ manu adhibeatur, hoc ſi obſervetur, facilè inter omnia medicamina extollit caput ſalutaris hic ſuccus; nec temerarius & nec tumidus nec etiam timidus ſit Medicus, peccat uterque in perniciem ægri, præprimis in applicatione remediorum generoſiorum, quale opium meretur appellari. Miſeros ſanè medicaſtros ſuis ſemper veſtigiis & præſuppoſitis opinionibus inſiſtentes, hoc nomine tegunt impoſturam, & benè agendi occaſio interim elabitur, neces hominum excuſant, quia ſecundum artem curant, ibiq; opium non niſi præmiſſis præmittendis adhibendum creditur, quoniam illi impoſitos mentiuntur affectus, imò venenum in opio eſſe dicunt; ſed quid mirum? & verbum divinum quibusdam eſt odor mortis ad mortem, ſit, licet & maneat divinus odor vitæ ad vitam: authoritatem religioſi cœpti vide in annexâ ſequenti hi-

ſtoriâ,

ſtoriâ, non ſcelus punio ibi, ſed ignorantiam & terrorem paganismi, ſanè non oporteret populum fortuitorum terroribus negligere, evitabit quilibet tot malorum ſortes, ſi quod medicamentum ex opio proſtat intrepidus ex cautâ manu hauſerit: ſcio repugnaturos iſtos Machaones & intempeſtivis ſcrupulis oneraturos animum jam ſatis morbo debilem; revocet verò quivis æger ſibi ad animum, ejusmodi Medicis ex cruciatibus ægrorum plus boni & commodi evenire (accipe dum dolet) quàm ex legitimo opii uſu, hinc facilè credo illos abominari conatum meum, quo doceo aliam poſſe reperiri ſanitatem, quam quæ vulgò venalis creditur; religiosè itaque ſervandum erit in poſterum ſalutare medicamentum ex opio tanquam indubitatum deficientis naturæ auxilium, ne verè pronuntietur: Serò, ſapiunt Phryges: Jam doctè de opii viribus ſcripsêre authores clariſſimi, præprimis Wedelius Excellentiſſimus, ut & Ettműllerus celebris, variæ quoque proſtant opii correctiones & modi præparandi, inter quos illum extollo, qui aqua fit ſimplici, utpote qui modus optimus, quia certiſſimus; ad majorem dictorum dilucidationem diſcurſum hunc finio ſequenti hiſtoriâ.

Vir aliquando Illuſtris colicis ac nephriticis doloribus cum inflammatione teſticulorum ac totali obſtructione urinæ laboravit, & jam per triduum omnia Medicorum conſilia & auxilia ſinè ullo levamine, plenis licèt cyathis ſecundũ methodum hauſit; Hat alles gebraucht was die Medici nur erſinnen können. Tædet itaque Illuſtrem Virum tandem tot medicaminum fruſtra adhibitorum (utinam non nocuiſſent) urgente malo; ſed ordinariorum Medicorum ope, (hinc inde enim illi, quoniam ibidem locorum Practici Clariſſimi apud vulgus audiebant, alios ægros viſitando ſua ſoſtra quærebant) & conſilio deſtitutus ad me mittit & auxilium petit; accedo amicorum precibus motus, & invenio ægrum maximis in doloribus & anxietatibus, propino idcircò pulverem ex oculis

cancror. ppt. ℥ß arcani duplicati Mynſicht. ℈ß. opii mei liquore ſimplici correcti gr. ij. externè autem cataplaſma ſimplex ex ſtercore caprillo c. floribus ſambuc. & chamomillæ ad ſcrotum imponi jubeo, utitur his tanto cum emolumento, ut ſtatim dolor & cum hoc omnis ad partem affectam affluxus & ſtagnatio humorum ceſſaret, urinæque fluxus remotâ crispaturâ fibrarum & meatuum liberior factus, & ſic dictus Vir Illuſtris altero die poſt noctem quietam ab omnibus ſymptomatibus liberatus, poſtea paucis medicamẽtis intra paucorum dierum ſpatium curatus fuerit. Accedens altero mane Medicus prior, isque ſenior, nil habens, quod objiceret, fortè fortuna audit opium fuiſſe adhibitum, in hæc erupit verba: O mein Herr Geſandter/ eine theure mit dem Opio erkauffte Geſundheit/ ad quæ dictus æger ſubridens referebat; Ich befinde mich aber ſehr wohl/ Herr Doctor, und wolte nicht um viel Geld die ſchon drey Tage gehabte Schmertzen noch leiden; uti & reverà hactenus lautè egit & in bona ſanitate conſtitutus, nuptias poſtea celebravit, & jam aliquot liberorum felix parens audit, quem tunc temporis præſentes duo Medici deſperatum ſub tortura medicaminum relinquebant, illique vitam & cum hâc facultatem ſic dictam ſoboles procreandi prorſus denegabant, mordebant interim, ringebant, & clanculum invidebant ſimplici hoc medicamine recuperatam fuiſſe valetudinem.

OBSER-

## OBSERVATIO IV.

## D. GUSTAVI CASIMIRI GAHRLIEP.

# Notabilia quædam circa formationem pulli gallinacei.

INvaluit apud pleroſque, etiam nonnullos ex Eruditis, vulgi opinio, vitellum potiorem ovi partem eſſe, atque ex eo pulli corpus efformari, quorum ipſe Medicorum Princeps Hippocrates ſuo de naturâ pueri libro, citante Aquapendente in tr. de formatione *pulli* c. 8. p. 15. Primicerius eſt. Hinc illud omnes ferè præ albumine in cibum & ad juſcula præoptant; Imò albumen plurimi, quaſi nutritioni ineptum, quidam etiam, &quidem qui emunctioris videri volunt naſi, ceu ventriculo grave & ſanitati noxium damnant ac ſequeſtratum à vitello eliminant. Verùm falluntur meo ſaltim judicio: Utrumque enim nutritioni æquè aptum, aut albumen magis, quàm vitellum. Hoc quidem facilioris digeſtionis, illud verò ſolidioris nutrimenti & partibus, præcipuè ſpermaticis nutriendis aptum. Qui mecum deprehenderit, Chalazas, ut Aquapendenti placet, aut volente ſic & obſervante Malpighio, cicatriculam illam in medio inter utramq; Chalazam in vitello ſitam, materiam rudimentis membrorum primis ſubpeditare, ac in efformatione ſtaminis quaſi rationem habere, cui albumen reliquum ſucceſſu temporis ſubtegminis inſtar intertexatur, ſicque augmentum & incrementum præbeat, pedibus haud dubiè lubens in eam mecum ibit ſententiam. Obſervavi id primum ac judicavi Francofurti ad Viadrum Anno 1665. cum profeſſioni anatomes juſſu Sereniſſimi Electoris Brandeburgici, FRIDERICI WILHELMI, Glorioſiſſimæ æquè ac Pientiſſimæ memoriæ, illic vacarem, occaſione Gallinæ, quæ ſponte ac clam domeſticis meis, ovis quæ ſucceſſivè pepererat, incubans, potiorem eorum numerum juſto

 tempo-

tempore excluſerat, ac excluſos è latebris in apricum eductura pullos, quinque ſerius parta necdum excluſa ova in nido deſeruerat, quæ ancilla reperiens mihi apportabat. Aperiebam illorum unum urinum aut corruptum ſuſpicatus, minùs cautè, effractâ mediâ ferè teſtâ, hiatu ſatis amplo; ſed ecce! vivus inde elabitur in manum pullus, vitellum adhuc integrum, aut certè vix ſenſibili detrimento imminutum ab umbilico trahens. Miſertus ejus ac facti pœnitens, teſtæ hunc reſiduæ reddo, atque hiatum alterius ab alio pullo in nido relictæ teſtæ portione, quàm poſſum ſollicitè rurſus tego ac ſarcio & uxori eum, ejusque gynecæo, quod tum alebam, ut & reliqua cautius aperta, ſinu inter mammas ad plenam excluſionem fovenda diſtribuo. Idque optimo ſucceſſu, poſtridie enim omnes vivi & vivaces excluſi gallinæ ulterius fovendi & ducendi committebantur, vitelli nullo, imò ne minimo quidem veſtigio uſpiam apparente. Notavi autem in aperto tum & ê teſtâ elabente pullo. 1. Vitellum integrum ferè adhuc, & priſtinâ mole & figurâ conſtans, ut modò innui, vigeſimo circiter ab incubatu die pulli umbilico adhærere, quocum Malpighii obſervatio, die ab incubatu decimâ nonâ facta, conſentit. 2. Per vaſa umbilicalia pullo connecti. 3. Hæc è venularum innumerarum, per tunicam vitelli extimam ſparſarum, congerie, in duos aut tres truncos quaſi inſigniores colligi, atque umbilicum pulli ſubintrando, eidem ſangvinem, dubio procul pro ulteriori nutrimento, advehere. 4. Vitellum placentæ uterinæ vices in pullo geſtæ, atque ſubminiſtrato ſanguine ſubtiliſſimo, in tunica ſua exteriori præparato & collecto, vitæ ac ſpirituum fomento & augmento, ſervire: nec niſi paucis ab excluſione diebus, quâ medullam ſeu contentum interius flavum, minui, poſterioribus autem duobus aut tribus diebus, ubi pullus, jam integram perfectionem aſſecutus, pluſculum nutrimenti efflagitat, copioſiùs per umbilicum rapi, ſicque tandem totum abſumi. 5. Pullum ergo totum ê chalazis, ut Aquapendens, aut

cicatriculâ illâ, ut Malpighius, vult, atque albumine oriundum, efformatum & adauctum, ad ſui integritatem vitelli parum aut omninò nihil, præter ſanguinem per venulas ê tunicâ affluentem hactenus aſciviſſe. Confirmatus ſum hiſce diebus in hâc ipsâ ſententiâ: Glocitantem enim gallinam, ancilla, quæ rei meæ culinariæ hoc meo viduatu curam gerit, cum reperiret ovo ligneo incubantem, illud, quò ab incubatu eam, ob defectum ovorum ſubponendorum, diverteret, abſtulit, ſperans hoc ablato ab incepto illam deſtituram, illa verò ob naturæ inſtinctum propoſiti tenax, duo ova denuò parit, iisque ab octiduo incubat, tandem deſideratur gallina, quæritur atque in nido priori reperitur: ancilla abactâ gallinâ ova illa duo tollit, atque cum obſcura eſſent, putrida ſuſpicatur, aperit, inque utroque pullum omnibus quidem numeris quâ figuram & membra externa abſolutum, mollem tamen adhuc, & mole membrorum diſproportionatum, ſed quod mirandum moventem, ſe jam, & vitalem reperit. Unum itaque illorum mihi affert luſtrandum, in teſtâ, ſuo adhuc inclusum amnio, atque in humore limpidiſſimo fluitantem, ambienti illum circum circa aliquâ albuminis, non ut ante incubatum mucilaginoſi aut viſcoſi, ſed fluidi turbidi parum, & coloris inter album, flavum & rubrum ambigentis, portione, longè tamen minori, quàm ovo integro ante incubatum ineſſe ſolet, pinnulas alarum adhuc moticantem. Quem cum accuratè perluſtrarem deprehendi non minùs, quàm in priori 1. Vitellum adhuc integrum ejusque tunicam è ſuperiori & anteriori parte à duobus quaſi ſtirpibus, ab umbilico pulli pendentibus, ac in illo radicatis (ſepto quodam flavo à ſe invicem diſtincti, (quod vas quoddam ſuſpicor aut ductum, deferendo ſuo tempore vitelli pauxillo ad viſcera interna, pro illorum incremento deſtinatum) ſuſpendi, ab iisque in plures primum ac majores, mox in numeroſiores ac minores, tandem in innumeros & minimos divaricatis, rubore quodam, à prima divaricatione ſaturato infici, qui ſucceſſivè

pro

pro diviſionis venularum augmento ac illam ulteriori attenuatione magis magisque minuebatur, ac colorem flavum vitelli transmittebat, tandemque disparentibus omnino vaſis poſteriorem ac inferiorem vitelli partem nativâ ſuâ flavedine tinctam aſpectui ſiſtebat. 2. Vaſa umbilicalia duorum ferè digitorum transverſorum longitudinem, à pullo ad vitellum, in hoc æquare pullo nondum conſummato, cùm ê diverſo in priori vitellum umbilico ſatis antè cohæreret, hinc temporis ſucceſſu abbreviari atque introrſum fortaſſis contrahi. 3. Vaſa hæc ê duplici ſanguineorum, ac tertio quodam peculiari, flavo vitelli magmate referto, genere conſtare. Quæ tamen vaſa in arterias & venas diſpeſcere, aut à ſe invicem diſtinguere oculorum meorum perſpiciliorum licet adminiculo ſuffultorum hebeſcens jam non concedebat acies: Suſpicor tamen eandem illa in pullis quam in aliis fœtibus, rationem habere. An verò venæ ſanguinem pullo advehant, quem peractâ circulatione & nutritione fœtus arteria ad placentam revehant, quod Regnerus de Graef ſuo de organis mulierum tractatu p. 285. vult, ſicque ex ipſius ſententiâ fœtus placentam & vaſa ſua nutriat, diſquirendi hîc foret occaſio, niſi prolixitas, dum obſervationem non tractatum ſcribo, vitanda eſſet; mihi ſaltim repugnare id è diametro videtur arteriarum & venarum, quod in univerſo corpore gerunt, officio, ſtante nimirum & ſtabilitâ jam ſatis ſuperque ſanguinis circulatione, ubi illæ devehendo ad partes ſanguine nutritio, hæ revehendo à nutritione reſiduo, ſerviunt. Nutritur autem & augetur omni procul dubio placenta perinde ac fœtus ipſe ſanguine materno per arterias hypogaſtricas eundem, illius ut & fœtus nutritioni dicatum, vividum ac ſpirituoſum deferentes, perque ſubſtantiam uteri penetrantes, ac geſtationis tempore in ipſum placentæ parenchyma hiantes, id quod inſignis illa & ſucceſſiva poſt avulſam ac ſeparatam ab uteri tunicâ interiori placentam uterinam, aliquamdiu, & quidem quousque hiantia illa oſcula, contractis penitus & ad priſtinum


num ſtatum reductis uteri tunicis, rurſus conniveant, ſuperſtes hæmorrhagia, quæ lochiorum nomine in puerperis venit, ſatis evincit.) Huc derivato, qui peracto per placentam & vaſa umbilicalia fœtus, arterias nimirum tranſitu, ac in eodem nutritionis officio per venas umbilicales ê fœtu revertitur ad placentam, ac in venas uteri transſudans, circulum ſanguinis materni, reliquæ maſſæ à nutritione partium inferiorum refluæ per hypogaſtricas uteri venas redditus in venæ cavæ propaginibus redintegrat. Cogit me id potiùs ſtatuere, quam novum illud nutritionis per os commentum, nondum ſatis evictum aut ſtabilitum admittere non una ratio: Alia enim humoris in ventriculo ac inteſtinis vitulorum contenti (qui Regnero de Graef potiſſimum pro illa fundamentum, quem tamen in infantibus longe alium eſſe vomitus mox à partu excitati docent, qui magma ut plurimum nigricans, ſummè acidum, eliminant, non, qualis in amnio continetur humorem limpidum aut ſubcruentum) ratio & origo, è glandulis nimirum ſalivalibus humorem ſuum in os deponentibus, dari poteſt, ut ad liquoris circumflui & ad nutritionem planè inepti, in os & inteſtina penetrationem confugere haud ſit opus; Nec reliquæ, quas pro nutritione fœtus per os, vel idem ille de Graef, vel ante & poſt illum Viri aliàs usquequâque docti adduxêre rationes, mihi unquam ſatisfecerunt, multò minus me moverunt ut Regiam illam, quam Natura tot mille annorum continuâ ſerie ſervavit per vaſa umbilicalia fœtum nutriendi viam, ſtante cumprimis ſanguinis circulatione deſerendam, aut cum ore partiundam putarim. Habet omne, meo ſaltim judicio & augmenti & incrementi ſui beneficium, non minus ac efformationis & configurationis, à ſemine utroque concurrente & illâ in actum deducente animâ, à matre fœtus: Id quod Imaginativæ in illum ridiculas quandoque, quandoque & horrendas alterationes, juxtapoſitiones, mutationes ac mutilationes imprimentis vis ſtupenda nimis quam manifeſtè evincit, perinde uti in

pullis, ut ad eam unde digreſſus orbitam revertar, vis imaginativa Gallinæ incubantis colorem & figuram pulli mutare deprehenſa, perſpicuo in pavonibus experimento, qui pullos plumis albis veſtitos ex obtutu continuo parietum alborum & impreſsâ exinde phantaſiæ coloris albi ideâ, excludunt. Nec etiam ovarium illud fœmininum de Graef, ingeniosè licet admodum & affabrè excogitatum, nec vermiculi Dn. van Levvenhoek, ipſi fortaſſis ſoli viſi (cum quosdam, quorum viſum in teſtimonium ſolicitaverat, faſſos eſſe noverim, ſe licet oculorum ſuorum aciem omnibus viribus per microſcopia ejus ipſis exhibita intenderint, nil tale, quale ipſe videre ſe aſſeverârat, vidiſſe) indefinitam apud me etiamnum merentur fidem, quin plurimis adhuc expoſita difficultatibus, reor, ut hoc in tranſitu quaſi moneam. 4. Pulli caput corporis magnitudinem æquare, ſi non ſuperare. 5. Collum hujus potius moli quam corporis proportione reſpondere. 6. Oculos prægrandes nigros cum pupillis è capite protuberare. 7. Oſſa omnia, roſtrum, & ungularum veſtigia mollia, ac vix cartilaginea eſſe. 8. In ſummitate verticis caſſidis criſtandæ inſignis rudimenta prominere (erat enim mater de genere prægrandium exoticarum) 9. Caput in dorſum, qui dormientium gallinarum mos eſt reflexum, ac roſtrum arctiſſimè clauſum cervicem inter & alarum in dorſo interſtitia inſertum adeoque inſtinctum illum naturæ ita quieſcendi jam in & ab ipſo ovo ſe prodere ſimulque nutritionem per os refutare. 10. Corpus totum ſubtiliſſimæ ac transparenti membranæ quam cum de Graef amnium eſſe cenſeo, humore tenuiſſimo, limpidiſſimo, ac fluidiſſimo, ad nutritionem penitus inepto ac nequaquam ſufficienti repletæ ac undique, niſi ubi eam vaſa ſubintrant umbilicalia, exactiſſimè clauſæ, incluſum, omnem per os nutritionem excludere. Ut hæc omnia exactiùs ruminanda Lectorum oculis aliquatenus pateant, Schema ejus à me ad vivum delineatum addidi, cujus notæ ſequentia indicant.

BRITISH MUSEUM NATURAL HISTORY


Embryonis gallinacei Icon.

Fig. 1. pag. 19.




Crystallorum Salis marini. pag. 21.

Ichnographia
Fig. 2.




Scenographia.
Fig. 3.



Annuli deglutiti ſchema. pag. 23.

Fig. 4.



a,a. Ovi teſtam apertam.

b,b. Bullam aut veſicam, ex interiori pelliculâ teſtam ſuccingente, ac illic loci utplurimum ab eâ ſecedente, qualis ſæpenumero in ovis loco ſicco aliquantisper aſſervatis datur, oriundam.

c,c. Partem inferiorem & poſteriorem vitelli venis carentem.

d,d. Partem vitelli anteriorem & ſuperiorem in tres quaſi regiones diſtinctam à venulis innumeris, è vaſis umbilicalibus ortum trahentibus, ſucceſſivè magis ac magis adtenuatis ac colorem ejus pro tenuitate ſua ac numero variantibus, tinctam.

e,e. Interſtitium flavum vaſorum umbilicalium viæ aut ductus rationem habens, ac contentum vitelli ad umbilicum pulli derivans.

f,f. Caput retrorſum reflexum cujus ſinciput cum fronte quaſi bifidum.

g,g. Oculos ingentes, nigros, immenſum protuberantes, cum pupillis, utrinque litera s, s. ſignatis.

h. Roſtri rudimenta cartilaginea molli adumbrata.

i. Protuberantias geminas caſſidi criſtandæ deſtinatas.

k. Collum retortum capiti ingenti potius, quàm corpori exiguo proportionatum.

l. Pectoris veſtigia.

m. Alam dextram cum pinnula, quam ſubinde motitabat.

n. Dorſum.

o. Crus cum pede dextrum.

p. Poſticam corporis partem cum uropygio.

q. Veſiculam tenuiſſimam, transparentem inſtar Cryſtalli, limpidiſſimâ lymphâ plenam, amnii vices gerentem, cui pullus innatabat.

r,r. Vaſorum ſanguineorum congeriem à vitello ad pulli umbilicum tendentem, umbilicalium munere fungentem, ac interſtitium flavum utrinque ſtipantem.

s, s. Pupillam, ex oculis protuberantibus utrinque prominentem, ac ſplendentem.

Fig. I.

## OBSERVATIO V.

## D. GUSTAVI CASIMIRI GAHRLIEP.

*De*

# Cryſtallis Salis marini ſingularibus.

SOlveram Anno, ſi recte memini, 1668. Colbergæ Salis marini Hiſpanici aliquot libras, methodo à Paracelſo lib. archidox. 10. c. 3. 5. tit. Præparatio Salis circulati, præſcriptâ, cumque aliquantisper in digeſtione, ut vult, accuratâ detinueram, ſed, fato ſic volente, variis tum habitationum mutationibus obnoxius, continuare eam debitâ curâ ac ſolicitudine non poteram, hinc poſtea neglectum, ad quadriennium ferè, cùm poſt putrefactionem illam ſatis diuturnam, non parum ſedimenti depoſuiſſet, filtrare ſolutionem ac coagulare demum decrevi, idque igne leniſſimo, eoque non continuo, ſed nonnunquam interpolato exhalando aliquot diebus præſtiti, donec eousque humiditas exhauſta, ut cryſtalliſationi eſſet apta, & ecce! ceſſante noctu igne, manè elegantiſſimæ & plane admirandæ ſtructuræ cryſtallos concoctas reperi, tam affabrè tamq; exactè coagmentatas, ut omnem etiã accuratiſſimi ac oculatiſſimi Mathematici vel Mechanici, normam, circinum, ſtylum, artem & operam eluderent ac multis poſt ſe paraſangis relinquerent. Ingenuè fateor me diu mecum diſceptaſſe, an ejus delineationem tentarem, nec certus me propoſito meo certo certiùs fruſtratum iri, nec ullatenus naturæ in hoc opuſculo plusquam Dedalæam aſſecuturum perfectionem, nec me ſuſpicio fefellit, operam enim fere omnem & oleum perdidi. Quò tamen aliquatenus ſaltim oculis & viſui ſuccurrerem ſicque verborum

rum in exponendâ illius ſtructurâ compendium facerem, impari aggreſſus conatu aliquale ejus Schema, licet admodum imperfectum exprimere malui, quam verbis prolixis non ſatis diſertis aut perſpicuis lectorem fruſtra fatigare; Erat autem figura illarum cryſtallorum Obeliſci ad inſtar ê trabeculis quadratis exactiſſime ad normam quaſi & regulam exaſciatis aut dedolatis, ejusdem craſſitiei, ſed diverſæ, pro graduum numero ac aſcenſu longitudinis, decuſſatim ad angulos ſingulos ſe invicem reſecantibus, coagmentati, reſtantibus in angulis ſingulis cubulis duobus trabecularum craſſitiei exactiſſimè reſpondentibus, ſicq; ad gradus quinque, ſex, ſeptem, octo, &c. aſcendendo, aſſurgentis, prominente in ſummitate ac gradus terminante cubo accuratiſſimo quadrato, ſed, quod notabile, nullis ad angulos cubulis minoribus, ut in reliquis, gradibus, donato, ſicque ſuperna parte faſtigiati, infernâ ad ſummum illum usque cubum concavi. Diverſæ quidem pro graduum magnitudinis, figuræ autem ejusdem planè, niſi vel vitri parietes, vel ſpatium nimis anguſtum una cryſtallo ad alteram nimis propè accedente, naturæ artificium & intentionem præpediviſſet, ſicque unius aut alterius anguli perfectioni obfuiſſet. Communicare autem cum Curioſis hanc deſcriptionem volui, ſi fortè digna cenſeretur, quæ Halurgiæ Celeberrimi Oratoris ac Polyhiſtoris Dñi Kirchmaieri, accederet, & levidenſe illi aliquod adderet auctarium, quâ figuras Salium (quarum diverſæ mihi ſpecies ſunt, ſed huic non æquiparandæ) aut anſam ſuppeditaret, admirandi Naturam poly-Dædalam, aut Authorem ejus ter Glorioſum in ſubjecto hoc è paucis pro dignitate æſtimato, à plurimis contemptim habito, ſtupendo ejusmodi artificio ludentem celebrandi, ſicque in Ejus gloriam dignè contemplantibus ac admirantibus cedere poſſet. Unicum ſummæ hujus operis perfectioni deerat, perennitas, ab aêris enim injuriis cum tutum non eſſet, aliorum inſtar ſalium tandem in liquorem rurſus fatiſcebat.

Fig. II. & III.

## OBSERVATIO VI.
## D. GUSTAVI CASIMIRI GAHRLIEP.
# De annulo aureo, ab infante unius anni & quod excurrit, octidui, deglutito, ſeptem ferè hebdomadum ſpatio in viſceribus commorante.

VAriæ vario ſæpenumerò caſu, varioque eventu, aliena planè corpori humano, ac ventriculo minimè covenientia, deglutita, non ab aliis tantum obſervata, ſed & ab Illuſtris Collegii noſtri membris annotata hinc inde Ephemerides Curioſorum Germaniæ noſtræ continent, ſingula circumſtantiarum ad minimum varietate Lectori ſe commendantia. Haud itaque ingratum aut inconveniens judicavi, domeſticum, quod ante decennium, Anno nimirum 1680, menſe Julii expertus ſum exemplum, Filii nimirum ſuperſtitis unici hîc addam. Huic cum annum ætatis primum cum ſuperpondio octidui complevisſet, ancilla, quæ eum geſtabat, annulum, quem Mater à me pro confirmando, more hîc loci & alibi quoque ſolenni ſub copulâ ſacerdotali, matrimonio receperat Treuring vulgo audit) atque tum manus fortè lotura in armarii ſuperficiem depoſuerat, temporis fallendi ergo porrexit, quem ille eâ non advertente in os atque guttur ingeſſit, ac non ſine inſigni difficultate ac præſentium omnium ſtupore deglutivit, nullo modo aut artificio inde recuperandum Hæſit autem ad quartum usque diem in gutturis principio ſub cartilagine circiter laryngis ſcutiformi. Ubi cùm non moleſtiam ſolùm inſignem, ſed & ſugendi atque lac, utpote quod cum ſonitu ſemper annulum transiret deglutiendi difficultatem pareret, unde vires deficere incipiebant. Cogebar, extremâ urgente neceſſitate, inſtrumento ad id parato, cui ſpongiæ erat alligata particula,

ticula, obſtetricante Chirurgi, aliàs non inepti, manu, illum ad ipſum usque œſophagum deprimere, id quod feliciter quidem, at violenter admodum, erumpente cum eductо rurſus inſtrumento per os & naſum ſanguinis ingenti copiâ, peractum. Hærebat illic quatuor hebdomadas annulus, atque aliqualem infanti in deglutiendo lacte, quod perinde ut ante ſemper cum ſonitu annulum transibat, difficultatem, minorem tamen paulò, quam ante cum in ſuperiori gutturis parte hæreret, creabat moleſtiam, unde patientiùs paulo illam ferebat, ac melius aliquanto quam ante habebat. His elapſis ceſſabat ſonitus ille lactis transeuntis, adeoque argumentum hærentis in gutture annuli, unde in ventriculum delapſum judicabam, ex eoque tempore bellè habebat; Duabus autem ſeptimanis abhinc elapſis ſub initium ſeptimæ hebdomadis denuo triſtior ac moroſior erat infans ac malè rurſus habere incipiebat, unde in inteſtina per pylorum deſcendiſſe arguebam, idque eventus poſtea comprobabat, quatuor enim diebus illo in ſtatu transactis, annulus cum excrementis rejectus, non ſine omni tam auri quam vitri, hyalini coloris, quem Aquamarinũ vulgo vocant, quo incruſtatus erat externe annulus detrimento, in area domus reperiebatur filio interea melius, valente, & in hunc usque diem, per Divinam gratiam ſuperſtite. Addidi & ut magnitudo ac craſſities annuli pateret duplicem delineationem alteram Ichnographicam, alteram Scenographicam.

Fig. IV.

[*Anno 1691. M. Septembri Noribergam miſſa.*]

OBSER-

## OBSERVATIO VII.
## D. SAMUELIS LEDELII.
# Tympanites lethalis cum ictero flavo, tandem nigro, aſthmate, retentione urinæ, lenique delirio, absque ſiti.

HEluo 43. annorum, ſtaturæ mediocris, ſuccoſiq; corporis, cum gilva facie, ſingulis auroris ℔ß. vini aduſti exhauriebat, cereviſiam deinde copioſè ingurgitabat, & paucum cibum admittebat, idq́ue jam per longam temporis intercapedinem continuaverat. Intercurrebant tamen variæ ægritudines, ut tuſſis, anguſtia pectoris, anorexia, ſitis, tertiana intermittens, & ſat frequenter icterus flavus, quas paucis diebus Deo benedicente, ſopivi convenientibus remediis. Semel reſtituto ſemper im̄inens periculum indicabam, & nî hoſce errores diæteticos intermitteret & emendaret, certam & præmaturam mortem præſagiebam. At quamprimum ſe reſtitutum ſentiebat, ex conſvetudine priorem calcabat ſemitam. Interim variis etiam itineribus ſe committebat, profeſſione ejus id exigente. Poſt emenſum aliquando iter, domum ingreſſus pediluvium ſibi applicare jubet, & ſtatim pedes intumeſcere incipiunt cum gemina veſica ſero repleta, quarum una ſe ſiſtebat in calcaneo dextri pedis, altera in ſura ibidem. Accerſitus Chirurgus utramq́ue ferro ſcindit, ſerum evocat, & per aliquot dies emplaſtra applicat absque effectu. Quia autem nigror harum partium animadvertebatur, cum aſthmate, leni delirio, urinæ retentione ſomnoq́ue interrupto, eapropter memet convocant, & interna urgent. Do neceſſaria cum utilitate, ſiquidem delirium cum aſthmate abibat, & urina, poſt uſum ſpiritus juniperi & terebinthinæ, liberius fluebat, ſomno etiam non penitus nos derelinquente: cum Chirurgo externis quoque dexterri-

terrimè proſpiciebamus. Dum omnia exactè luſtro, & quæ amplius neceſſaria, perpendo, obſervo icterum flavum & inflationem abdominis cum obſtructione alvi. Statim itaque clyſtere alvum reſero, & quæ ad icterum pellendum proficua, propino. Habet ab his melius, tumor tamen abdominis creſcit, & inſtar tympani expanſus, tangenti digito renititur, nec deerant maculæ ſcorbuticæ hinc inde diſseminatæ. Per totum decubitum nulla urgebat ſitis, id quod mirabar, concedebam exinde hauſtulum vini medicati, quod expetebat, & cum ſingulari emolumento ſe ſorbere affirmabat. Flavedo corporis & faciei modò ſe ſubducebat, modò apparebat, id quod pro malo reputabam ſigno, ob corruptam jam penitus ſolidorum fluidorumque texturam, & capillarium obſtructionem. Latebat enim in ſanguinis maſſa fermentum, & dum è lecto ſurgens menſæ aſſidebat, color icteri aderat, qui tamen paulò poſt iterum evaneſcebat. Ulcera pedis in eodem ſtatu perſiſtebant, pauciſſimumque ſerum ſtillabant, uſque ad ultimam luctam. Ægrotus ita inter ſpem & metum conſtitutus, plura admittebat remedia, interdum etiam aliqua ſpes meliorationis affulgebat, quæ tamen mox decollavit: tympanites enim quotidiè incrementum ſumebat, dolor gravativus dextri & pungitivus ſiniſtri lateris tacitè ſubrepebat, & flavedo icteri in nigredinem vergebat, cibus nullus ſapiebat, nulla ſitis urgebat, vigiliæ cum inquietudine frequentes, decumbentem fatigabant, vireſq́ debilitatæ deficiebant, mente interim in vigore ſubſiſtente. Prognoſtico dicto & explicato, continuamus curam ad quintam usque ſeptimanam, quia autem, ut moris eſt, ſiniſtra declaratio, ut & tædium longioris curæ, & amor ad vitam, & aſtantium turba, præprimis mulierculárum curioſa & provida ſolicitudo, alia ſuaſerant medicamenta, aliumque Medicum, ideo hicce, putans morbo magno gigantea eſſe contraponenda medicamenta, ſat penetrantia dederat, ita quidem, ut intra paucos dies, reliquiis virium penitus peſſundatis ſanitati æternæ per mortem traderetur

tur clinicus. Felicior fuit in tali cura Excellentiſſimus Dn. D. Dürrius, uti teſtatur Ephemeridum noſtrarum Decuriæ II. Anni 7. Obſervatio 56. me enim deſeruit uſus ibi conſignatæ & demonſtratæ Conſervæ. Parem expertus fuit felicitatem Excell. D. Maichanquez Ephemer. Curioſar. Dec. I. Anni 3. Obſervat. 174. in alia hydropis ſpecie, cum variis ſymptomatibus. An autem hydrops optatius curari queat in virginibus, diſquiſitione dignum eſſet? Videtur ita, præprimis ſi oritur à retentione menſium, id quod & gemina hæcce demonſtrat obſervatio. Addo meum exemplum. Virgo 18. annorum Soræ, ſat robuſta & ruſticana, nondum viderat menſes, interim tumebat corpus cum pedibus, difficilisque eam moleſtabat reſpiratio, cum tuſſi, anorexia, vigiliis & ſiti. Ab incude Academica adhuc fervens dum patriam luſtro Soram, auxilium meum poſcit hæc tumida: do pulverem Cachecticum Quercetani, tincturam Vitrioli martis, Elix. Propr. & alia, evacuo aliquoties pilulis, & melius ſpirat. Interim pedes tumidi incipiunt ſtillare lympham copioſè, & poſt aliquot ſeptimanas, propinatis hydragogis, diureticis, uterinis & confortantibus, bellè convaleſcit, menſibus fluere incipientibus, & adhuc vivit per plures annos pancraticè. Viſcera in hiſce ſubjectis plerumque ſunt ſaniora præ virorum, utpote qui eousq; bibunt & infundunt liquida, usque dum viſceribus corruptis, præcedente Cachexia, ingruit aliqua hydropis ſpecies, quæ morti fores pandit, dum Natura à prægreſſa mala diæta penitus eſt labefactata, nullasque amplius vires reſiſtendi ſuppeditare poteſt. Econtra quando obſtructiones vaſorum in virginibus per medicamenta efficacia, à ſagacioris naris Medico propinata removentur, tunc Natura omni molimine ſuccurrit, & dum antea ob implicitas vias in opere ſuo ſuperflua excernendi fuerat impedita, jam liberior facta, optimè collaborat, & Medici intentioni feliciter inſervit, præprimis ſi obſequentes ægros nactus fueris, & aſtantes accedant morigeri & fidi.

OBSER-

## OBSERVATIO VIII.

## D. SAMUELIS LEDELII.

# Odor roſarum rubrarum nocivus.

GRatum roſarum odorem quis eſt qui non admittit? Dantur tamen in tanta hominum multitudine, tantaque Naturarum diverſitate, quibus ſuaveolentia malè olent, & grata diſplicent. Pluribus roſas fuiſſe odioſas, imò planè exitioſas, novimus ex hiſtoriis Medicis, aliorumque relationibus. Annotavi Grunbergenſem Dec. II. Ann. 2. Obſerv. 140. cui odor roſarum inflamavit oculos: jam ſiſto nobilem Matronam, quæ albarum roſarum odorem non tantum admittit, ſed & capiti easdem imponit, libentiſſimeque naribus admovet, rubras autem omnes ſummoperè averſatur, & ni removeantur, deliquia animi incurrit. Unde ratio ſit eruenda, non tam liquidum videtur: videtur tamen quod ſubtiliores & penetrantiores particulæ inſint roſis rubris, & eapropter nervoſum genus penetrantius feriant quam albæ, utpotè quæ non ita ſunt excoctæ, & aquoſiores continent particulas præ rubris, id quod & color ſaturatior in his innuit. Quid ſi imaginatio matris prægnantis huic huncce characterem impreſſiſſet? Huc enim illud pertinet, & ad hanc cauſam quoque refertur, quod aliqui ob nauſeam à carne abſtinent, & tamen farcimina carnibus repleta libenter comedunt: aut quales mea agnoſcit familia, qui à caſeo nimium quantum abhorrent, placentas tamen caſeo condecoratas & repletas cum delectatione abſumunt.

# OBSERVATIO IX.
## D. SAMUELIS LEDELII.
## Carpiones diu viventes.

PIſces eſſe longævos, jamdudum innotuit, quod & in lupo ſeu lucio obſervatum fuit: de cyprinis tamen puto non tàm quotidianum eſſe, ideo ſubjungam quæ circa hos hîc obſervavi. Aluntur in quibusdam Luſatiæ noſtræ piſcinis Carpiones ducentorum annorum, imò trecentorum, ſi relationi fides, vocantur Geſchlechts Karpen/ & inveniuntur in Dieſe & Ullersdorff. Longitudo illorum duarum ulnarum, latitudo ſemiulnæ & ultra. Olearius Itinerar. Muſcovvitico - Perſic. lib. 4. capit. 15. pag. 412. Carpionis duarum ulnarum etiam meminit, item quod alburni trium ulnarum inveniantur in Perſia. Tempore belli tricennalis milites captum talem carpionem ſecuri trucidarunt, & in aheno coxerunt, de delicato ſibi blandientes ferculo, verùm carnes tantæ duritiei offenderunt, ut veſci nequiverint ſed, famelici licet, abjicere coacti fuerint. Exiſtimo vivacitatem hancce adſcribendam eſſe viſciditati humorum piſcium, quæ non facilè exhalat aut diſſolvitur, ſed lentè, ob lentum humorem, circuitiones ſuas ſubit, & operationes perficit: ideò diu absque ſpirituum diſpendio circulari poteſt, quia fluidum ipſorum minus eſt igneum. Hæc ſi non exſatiant animum tuum, Curioſe Lector, ab eruditioribus eruditiorem & concinniorem expectabis rationem.

### *SCHOLIUM.*

SI relationi huic Exc. Dn. Auctori factæ habenda fides, revera inter rariora Naturæ memorabilia locum inveniet; cui ſimile quid nemo facilè produxerit. Nihil enim eſt hujus reſpectu, quod *Plinius*, tanquam ſingulare quid, *lib. 9. hiſt. nat. cap. 5.* recenſet, ubi de longiſſima piſcium vita agens ex *Senecæ*, piſcem in *Cæſaris* piſcinis poſt ſexageſimum annum exſpi-

exſpiraſſe ſcribit, duobus aliis æqualibus ejus ex eodem genere etiam tunc viventibus. Et *Bohuslaus Balbinus* in *miſcell. hiſt. regni Bohem.* (vid. *Act. Erudit. Lips. A. 1682. menſ. Auguſt.*) piſcinas enumerat, in quibus carpiones annulis aut circulis ære aliquo lucentibus ſecundùm os aut caudam ſignati ultra quadraginta annos adſervati fuêre. In Mari Caſpio inveniri carpiones duarum ulnarum longitudinem excedentes, *Strauſſius* in *ſuo Itinerario cap. 19.* teſtatur; quales inſolitam magnitudinem habentes etiam in vicino fluvio Wolga capi, *ſupra citatus Dn. Adam, Olearius lib. 3. cap. 2.* refert, qui tamen ob carnem duram non adeo grati ſaporis exſiſtant; & talem pinguem, triginta librarum pondere majorem *lib. 4. cap. 9.* memorat. *Rondeletius* (conf. *Conrad. Geſneri hiſt. animal. lib. 4.*) vidit qui trium cubitorum magnitudinem attigerit; atque in lacubus Allobrogum & Italiæ, ut & in Lario admirandæ magnitudinis capi ſcribit. Sic etiam A. 1623. carpionem Baſileæ venditum fuiſſe, ex aliis adducit noſter Exc. *D. Joh. Jac. Wagnerus hiſt. natur. Helvet. cur pag. 213.* duarum ulnarum longitudinis & duodecim librarum ponderis; & *Joh. Wittichius* in *Halilog.* magnos in magnis lacubus, Weiſensee, Schvvansee &c. dari carpiones prodit, ſæpe duodecim, tredecim, aut plurium librarum pondus æquantes, qui recentes non adeo benè cibo inſerviant, in aceto tamen & ſale cocti diutius conſervari queant, & eſui aptiores fiant. Vivacitatem hanc viſciditati humorum vitalium non malè cum Dn. Auctore adſcribemus, quæ in carpionibus gelatinam copioſam fundentibus ſatis adparet; in qua cum plurimæ particulæ ſalinæ volatiles deliteſcant, viſciditas illa à maturiori corruptione & morte, harum connubio intimiore, ſeſe vindicare valet. Quamvis enim in Cl. *Thom. Williſii tractatu de anim. brut. part. 1. cap. 3.* piſcibus ſal volatile in totum denegetur, illud tamen Celebr. *D. Ol. Borrichius Vol. 2. Act. medd. Hafn. Barthol. obs. 67.* certis experimentis ſuffultus, ſatis demonſtravit.

[*L. Schröck, L. F.*]

## OBSERVATIO X.
## D. SAMUELIS LEDELII.
# Triſtiſſimum Melancholicæ fatum.

SI ulla cura Medico ſudorem elicit, certè eſt Melancholia, quique pluribus à conſilio fuit, id mecum affirmabit. Quanta non mali diuturnitas! quanta non ægrotorum obſtinatio in medicinando! quanta non deſperatio in verbis, conſiliis, actionibus! id quod haud raro deſperatus claudit exitus. Fæminam Melancholicam 33. annorum Grünebergæ curabam per Dei gratiam variis medicamentis, in & externis. Ortum habebat malum ab imminuto fluxu menſium, quem à primis pubertatis annis ſenſerat hucusque. Reſtituta ita per plures menſes poſt diſceſſum meum, à paroxyſmo immunis vixit, deinde antiquum malum paulatim recruduit, ubi neſcio cujus conſilio uſa, parùm juvaminis vidit, morbo indies atrocius furente, & vires acquirente. Aliquando ſola in hypocauſto relicta filiolum quinquennem ſat lepidum apprehendit, & cultro caput à cervicibus abſcindit, nec pedem loco movet, ſed quaſi re benè geſta, adventum mariti & inquilinorum expectat. Hi advenientes ſumma animi conſternatione corpus capite orbum adſpiciunt, & lachrymis profuſiſſimis excipiunt, ipſa nec muſſitante. Cùm autem Magiſtratus, homicidio percepto, ipſam in vincula conjicere juſſiſſet, nullum, nec metus, nec gaudii, nec triſtitiæ ſignum dedit, neq; verbum dixit, ſed collum tantum tetigit, & caput ipſi etiam eſſe amputandũ monſtravit. Re ad prudentiores delata, Actio hæc per plures ſeptimanas pro & contra fuit ventilata, delinquens autem ne ullum verbum in carcere protulit, ſed cogitabunda & meditabunda ſedit, pauciſſimo cibo & potu contenta. Dum per longam temporis moram ita incarcerata detinetur, lictor in loco quo ſedit, catenis affixa, cum ſecuri aliquid diſcindit, & aliis intentus, re-

lícta

licta ſecuri diſcedit, inque domo reliqua negotia expedit. Hæc anſam hanc videns, inſtinctu diaboli arrepta ſecuri caput, ut poteſt, ſcamno applicat & ſecurim magna violentia collo intrudit, & ita ſibi mortem conſciſcit. En triſtiſſimum Melancholiæ effectum! Erat fœmina bonæ famæ, laudabilis modeſtiæ, pietatis candidæ, ea propter & omnibus bonis ſum̃am compaſſionem excitavit. In gemino Melancholico, quem hoc Anno curavi, quæ medicamenta proficua ſenſerim, liberè indicabo. Fuit Tinctura Martis, Tinctura Vitrioli Martis, Spiritus aperitivus Penoti, Tinctur. Lapidis Lazuli, Spiritus Sal. Armoniaci lavendulatus, interdũ ſuccinatus, Elix. Propr. Paracelſ. cum Spirit. Cochlear. Pilul. Tartar. Quercetani cum Mercurio dulci, Venæſectiones cum applicatione hirudinum, omnia tamen convenienti tempore fuerunt adhibita.

## OBSERVATIO XI.

## D. SAMUELIS LEDELII.

# Nauſeoſum à morbis præſervativum.

FAber lignarius Grunbergæ quotannis Majali tempore ſcarabæos majales, die Mayen- oder Kornkäfer / ſo auf den blühenden und grünenden Baumen ſind / in ſartagine cum butyro frixos, inſtar cibi cum pane ſemel aſſumebat, & ita ſe immunem putabat ab omni morborum inſultu, idque tanquam familiæ proprium & ſingulare ſibi ſoli reſervabat. Aſt nemo has delitias appetebat in imitationem. Non infrequens in quibusdam oris eſt, quod vulgus, dum ſecale flores protrudit, aliquot numero flores, Kornblüte / deglutit, & ſic ſe à morbis præprimis febre, per annum tutum credit. Nonnemo arenam ſubtiliſſimam, in cyatho lixivio remiſtam, balneum ingreſſus quotannis ſemel exhauriebat, & ſe hoc modo à morbis tutum autumabat. Sic mundus regitur opinionibus.

OBSER-

# OBSERVATIO XII.

## D. SAMUELIS LEDELII.

## Ridicula tertianæ curatio.

INnumeras eſſe hujus morbi curas, quotidie experimur. Scio qui pulverem è ligno vetuſto depromptum febricitanti dedit cum profligatione paroxyſmi. De pane, caſeo & aliis cibis characteriſatis, in febre datis, deque ſchedulis appenſis, non eſt ut dicam, quia ſunt vulgaria. Hilarioris genii & ingenii mercator, Lipſiam petens, in oris Miſniæ hoſpitam offendit febricitantem, dumque maſſam farinaceam ad panes conficiendos in mactra animadvertit, ſvadet, ut in invaſione rigoris huic maſſæ collotenus, ſe immergeret, **ſollte ſich in den Teig deß Backtroges legen** / & per omnem paroxyſmum ibi hæreret, ſe enim ita quoque reſtitutum fuiſſe, cum per tres anni quadrantes febricitaſſet, ſeriò affirmat. Hoſpita ſanitatis cupida & ſimplex, hujus conſilio ſe accommodat, maſſæ ſe immittit, & per plures horas ibi commoratur, paroxyſmo penitus ſopito, nec amplius redeunte. En hic fermentorum fermentationem! Adeſt fermentum febrile in fæmina, & fermentum in maſſa panis. Gramine viridi involutum, febre ardente laborantem convaluiſſe, leges Obſervatione quarta Lyſeri, Cultro Anatomico ejusdem annexa. Veritatem autem reſtitutionis ſequentia confirmabunt in noſtra hiſtoria. Mercator hicce metuens, ne nocuerit conſilium fæminæ, per biennium vitat has vias, tandem tamen aliquando ibi divertit nocte obrutus, & ſe ægrotum ſimulat. Hoſpita ubi reſciſcit ipſum febricitare, ſtatim exponit à ſe adhibitam curam, & eſſe perfectiſſimam ſanctè pronunciat, additque præterea, ſi modo rediret bonus ille Mercator, qui mihi tam ſalubre ſuppeditavit conſilium, neſcio quid boni ipſi non exhiberem. Tandem hic ſe eſſe illum aperit, & dum agnoſcitur,

lau-

lautiſſimè excipitur ab hacce fæmina, cum maxima gratiarum actione. Sic mundus vult decipi.

## OBSERVATIO XIII.
## D. SAMUELIS LEDELII.
## Vomitiones pernicioſæ.

GEminum ſiſtam pſeudo-Medicum, qui ob carentiam Medici in certo loco, experimenta per mortes hominum faciebat, nec opus erat, ut pro Novo Medico novum cœmeterium extrueretur, ſiquidem hic ſufficiebat, unus erat pharmacopola, alter balneator. Prior dederat Pannifici quadrato vomitorium antimoniatum, quod aut minus dextrè præparatum, aut in majore doſi ſuppeditatum, plicis ventriculi adhæſerat, & vomitus ad ſex menſes continuatos effecerat, cum evaneſcentia omnis ſpei reconvaleſcendi. Poſt varia interna & externa remedia, nihil levaminis dantia, tandem & mihi rem exponunt, ſtatumque ægri miſerrimum deſcribunt cum petitione auxilii. Leniſſimum concito vomitum cum oleo amygdal. dulc. recenti, dein ventriculi regioni antrorſum & retrorſum inungere & illinere jubeo balſamum oleoſum, internè lactis tepidi duo cochlearia cum granis aliquot antimonii diaphoretici benè fixati, propino; quæ dum ventriculus retinuit, ideo continuabamus, & gradatim ad alios cibos, ad quos appetitus ægrotum ferebat, deveniebamus, in pauciſſima quantitate concedebamus, viribus paulatim redeuntibus. Interim poſt laſſitudinem artuum ſingularem prægreſſam, ſubſequebatur atrox arthritis, quam tandem, annuo ſpatio expleto, priſtina excipiebat ſanitas. Sic ex Dei benignitate has ſyrtes ſuperabat bonus Vir. Poſterior radices eſulæ in majore doſi quam par erat, porrexerat ruſtico ad expurgandum, quo ipſo non tantùm vomitus concitaverat acerbiſſimos, ſed & mortem, ſiquidem vaſe in

ſe in pulmonibus rupto ob nimis violentos vomitus, miſer hic cum florido ſanguine purpuream cogebatur evomere animam. Hem tales Practici ſunt quiſquiliæ Medicorum!

## OBSERVATIO XIV.
## D. SAMUELIS LEDELII.
## *A* Mercurio dulci Mors.

BLandum eſſe expurgans Mercurium dulcem, bona & accurata manu præparatum, notum eſt in foro Medico: ſique levem meam conceſſum eſt citare experientiam, multoties ſummo cum emolumento porrexi in abundantia lymphæ, ejusque impuritate, à ℈ß. ad ℈j. ſtimulatum tamen cum aliis, quanquam Zvvôlfferus ad ℈j. doſin extendit. Mantiſſ. Spagyric. pag. 352. A Balneatore hujus loci ʒß. præterito anno, caſu fortuito, vir parvæ ſtaturæ, ſtatæ ætatis & cachexiæ ſcorbuticæ obnoxius acceperat. Res ita erat. Hic Pſeudo-Medicus grana aliquot Mercurii dulcis cum Gummi gutt, chartulæ incluſerat, & penes vitrum quo reliquum mercurium dulcem aſſervabat, charta exterius quoq; coopertum, locaverat. Cum itaq; medicamentum heri promiſſum manè Vir dictus urſiſſet, à ſocio hoc in lecto adhuc ſtertente, famulo committitur, ut chartam ſupra tegmen lecti repoſitam, daret, qui non attendens geminam adeſſe chartam, arripit illam in qua vitrum cum mercurio latebat, & exhibet, ſatis tutus, ac ſi rem bene geſſiſſet. Vir hoc accepto, omne contentum cum cereviſia imbibit, ſtatimque aliquid vomitu rejicit, & de acredine materiæ in collo conqueritur. Succedunt per diem 20. evacuationes ἄνω καὶ κάτω, absque inſigni commotione, labaſcentibus tamen viribus. Senſuum organa veluti ſtupida reddita, non amplius ſuo præerant officio, & vix completo 24. horarum ſpatio, machina hæcce corporea ſuo vitali principio deſtituta, feriari incipiebat.

bat. Labiis dum anima pallidis oberrabat, Medici auxilium implorabatur, qui animam fugientem omni ſuo conſilio retardare nequibat. Relegatio erat pœna hujus delicti, quam pecunia redimebat inquiſitus. Sic

*Mercurius dulcis mortis amaror erat.*

## OBSERVATIO XV.
## D. SAMUELIS LEDELII.
# Cum dyſenteria febris petechialis lethalis.

ACicularius 33. annorum, poſt eſum & uſum cucumerum & prunorum ſuperfuſa cereviſia impura, corripitur fluxu alvi continuo, cum dolore inteſtinorum & ſiti. Qui curabat plerisque formulis inter alia immiſcebat, aut laudanum opiatum, aut eſſentiam anodynam, quo ipſo dolores quidem ſopiti, ſed fluenti alvo nullæ remoræ fuere procuratæ, vigiliis interim obſtinatè urgentibus cum proſtratione virium inſigni. Spatio aliquot dierum elapſo, aliis conſultantibus Medicis, propinatur mixtura cordialis, quæ ſpiritus reficit cum apparentia petechiarum. Continuatis confortantibus & bezoardicis, utique hæ maculæ malignæ non diſparebant, vires tamen indies decreſcebant, cum intercurrente ſopore, lubricitate alvi, & tandem morte.

## *SCHOLIUM.*

MEdicamenta generoſiora à non qualificata manu ſuppeditata, comparo gladio in manu furioſi. Uti enim hic, & nocetur, & non nocetur, prout gladius tractatur & vibratur; ita & illic. Opium eſt laudatiſſimum medicamentum, vice verſa etiam nocentiſſimum, imò mortiferum. Si rectè judico, in hoc caſu blandum laxans rhabarbaratum, aut aliud leniens, in principio morbi hic optimum fuiſſet, ad excluſionem materiæ morbificæ ab erroribus diætæ ortum trahentis, & tum adhuc in glandulis ventriculi & inteſtinorum

hærenti: dein ſudorifera cum opiatis proficua vidiſſet, qui curabat. Novi quidem plures, qui curam dyſentericam ſolis ſudoriferis & anodynis abſolvi poſſe ſtatuunt: verùm hoc non eſt univerſale, ſed prout cauſa morbi variat, ita & modus curandi. Vide Obſervat. 195. Anni 6. Dec. 2. Ephemerid. Curioſ. A nimio Opii uſu vidi ſphacelum inteſtinorum Grünbergæ in dyſenterica. Opium hic conatum naturæ inhibuit, & morbo inducias fecit, ut eò profundius malignitatis characterem ſanguini imprimere potuerit, hinc non mirum ſymptomaticè irrupiſſe petechias, quas ultimo ferè conatu Natura protruſit, nec inde tamen alleviata, ob ubertatem malignæ materiæ, & vires enervatas. Adeò multi robore Naturæ absque medicamentorum uſu reconvaleſcunt in morbis malignis, dum alii artificiosè per medicamenta etiam generoſa, incongruè data, mortuis aſſociantur. Veluti in bello non bis peccare licet; ita & in hiſce morbis, quæ nullas agunt inducias, ſed tacitè & ſat periculosè ſua decurrunt tempora.

## OBSERVATIO XVI.
## D. SAMUELIS LEDELII.
## *De*
# Apoplexia cum Epilepſia.

QUia præcedens Obſervatio de combinato loquitur affectu, ideo ſubnectam adhuc aliam. Nobilis matrona 67. annorum, 1690. de cephalalgia intercurrente conqueritur, & tamen comedit & dormit, muniaque ſani hominis obit. Initio menſis Maji circa veſperam relicto Görlicio, ſororem ad tria milliaria diſtantem, inviſit, idque die Saturni. Sequenti die Dominico templum frequentat, & adhuc benè valet. Menſæ autem dum poſt ſacra aſſidet, derepentè corripitur aphonia, quæ tamen facilè cedit adhibitis aquis ſpirituoſis. Ingruente nocte redit, cum apople-

apoplexia forti. Advocantur extemplò Agnati propinquiores, & tandem die lunæ, circa meridiem noctis, Medicus. Dum advolo, invenio apertis oculis ſtertentem, absque intellectu, cum leni convulſione muſculorum palpebrarum interpolatè invadente. Manus & pedes frequenter commovebat & attollebat, quod æquè convulſioni adſcribebam: dumque hi actus ferias agebant, lenis tremor eosdem occupabat. Applicabam ſtatim quæ attuleram interna & externa remedia, ulla tamen ſine medela: ſiquidem ſola externa huic gravi affectui non ſatis faciebant, interna autem omnia prout erant infuſa, ita effluebant absque deglutitione, ob læſos laryngis muſculos. Ne tamen aliquid intermitterem, quod Artis eſſet, accerſebam ſuppoſitorium acre, & huic nihil operanti, ſubſtituebam Clyſterem ex aqua ſalita, conſilio Mynſichtii conſtantem, qui educebat excrementa fœtidiſſima. Urgebam Clyſteris iterationem, quam meticuloſæ fœminæ diſſuadebant, dum autem utilitatem prolixè indicabam & explicabam, corripiebatur ægrota noſtra Epilepſia non levi, quæ aliquot paroxyſmis continuò urgentibus, dum veſperaſcebat, veſperam mortis introducebat. Plures Apoplectici Curæ meæ ſubfuêre, tùm Grunebergæ, tum alibi, nunquam tamen talis mihi obtigit caſus, per viginti aliquot annorum praxin. Raygerus autem in Centuria Obſervationum Medicinalium Spindleri, Obſervatione nona, exempla adducit Apoplectico-Epilepticorum. Adi etiam, Rollfincii Method. Conſultator. Conſultat. XV.

[*Gôrlicio Luſator. d. 20. Sept. 1691. Norimb. miſſa.*]

OBSERVATIO XVII.

D. SIGISMUNDI LEDELII,

*De*

# Mercurio vivo arboribus pruniferis indito.

PRæcedens Obſervatio XIV. (de qua Fratris literæ ad me, loquebantur) mihi in memoriam revocat facetũ Medici cujusdam Grunbergenſis remedium, quo à vinea fures abegiſſe referebant. Hic aliquot arboribus pruniferis ad viam regiam in vinea ſpectantibus, primo vere, facto foramine usque ad meditullium arboris, mercurii vivi aliquid immiſerat, occluſo dein foramine. Quo ipſo effeciſſe dicebatur, ut fructus arboris vehementiſſimam obtinuerint virtutem catharcticam. Raptores horum fructuum, rei ignari, tantam alvi lubricitatem ſentientes, non amplius attingebant arbores, ſed tanquam peſtilentes fugiebant.

OBSERVATIO XVIII.

D. SIGISMUNDI LEDELII,

*De*

# Cœcitate à fumo ligni viridis.

QUibus cum Vulcano res eſt, illi plerumque malè affectis conſpiciuntur oculis, ſi non capite ſimul. Vitra conficientes, ſat puram alunt flammam in Officinis ſuis, & tamen nimius calor admodum lædit eorum oculos pro diverſitate quidem ſubjectorum, & magis & minus, uti quotidie obſervatur in omnibus aliis artibus & opificiis, igne lucente opus habentibus. Calefactor vegetæ ætatis, & inculpabilis conſtitutionis, in aula Comitis, plures fornaces calefaciebat ligno viridi, quod ruſtici manè in vicina ſylva cædebant, poſtquam aviculæ ſonora voce Creatori hymnum matutinum cantarant, dein cæſum currui imponebant,

bant, & aulæ invehebant, ut reiterata ſciſſione adaptaretur ad calefaciendum. Quia autem innata ligni humiditas accenſionem impediebat, ideo hic miſer flammam noviter excitatam & ſtatim iterum morientem ſæpè ſæpius excitare & reſtaurare opus habebat. Quo ipſo omnem fumi denſitatem cum latitante acredine ſenſibiliter oculis & pulmonibus ſatis infenſam experiebatur. Continuato itaque ad tempus hocce labore, gemina ejus ſidera tenebricoſa involvebantur nebulâ, quam excipiebat plenaria eorum velatio, nulla arte detegenda.

[*Javorâ Sileſiorum Gorlicium, & inde Norimb. miſſæ. d. 6. Dec. 1691.*]

## SCHOLIUM.

OMnem fumum oculis moleſtum eſſe, dum particulis ſuis ſalinis, tam acidis quàm alcalicis, oleoſisque craſſioribus terreis permiſtis, oculos exquiſitiſſimo ſenſu præditos vellicat; quotidie obſervamus. Hinc memorabile eſt, quod *Joh. Schefferus in hiſt. Lapplandiæ cap. 27.* recenſet, quòd, licet pauci ibidem obſerventur morbi, frequentiſſima tamen ſit lippitudo & imbecillitas oculorum, ex qua ſæpiùs cæcitas oriatur. Cauſam hujus mali allegat, quòd à prima pueritia in domiciliis, per æſtatem & hyemem fumo repletis, degere ſoleant; quamvis aliqui huic cauſæ ſplendorem ignis, continuò oculis obverſantem etiam adjungant. Pari ferè ratione Cayri toto anno lippitudines frequenter homines invadere notat *lib. 1. de Med. Ægypt. cap. 14. Proſp. Alpinus*, ob nitroſum pulverem, qui continuè oculos mordicat & calefacit, maximè tamen & epidemicè, ita ut dimidia incolarum pars tum hoc morbo infeſtetur, in prima æſtatis parte, calidiſſima nempe & inæqualiſſima ob vehementiſſimum meridionalium ventorum calorem atque inflammatarum arenarum copiam, quæ ab iisdem ventis adportantur.

[*L. Schröck, L. F.*]

OBSER-

# OBSERVATIO XIX.
## D. SYLV. SAMUELIS ANHORNII.
## Ex Plica amiſſa Steatoma.

SEbaſtian Türrler. Vir probus & honeſtus, An. MDCL. d. 9. Martii natus, Temperamenti ſanguineo-ſeroſi; validi & lacertoſi corporis, placidæ mentis; toto ſuæ vitæ decurſu ſanus, & nullo unquam morbo niſi variolis & morbillis detentus; cùm anno ætatis ſuæ vigeſimo primo Francofurti ad Mœnum ſervitiis ineſſet Fabri Lignarii Joh. Melchioris Mengii, & ædibus novis texendis vacaret; parietum ancones jam jam exſtructi de improviſo conciderunt, & Ipſum unà cum alio conſervo Chriſtophoro Mejero Memmingâ Suevo humi proſtrârunt; neutri, uti videbatur, aliud quid damni illatum fuit, quàm quòd attoniti ad temporis pauxillum jacuerint, donec ex propinato aceti cyatho refecti, altero die laborem ambo citra impedimentum repeterent. Türrlerus quidem ex nuchæ contuſione aliquantum dolebat, ſpretus verò dolor & neglectus ſponte tandem diſparuit, & ſtigmatis notam reliquit tuberculum piſo vix majus, indolens, mobile, ejusdem cum cute coloris, pollicem ſupra apophyſin ſuperiorem primæ dorſi vertebræ conſpicuum: pauci abhinc temporis decurſu ex ejusdem tuberculi confinio ſuperno Cirrus prorupit pilorum variè contortorum atque complicatorum ſubviridis, ad longitudinem ſemiulnæ excreſcens: monſtroſum hoc & antehac inauditum ſibi germen ſedulò celavit; de eo tandem pertæſus ab urbis Pharmacopæo in monte Romano habitante conſilium petiit; qui ex reſectione, vario ipſum periculo, ſi non mortis ſubitaneæ, ſaltem vitæ diſcrimini à morbo acuto certiſſimè ſubeundo expoſitum iri præſagiit: tulit ita decem annis ſanus & robuſtus, quo tempore tuberculum à priori nil quidquam mutatum & magnitudinem, colorem & indolentiam ſervavit; & ille interea ar-

tem

tem ſuam mechanicam admodum laborioſam ſedulus & citra impedimentum exercuit, ac matrimonium ingreſſus, aliquot pater liberorum evaſit. Ante quinquennium, ſcilicet ſub principium Anni 1687. ſponte & ex improviſo excidit Cirrus: poſt quatuor abhinc menſes corripiebatur dyſenteriâ, quæ ſporadicè graſſabatur, & ſimul uxorem cum tribus liberis invaſit: convaluit, me medente, feliciter: Jam verò Tuberculum, cujus hactenus nulla cura fuit, exigua ſui vincula rupit, lento pede prorupit, crevit, & profundius latiusque ſerpendo magis indies excrevit, donec non ſolùm, integrum quod inter ſcapulas interſtitium eſt, ſed etiam utriusque alas homoplatæ occuparet, obtegeret, & enormi tumore deformaret. Æquâ ceu ſibi iniquâ mente toleravit hucusque miſer miſerum affectum, nullius vel Medici vel periti Chirurgi conſilio uſus, licet ubique ceu monſtroſus & biceps evaſurus non ſine commiſeratione exciperetur, animum nec dedit ullis adhortationibus, quæ pro Medico conſilio capiendo faciebant; hoc vel firmo & miſero ſolatio à mulierculis ſuppeditato deceptus, tumorem quamdiu doloris expers, ſanitati innocuum, & medicamentis minimè irritandum; vel terrore adfectus, curam ferro & igne perficiendam, crudelem & ſine dubio lethalem fore. Tandem cùm ad perficiendam operam quotidianam quâ accurare ſibi ſuisq; cultum & victum neceſſe habuit, vires interdum languere atque torpeſcere ſentiret, ſomnus brevis & interruptus evaderet, appetitu licet conſtante ſitis non rarò urgeret; rigores ſubinde auræ adinſtar frigidæ per dorſum decurrerent, & punctionibus dolorificis Tumoris ſphæra ipsâque thoracis interiora infeſtarentur; nupero Vernali tempore appropinquante Chirurgi noſtri & peritiſſimi & multâ praxi dexterrimi, Dñi Diethelmi Schereri, Urbis Senatoris, & Sereniſſ. ac Reverendiſſ. Principis ac Abbatis Cœnobii St. Gallenſis, Chirurgi Aulici æſtumatiſſimi conſilium & auxilium imploravit: Hic verò uno & altero diſcutiente emplaſtro dolorum incrementa coercuit; &

 cùm

cùm augurari facile eſſet, ex appoſitis externè, vel generoſiſſimis impetratu vix quidpiam fore, Medicum ſibi adjungi expetiit, meque proin die 20. Maji in conſilium vocavit. Erat Tumor ad aſpectum horrendus; ſuo diametro novem ex baſi ceu pede longus, uncias octo latus, à ſeptimo colli ſpondylo incipiens, ad octavam circiter dorſi vertebram protenſus, ſuâ peripheriâ totum intraſcapulare interſtitium occupans, & magnam utriusque partem homoplatæ obtegens; inſigniter turgens & elatus; ſtriis hinc inde ex albo rubro liventibus variegatus; ad attactum omnis expers doloris, & hoc mollis ac digitis facilè cedens, alio loco renitens & tubera ſcirrhoſa varia circa baſin circumferentiæ ſiniſtræ, & unicum in ipſo centro exhibens, quæ vero phymata indurata, tumoris corpus inæqualitate notabili minimè deformârunt; à parte infera propè baſin, cutis latitudine taleri phlegmone occupata, ſingulariter rubens, eminens, & hoc ſolo in loco fortiùs preſſa dolens erat. Nobis affectus uti ſat rarus, ita maturo penſitandus judicio & accuratiore indagine examinandus videbatur, ne veriverbii vim experiri contingat: Malè cuncta miniſtrat impetus. Placuit igitur loci inflammati ſuppurationem. Diachylo promovere, vel hoc minus ex voto ſuccedente, cauterio ruptionem tentare, ut de liquore contento & ſpecie Excreſcentiæ ſeu Tumoris certius nobis conſtaret: Secundo ex applicato Diachylo die, ſc. 22. Maji cutis leviter perforata ichorem ſeroſum jugiter exſudavit: ampliationem aperturæ procuravimus exili gentianæ turundulâ, ex cujus, dilatato orificio prius pus coctum, & inſtitutâ preſſione materia ſebacea prodiit, unde etiam aditus ſtylo patuit, quævis interiora rimandi, plura hinc inde obſtacula poſita explorandi, & intentiones curativas tantò prudentiùs moderandi. Steatoma autem quod à Griffonio reſectum Hildanus Cent. VI. Obſerv. XVI. deſcribit, utpote uno ſimplici folliculo digitis ſeparabili comprehenſum, cum noſtro haud convenire, & hoc ad imitationem Fabricii ab Aquapendente forfice amputari, vel

factâ

factâ cruciformi ſectione unâ cum folliculis ſeparari & eximi neutiquam potuiſſe, diverſorum congeries Tumorum tunicatorum ſub uno communi tegmine, & carcinomatum ſcirrhoſorum inſignium, profundius & altius radicatorum multitudo, facilè cuivis perſuadebit. Methodus Celſi, quam l. 7. c. 6. de cura Meliceridis, Atheromatis & Steatomatis manuali, prolixiùs tradit, omnium nobis convenientiſſima viſa fuit; quam proin, corpore per epicraſin pillulis è Mercurio dulci & extracto Catholico confectis purgato, ex aſſe ſecuti, die 25. Maji Bono cum Deo, Syringotomo Sculteti Tab. XII. Fig. III. depicto, inciſionem ex loco phlegmone obſeſſo inchoatam per magnam Tumoris partem, ſecundum ejus longitudinem continuavimus: Materia alba ſebacea, inſtar Spermatis Ceti vel Oryzæ coctæ fruſtillatim & granulatim ſibi confuſa, exiguo cruore tincta, tantâ quantitate prorupit, cui tantus quidem Tumor recipiendæ vix capax putaretur. Elevatis & reclinatis integumentorum diſciſſorum labiis, plures hinc inde obvios Tumores particulares ex baſi protuberantes, & nonnullos velamento ſuperiore annexos, tunicâ carnosâ incluſos, alacri manu Chirurgus, ſuâ ſaburrâ, factâ inciſione liberavit; quorum aliqui materiam craſsè compactam ſebaceam, plures ſerum viſcidum flavum eructârunt. Tumor centralis ſuperficiem habuit à panniculo carnoſo, aliquot pollicum craſſam & ſcirrhoſam, baſin verò tunicatam materiâ ſebaceâ repletiſſimam: prolixius ſcrutinium Patientis Apſychia hâc vice non permiſit: refocillatus ille Vino, quod hujusmodi ſortis hominibus præſtantiſſimũ Cordiale audit, & cavitas vulneris repleta linteis Balſamo Vulnerario ebriis, applicatum emplaſtrum album coctum, ſuperimpoſiti ſacculi ex herbis balſamico-diſcutientibus in vino coctis, & faſciis ex arte deligatus fuit: Materia hæc unâ vice evacuata ut prodigioſum quid, aliquot diebus monſtranda Curioſis frequenti numero confluentibus aſſervata, libras civiles ſeptem habuit, & ne minimum fœtorem ſpiravit. Diem Patiens ſatis bene tranſegit, obambulare valuit,

luit, modicè comedit; nox inquieta fuit. D. 25. Vulnus recluſum, & ex variis latibulis ſedulò deterſum, copiam rurſus materiæ ſeroſo-ſebaceæ eructavit, & baſin hic carne ſanâ rutilante conſpicuam, ibi tunicis membranaceis obſitam, alibi ſcirrhoſam monſtravit: labia panniculi ſeu cutis ex cujus gremio & amplexu ſaburra dicta prodiit, unciam integram craſſa palmam ex utraq; parte ſibi invicem impendebant. Omnis in hocce expurgando Augiæ ſtabulo, detergentibus & ſuppurantibus adhibitus labor, è Tantali horto fructus colligere fuerat; Sarcomata ſcirrhoſa, marginem Tumoris cingentia & ipſiſſimam muſculorum Trapezii, Rhomboidis & latiſſimi ſubſtantiam profundè penetrantia, cathæreticis auferre tædioſum & omni tormento acerbius videbatur; Tunicarum à muſculis avulſio & diductio exquiſitiſſimè ſenſibilis erat, labiorum ſuperflua caro præpedimenta ſinuoſitates percontantibus ubique poſuit, & utcunque Spiritu Vini Theriacali Myrrhato ſingulis deligationibus lavata, gangrænoſam nihilominus corruptelam induit; quæ ſingula ſtimulos addiderunt tantò fervidius atque temporius reſecationem & plenariam ῥιζοτομίαν cultro ſuſcipiendam inſtituendi. D. 29. Maji integer velamentorum orbis ſimul cum adnatis carcinomatibus ſcirrhoſis, & variis pelle membranaceâ obſitis locis, ex baſi ſanâ, quâ licuit induſtriâ & celeritate ſcalpello ancipiti Sculteti, Tab. 12. figur. 7. depicto, reſectus & exſtirpatus fuit. Hæmorrhagia pro amplitudine vulneris inflicti enormis non erat, & forſan ob terrorem & apſychiam Patientis, ſpirituum & ſanguinis impulſu deficiente, vel propter ramorum Azygos, intercoſtalium & ſubclaviorũ inſertione ibidem exili, uberior eſſe vix potuit, & admoto cum ſtuppis cannabinis pulvere ſtyptico albumine ovi ſubacto ſtatim quievit. Æger delinquens convenientibus excitatus, deligatus & lecto commiſſus, ſudore frigido totâ die diffluebat; pulſus erat exilis, appetitus nullus, ſitis crebra, animus ſemper conſtans. Sub veſperam remotis applicitis, ſanguis undique ex arteriolarum canali-

canaliculis recluſis alacriter proſiliit; repreſſus ſtatim & vulnus terſius ex arte deligatum eſt, quod hodie Patientis Apſychia non permiſit; nox inquietè & interrupto terroribus ſomno transacta: Velamenta Tumoris ſeu Panniculus Carnoſo-Scirrhoſus, hâc exciſione ablatus Unciarum viginti pondus habet, & hucusque in Spiritu Vini maceratus cuſtoditur. D. 30. Maji Sanguinem coërcentibus ut heri deligatus, alacrior ſenſim evaſit, cibum modicè ſumſit, vinum duabus aquæ decoctionis CC. tertiis dilutum bibit: de nocte parum quievit; non niſi ſupinus in vulnere cubare, neutro lateri incumbere potuit. D. 31. Maji & 1. Junii vulnus ſenſim Digeſtivis mundificatum multum puris optimi reddidit; & conſpectui jam obveniebant, quæ celeri ſectione de ſinubus, tunicis & carcinomatibus muſculis profundius inhærentibus relicta fuerunt, ſingula enim aliena accuratiore ſectione radicitus ſuſtuliſſe vix ulli licuiſſet. Sinus inſuper amplus & latus, quem primâ ſectione non obſervavimus, à læva vulneris, ſupernè verſus vaſa jugularia tendebat, qui etiam D. 2. Junii inſcio ægro, cultro ſublatus, nihil præter ſeri viſcidi pauxillum continebat, & baſin firmâ tunicâ inveſtitam habuit: Jam verò ex Cathæreticorum ſubſidio, uti omnis pendebat ulterior ſucceſſus: ita haud timidè vel temerè, quiete Patienti aliquot dierum donec vires collegiſſet, conceſſâ, butyrum minerale cum obſervatâ prudenti cautelâ, diei 6. Junij veſperâ, cum filamentis eodem inebriatis, ubicunque neceſſarium videbatur cautè adplicatum, reliquum vulneris filamentis ſiccis ſedulò munitum, & emplaſtro uſitato albo cocto obtectum & obligatum fuit. Dolor ex inſtanti vehementiſſimus adparuit, nec aliquid auxilii fuit ad infringendam ſymptomatis ferociam, præter ſolam patientiæ recommendationem & datam ſucceſſûs optimi fidem. Noctem miſerè egit, omnis aufugit ab oculis ſomnus, dolor, febricula, ſudor, terror, & quid non ſymptomatum deteriorum? omnem variorum Paregoricorum & Opiatorum vim illuſerunt. Die ſeptimo Chirurgus mul-

tis precibus ſummo mane advocatus, aperto & detractis filamentis liquore Antimoniali, imbutis, mundificato vulnere, toti ejus orbitæ Balſamum ſuum, ſolâ ex adipe porcinâ, oleo roſaceo & ovorum albumine confectum linteis inductum, impoſuit; ex quo incantamenti adinſtar, plurimus intra horæ quadrantis ſpatium dolor, maximo cum Patientis ſolamine, evanuit; Et gloriatur de hoc Balſamo Chirurgus, ſe tali in caſu, ſcilicet in omni dolore Cauſticis inducto, ab ejusdem applicatione, ne unquam voto fruſtratum ab ægris diſceſſiſſe. Febricula lenta cum madore totius corporis continuo, ſomno interrupto, appetitu proſtrato, ſiti intenſa, viribus dejectis & alvo occluſa ad plures dies extendebatur; quibus medebar terreis fixis dyſcraſiam ſanguinis temperantibus & ſpicula ſalis peregrini obtundentibus ex Antiheẞt. Pot. Pulvere Conchar. Ocul. Cancr. Cinnabar. nativâ; Gelatinis variis; Juſculis alteratis; Diætâ tenui; mixturis item Paregoricis cochleatim exhibitis, ex Aquis Antepileptico-Anodynis, Aceto deſt. Ocul.♋. C C. philoſ. præp. & pulvere Anodyno paratis; & emulſionibus Hypnoticis de nocte hauriendis. Vires victu Analeptico reficiebantur; Decoctum CC. paſſulatum pro potu ordinario datum; Alvus clyſmatibus ſollicitabatur; Interim externa pro voto ſuccedebant; vulnus copioſè ſuppurabat, pus ſincerum λευκὸν, ὁμαλὸν, καὶ ἥκιστα δυσώδες fundebat, & Balſamo Vulnerario ſupra memorato, ſingulis deligationibus applicato, Eſchara ſenſim ad caſum vergebat, tandem perfecta ejusdem ſeparatio circa 20. Julii diem impetrata fuit. Mirum & lætiſſimum aſpectu vulnus carnem undique viſui exhibuit pulcherrimè rubentem & ſanam, & nullibi niſi ſupernè fabæ majoris magnitudine reſiduum tunicæ ſtigma relictum, & Eſcharotici ſpiculis elapſum; ſui verò in centro, cùm elatius aliquantum & turgidius, quamvis carne ſincerâ firmâ & rubente conſpicuum exiſteret, ſuſpicio incidit de latente ſub cineribus doloſis igne occulto; utque nihil in poſterum exinde periculi metuendum ſit, prominentia hæc centralis,

BRITISH MUSEUM
NATURAL HISTORY.

Fig. 5. pag. 47.



Annus X.

tralis, ipſis vertebris in medio Metaphreni ſuffulta, unà cum ſtigmate tunicæ à ſuperna vulneris parte reſiduo, Cathæretico Antimoniali denuò commiſſa, & inde Balſamo memorato ad ſolutionem & Eſcharæ caſum promota fuerunt; ubi quàm maximè notandum, dolorem qui tantùm non per Nyćthemeri ſpatium atrociter ſæviebat, jam bina vice ab impoſito Balſamo Vulnerario, me præſente & Autopte ad miraculum obſtupuiſſe: Detractâ quæ erat in medio vulneris Eſcharâ, ecce! prægrandis hoc ſinu geſtatus & profundè occultatus occurrit folliculus, ovi majoris columbini magnitudine, materiam ſine cruore ſine liquore ſpiſſam, albiſſimam, ex fruſtulis copioſis Spermati Ceti æmulis compoſitam continens, tunicâ ſuâ cui inhærebat, muſculis à baſi ſubſtratis ita firmiter connatus, ut digitis avulſionem tentatam, exquiſitum propter dolorem Patiens ſuſtinere noluerit: Reliqua vulneris ab omni recremento alieno pars repurgata, manè & veſperi filamentis ſiccis obſita, Unguento digeſtivo linteis inducto obtecta, ac ſingula poſtmodum Emplaſtro albo cocto & faſciis ex arte applicatis munita fuerunt. Interim vulnus ex margine indies coibat, anguſtius reddebatur, & cicatricis veſtigia latiora monſtrabat. Tunicâ verò folliculi dicti Cauterio ablatâ, foveæ prægrandis veſtigium, carne novâ ſarcoticis procuratâ ſenſim repletum, hincq; totum vulneris reſiduum Epuloticis ad cicatricem perductum, & Miſer miſero affectu ex alta radice exſtirpato Apolline propitio liberatus, Dei ex gratiâ Optimi, Maximi priſtinæ ſanitati reſtitutus fuit, & hoc tempore, & priori robore & Athletico ac vel indies proficiente corporis habitu gaudet.

*[St. Gallo Auguſtam Vind. 30. d. Octobr. A. 1691. miſſa.]*

Fig. V.

OBSER-

# OBSERVATIO XX.

## ANONYMI.


## Epilepſia ſingularis.

Puer vix nonum emenſus annum, Patre Advocatô hîc loci Ordinario, & Muſicæ, quippe cum ſtudiis in animi gratiam elegantiſſimè alternantis, probè peritô, natus, & ipſe Muſicâ vocali æquè ac inſtrumentali, pro ratione ætatis, mirè doctus, gibboſus, aliquot jam annos calculô divexatus, pubisque proin regionem ſæpius, præ dolore ibi concepto, manu comprimere ſolitus, naturâ ſtimulante quotannis mucum viſcidum, ſibi, quòd reſpirationem impediret, maximè infeſtum per vomitus ac ſedes copioſiſſimè depoſuit, adeò, ut dejectionum frequentiæ, ne vires omnino peſſum ſimul irent, quandoque ſuccurrendum eſſet. Natura itidem conſuetudinis circa finem anni 1684. non immemor evacuationem largam molita eſt; quâ peractâ, puero facies nonnihil palleſcit, absque tamen ullâ ullius partis aut functionis cujusvis evidenti læſione. Anno 1685. d. 17. Januarii Puer trahæ extremitatibus (auf die Hintertheile der Schlittenkufen) inſiſtens, peſſimi verò nebulonis ruſtici, equo velocitatem ſubitò imperantis, inſidiis, ſicque rapido trahæ motu in terram lapidibus ſtratam præceps fit, & ob pallium trahæ involutum ad aliquot paſſus raptatur, ſic ut ſpiritum trahere neſciret; brevi tamen reſtitutus reſpirationi, domumque reverſus, quæ ſibi evenêre mala, reticuit. Die 19. ejusd. menſis prælibatô paulò largius vinô improvidè de ſcamno lapſus, ad quatuor ferè horas ejulatum, (utrum ob contractum ex caſu dolorem, an ob mentem ab enormi hauſtu turbatam? certior à domeſticis vix fieri licuit) noluit temperare, tandem placatior redditus, de nullo conqueſtus eſt dolore. Die 20. Jan. horâ 4. matutinâ vomitus ultra 40. vices, non ſine

## Calculus prægrandis e vesica extractus.


Fig. 16.

pag. 48.




a a a a *Loca glabra, ubi violentâ forcipum apprehensione scabræ Calculi prominentiæ abrasæ.*

Fig. 17. pag. 187.



*Annus* X.

BRITISH MUSEUM
NATURAL HISTORY.

inſigni virium jactura,urgebant, alvo,ſecus ac in præcedaneis evacuationibus ſolitâ, ſymbolum ſuum recuſante & obſtructâ potius perſiſtente. Hora 12. meridianâ Noſter, nuptias prætereuntes ſpectandi gratia, feneſtræ admovetur; ſed en! ſubitò omnia ipſi rigent membra, & ratio quaſi receſſa ſtupet: quô ſpectaculo Mater attonita me vocat. Domum itaque ingreſſus ego Dn. D. Ubelmannum eundem in finem citatum, puerum verò lecto affixum inveniebam,rationis quidem rurſus compotem, ſed patulis oculis adſtantium neminem diſcernere valentem. Brevi nobis proximè præcedentium relatione factâ, guttulas aliquot Eſſent. Caſt. ægroto propinabamus, ejusque naribus admovebamus ſpiritū Sal. armoniaci ad quorum uſum oculorum lumine rectiùs is uti cœpit, & quæſitus,num doloris quicquam perciperet, abdominis ſitisque accuſabat moleſtiam. Quare, quòd vomendi ſimul, licet inanes, conatus reſtabant, abdomen diſtendebatur, & alvus ſuum nondum facere officium volebat, clyſtere hanc ſollicitandam atque emolliendam meditabamur, mixturam inſuper ex Aqua Ceraſ. n. Epil. L. Syr. Ment. Cran. hum. Corall. r. Antimon. diaphor. Cin̄ab. nativ. & pulv. anod. præſcribentes. Sed horâ vix elapsâ medicamentisque ex officina nondum allatis recruduit paroxyſmus, præludia in pollice ſiniſtræ manus faciens, quô convulſione tactô, mox manus, brachium, oculi, brevi totum convellebatur corpus; ligaturas interim partium extremarum inſtituebamus, dorſique ſpina Oleo Succini cum Eſſ. Caſt. mixto illinebatur. Paroxyſmo intra horæ quadrans ſopitô, domeſtici ſciſcitando quaſi lapſus ſupra memoratos prodebant; at luſtratô exteriùs corpore, nullum læſionis ſignum, ne livida quidem macula in conſpectum venit; Sorbebat igitur æger aliquot cochleãria præſcriptæ mixturæ, clyſterem verò, ut admitteret, nullis nec parentum precibus, nec perſuaſionibus vinci patiebatur: quapropter Clyſterem, additis nonnullis herbis emollientibus & anodynis nec non lacte vaccino, in veſicam ampliorem trans-

fuſum calidè abdomini imponendum, inque carnis brodio oleum Amygd. d. propinandum, curavimus, ob ſitim verò ægrum afflictitantem Emulſionem ex Sem. 4. frig. m. Ebor. foſſ. C. C. phil. præp. & Syr. Viol. parandam præcepimus, irrito autem conatu, reſpuebat enim illam, vinum expetens; & licet emulſionem hanc cereviſiæ nuptam exhiberi ſuaſores eſſemus, haut tamen adſtantium quidam deerant, qui ægroto potiùs nonnunquam morem invitis nobis gerebant. Circa octavam veſpertinam paroxyſmus iiſdẽ ſed intenſioribus convulſionibus ingruebat, ad horæ dimidium tyrannidem exercens, quâ ſedatâ, æger querelas movebat de dolore capitis totiusque corporis. Mixturam ideò ſupra dictam, interpoſitis aliis ſpecificis antepilepticis, continuandam, veſicatorium nuchæ imponendum, abdomen veſicâ antè memoratâ fovendum, & ſuppoſitorium applicandum, commendavimus. His adminiſtratis, Patiens aliquot horas ſomno transegit; circa tertiam verò matutinam diei 21. Jan. ad quartam uſque diris agitatus eſt convulſionibus, quas breviſſimâ interjectâ morulâ, Muſica excipiebât, adeò, ut integras cantilenas artificioſâ modulatione ab ægroto expreſſas adſtantes invitis ſanè auribus perciperent usque eò, dum debilitatâ fractâq; partium Muſicæ inſervientium vi, clamores clangoſi & anhelando quaſi ex imo miſſi tragœdiæ huic colophonem addebant. Ratio interea ſtupebat, nec Patiens parentum acclamationibus aut quæſtionibus ullas præbebat aures: obſervatô ſaltim, ubi adſtantes cantilenam Eccleſiaſticam huicque affectui congruam magis altiori voce præcinebant, is à ſuâ cantilenâ paulatim deflectens, præcentam articulatâ voce ſuavique tonô æmulabatur, hancque, quamvis obmuteſceret adſtantium chorus, voce ac verbis diſtinctis ſolus ad finem perducebat. Pòſt mirè defatigatus ſumma virium tenebatur proſtratione, nec verba faciebat, ſed quæſitus, ſiniſtrâ manu (totum n. latus dextrum citra paroxyſmum omni deſtituebatur motu) indicando, ac capitis nutu, reſpondebat: Tragicos hoſce actus, ſervatô eodem

dem ſemper ordine, aliquoties miſerrimus Noſter repetiit, donec d. 21. Jan. circa nonam veſpertinam luctuoſo huic mundi theatro valedicens, è vita diſceſſit. Die 22 ejusd. horis matutinis, cadaver externè hinc inde liveſcens cultro apertum ſequentia obſervatu digna exhibuit.

## Inſpectio Anatomica.

I. Hepatis inferior extremitas inflammationis labe tacta erat; concava verò ejus pars è regione bilis obſcurè flaveſcebat, huicque vicina inteſtina flavo quaſi colore perfuſa cernebantur.

II. Veſicula fellis diſſecta liquorem atro virentem & craſſum fundebat.

III. Inteſtina cuncta flatibus turgebant, & inflammationis ſigna manifeſta dabant, paſſim atrorubente colore ſuffuſa. Ventriculus itidem flatu & muco viſcido diſtendebatur.

IV. Renum dexter, cultri aciem paſſus calculum ſuggerebat hujus figuræ & magnitudinis,  ſiniſter ſequentis,  concomitantibus haut paucis minoribus lapillis. Ureteres quaſi aëre ſufflati tumebant.

V. Remoto ſterno, ut thoracis antra perſpiciendi eſſet facultas, diaphragma verſus ſiniſtram, non procul à vertebra, cui connectitur, contuſionis quaſi notam & inflammationem verſus gulam ibi deſcendentem protenſam exhibebat; ſimilis macula dictæ modo vertebræ, ea parte qua ſiniſtram ſpectat, impreſſa deprehendebatur. Lobique Pulmonalis ſiniſtri extremitas reſpiciens diaphragmatis labem non obſcura inflammationis indicia, ob contractam ibi ſanguinis ſuffuſionem prodebat.

VI. Pulmo veſiculis ſparſim pellucidis nucem avellanam æquantibus obſitus erat. Aſpera arteria vix admittebat aërem ſiphone adactum, ſed diſſecta, non minùs quàm reliqua vaſa bronchialia, muco viſcido in ſpumam quaſi acto ſcatebat.

Caput verò ſecari Parentum renuit religio.

## Epilepſiæ Examen.

Priùs verò, quàm prægreſſæ hiſtoriæ judicium ſubnexurus ero, pauca circa variam Epilepſiæ indolem monuiſſe juvabit.

Morborum itaque hunc Herculem non ſub unâ ſemper eademque larvâ in genus humanum debacchari, ſed polypo longè mutabiliorem in invaſionibus ſuis apparere, accuratæ Medicorum Obſervationes loquuntur. Nonnullos enim ſubitò proſtratos ratione prorſus, ſenſu item ac motu omni privat, & ſideratos quaſi reddit; quales Practicorum non minùs monumenta quàm quotidiana ſiſtit experientia. Alios variis motibus agitat, dirè illorum corpora percutit, ſenſibus internis æquè atque externis aut in perturbationem ſimul actis, aut integrè perſtantibus; cujus farinæ caſum recitat Bootius in Obſerv. Omiſſ. c. 6. de Puero 12. annorum, qui, quoties epilepſiæ paroxyſmo vexatus eſt, ſemper rectà percurrebat, per ignem & aquam tamdiu, donec obſtaculum offendebat, ut longiùs percurrere non poſſet. Sic Helvvigius in Actis Nat. Cur. Puellam 13. annorum ſub Epileptica invaſione, quam à vapore è lumbis per dorſi ſpinam ſurſum nucham usque reptante, prænunciare valebat, hymnos Eccleſiaſticos ſuaviſſimâ melodiâ cantantem, mox galli cantum æmulantem, & menſium demum fluxu liberatam, refert. Chriſt. Rôslerus in iisdem Actis Fœminam in inſultu epileptico maximè ridentem memorat. Talem ego riſum, modò cantum, fletum modò & precũ recitationem in fœmina adhuc ſuperſtite, quoties uterinam incurrit Epilepſiam (ſæpiſſimè autem incurrit levi animi motu provocata) obſervavi. Adoleſcentem itidem etiam nunc vivũ memini, in paroxyſmo è conceſſis ſibi libris Latina Græcaque, ne hæſitante quidem linguâ, legere, variaq; doctè proferre ſolitum, cujus aures ab acclamationibus, vellicari minimè poterant, nec ipſe, ſibi redditus, actorum gnarus erat. Secùs verò conſtitutam Epilepticam profert D. Fehr. de Scorzon. p. 96, cui horendas inter jectigationes & miras corpo-

corporis contorſiones, quas arthonomi ſeu geſticulatoris potiùs luſus dixiſſes, ratio perſtitit & actorum memoria. Alios peſſimus hic excruciator ſensûs ac rationis uſu omni privat & ſævis ſimul torquet convulſionibus: Sicut Polymorphi hujus atrocia ex Actorum Nat. Cur. plurimis locis, Williſio de Morb. convulſ. Schenckii, Bartholini aliorumque obſervationibus patet; & ſtrages maxima, *in Boneti Sepulchreto, l. 1. ſect. 13. de Convulſione & Mot. Convulſ.* legentibus proſtat.

Quid mirum igitur, ſi vulgus ſtupendis ejusmodi geſticulationibus dæmoniacos ſubeſſe luſus putet? Williſius l. c. Theologi non infimæ notæ meminit, qui plures in Novo Teſtament. pro dæmoniacis reputatos, Epilepticos fuiſſe, morbiq; hujus à Chriſto Salvatore Curationem, ſpiritus mali ejectionem ſeu exorciſmum dici, ſuſpicatur; Conferatur etiam *Unzerus l. 1. de Epil. c. 1. &c.* Sic *Bartholinus de morbis Bibl. p. 66.* aliquos, quos vulgus à dæmone obſeſſos credidit, methodicâ Epilepticos vel Melancholicos curandi ratione reſtitutos notat. *it. Dravviz. de Scorb. p. m. 76. & ſeqq.* Ubi Affectum Scorbutico-Spaſmodicum ab illo, quem dæmon obſtetricante veneficarum opera producere aſſolet probè diſtinguit, adjectis utriusque ſignis pathognomonicis.

Cumque ſupra deſcriptus Pueri affectus ſuſpicionem dæmoniaci afflatûs effugere vix potuerit, morbi hiſtoriam cum inſpectione anatomica collatam æquiori mentis lance ponderandam duxi.

Omnis verò ſenſus motusque naturalis ex placido atque ordinato ſpiritus animalis in nervos (qui nihil aliud ſunt, quàm congeries fibrarum è cerebri medulla juxta ſe ſituatarum, duplici tunicâ à meningibus cerebri continuata, inveſtitæ & pro vehendo ſpiritu in univerſum corpus divaricata) influxu oritur: Convulſiones equidem epilepticæ ceu motus præternaturales ex impetuoſa inordinataque ſpirituum in nervos exploſione concitantur. Hinc fomite irritationis in membranis cerebri ejusque ventriculis exiſtente, Epilepſia fit

 per

per Eſſentiam, dum ſpiritus animales, cerebri incolæ, ſubitâ rarefactione tumultuosè moti, derepentè in nervos appenſos exploduntur, motûsque clonici autores fiunt; ſed ex Conſenſu procedit Epilepſia, ſi nervi è longinquo irritati, & ab acidi cujusdam ſpiculis vellicati tremulum motum ibidem inchoatum juxta ſeriem fibrarum ad cerebrum uſque continuant, ſpiritum inordinato motu illuc ſecum rapiunt, ubi ſpiritus animales impetuosè agitati, facto quaſi agmine violenter per vicinos ſive plures, ſive omnes nonnunquam, nervos prorumpunt, & convulſiones Epilepticas excitant. Quô fit, ut invaſuri inſultus in manuum pedumve digitis, aut aliis membris, prius vellicatis ſeſe prodant, & Epilepticorum nonnulli ex aura, quam ab extremis partibus per ſpinam dorſi ad caput pertranſire ſentiunt, paroxyſmi imminentis præſagium faciant; unde & mulierculis conſueta loquendi formula, Es hat das böſe Weſen noch im Leib / wenn es nur nicht in Kopff kömmt; mitius, nec quidem ſine ratione prognoſticon in Epilepſia per conſenſum, quamdiu illa Palladis palatium non infeſtat, exprimens; præſertim dum infantes ex acido, lumbricisve inteſtina rodentibus, Epilepticos patiuntur inſultus. Mentem jam ſubit tæniurgus, qui Norimbergæ à pondere aliquot librarum in nudum pedem prolapſo, ut unguis à pollice dextri pedis vix aliquot fibris nerveis hæreret, ſauciatus erat, & accerſitô Chirurgi famulô, qui unguem forcipe avulſit: dictum factum, epilepticus concidit, paucisque pòſt diebus vivus eſſe deſiit. Longam Epilepſiâ per conſenſum enectorum ſeriem recitat *Bonetus in Sepulchreto. l. ſupra citat.* Hauc abſimili ratione noſtro Patienti Diaphragma (cujus ſtructuram in ambitu muſculoſam, verſus centrum verò membranoſam ſeu nervoſam, arteriis, venis nervisque phrenicis dictis intertextam nemo, niſi anatomiæ prorſus neſcius, ignorat) inflammatum, turbas iſtas epilepticas excitavit. Sive enim dicta læſio ex violentâ in reiterato caſu, tenſione vel contorſione, ſive alliſione ortum traxerit, idem eſto. Ecquis plures

ex

ex prægrandi ſarcina vel onere elevato aut ſubita corporis diſtorſione intra corpus lædi neſcit, citra notam cuti impreſſam? prolixam hîc ſuperſedeo relationem caſus, quô venatoris ſervus (in cujus memoriam conditum monumentum etiam nunc noſtrum exhibet cœmiterium) ann. 1659. prope Hilberhuſam à cervo miſerè agitatus, inque terram tandem alliſus absque externa abdominis læſione, quinas inteſtinorum perforationes perpeſſus eſt. Legi certè integra meretur hiſtoria in *Boneti Sepulchreto, l. 3. ſect. 14. p. 945. de Ventris dol.* Redeo ad propoſitum: Dum in hac Diaphragmatis læſione, indeque contracta inflammatione, quam largior vini hauſtus, ſanguinis ſulphur evehendo, promovere multùm potuit, acidum ibi fermentum nervos ſtomachales, gulam (cui inflammatio proxima erat) concomitantes (quorum ramuli aliqui in diaphragmatis inferiorem faciem quoque diſſeminantur) irritavit, quô irritationis ſenſu ad ventriculum continuatô, hujus everſionem vomitusq; crebriores inducti ſunt; nō ſecus ac in nephritide ob nervos, quos renes cum ventriculo communicant, vomitus excitari ſolenne eſt: [Nec ea tamen propter in Ægrotantis Noſtri renes, quippe calculis gravidos, fabam cudere fas erit, cum vomitus iſtos enormes nullus præceſſerit nephriticus dolor, ut, renes potiùs à diris convulſionibus rebelles demum fieri potuiſſe, ſuſpicio ſit:] Hasce frequentiſſimas ventriculi ſubverſiones, ob ſpirituum impetuoſiorem motum, non potuit non è veſtigio quaſi ſumma virium proſtratio ſequi. Ægrô autem ad feneſtram locatô, ſpiritus etiam nunc in motûs ἀταξίᾳ conſtituti facillimè ad aëris frigidi afflatum retropulſi & ſenſus & motus privationem induxerunt, imprimis oculorum caliginem, cùm nemini non conſtet, quantum oculi ejusque ſpiritus in vomitionis niſu patiantur. Interim ſanguinis fervor, quem aduſtæ partes variæ in abdomine demonſtrarunt, in tanta ſtomachi commotione ipſum diaphragma ob gulæ connexionem violentiùs agitatum, conceptæ ibi inflammationi incrementum dedit,

ut

ut acidum in ecchymomate iſto concitatius redditum nervos, è plexu nervorum cervicis & paris ſecundi vertebralis ramis, ut & nervis brachialibus per mediaſtinum deſcendentibus, in diaphragma diſperſos irritaverit; quô vellicationis motu ad nervorũ brachii ſiniſtri, (unde in ſiniſtræ manus pollice convulſionum primordia cernebantur) mox ad nervorum principium, cerebrum ſcilicet, continuatô, ſpiritus ibid. animales in impetum adacti in cohærentes nervos propulſi, Epilepſiam per conſenſum introduxerunt. Quales motus convulſivos à diaphragmate ulcerato notat *Bonetus Sepulchr. l. 1. ſect. 13. obſ. 24.* cui ſequens addidit Scholion. Motus convulſivi, "affecto diaphragmati, parti eximiè membranoſæ adſcribendi, nervos per totam ſubſtantiam ſparſos obtinenti, delatos "ex ſpinali medulla colli, inter quartam & quintam vertebram: quibus à puris acrimonia vellicatis, occaſio data eſt "ejusmodi motibus convulſivis. Neque dubium eſt ullum, quin ſpiritus animales è cerebro exploſi, præ reliquis, per laceſſitos anteà nervos in affectam partem, diaphragma ſcilicet denuò irruerint, &, reiteratis hiſce convulſionibus, nervos diaphragmatis cum nervulis maxillarum & labiorum permixtos, in motum ſimul rapuerint. Quô factum eſt, ut loco riſus Sardonii, quem Anatomici Practici ex Diaphragmatis inflammatione ob dictum modò cum maxillis conſenſum, obſervarunt, in ægro Noſtro quippe canendi arte hæreditariè quaſi edocto, ſicque maxillis ac labiis huic adſvetis, Muſica potius vox audita ſit; quæ, defatigatis tandem partibus Muſicæ inſervientibus in clamores clangoſos diducto, rictu emiſſos deſiit, adeò, ut animum ad parentum acclamationes aut quæſtiones minimè attenderet, adſtantium verò hymnis promptas daret aures, voces illorum ac melodias imitando, idque ideò, quòd chori cantantis vox altior eſſet ac penetrantior longè illâ Parentum, Patientisq; noſtri Muſica inſtrumenta in exercitio ac actu muſico jam conſtituta imitandis ſaltim hymnis præcentis facilè ſufficerent, ratio verò ob turbulen-

bulentum ſpirituum animalium motum in aſſequendis Parentum quæſtionibus, aptisque ad has formandis reſponſionibus maximè vacillaret aut deficeret prorsùs. Sicco, ne inſtituti limites fuſioribus verbis transgrediar, lubens prætereo pede, quantum vertebræ pulmonisque inflammatio ad affectum hunc vel excitandum vel promovendum valuerit, cùm J. Nic. Weningerus obſ. 38. Cent. 3. Epilepticos motus per conſenſum à Pulmone dextra aduſto, nigerrimo thoracique adhærente obſervatos memoret.

[*A. 1691. 9. Novembr. ex communicatione Exc. D. D. Wedelii per Nob. D. D. Schelhammerum Jenâ Noribergam miſſa.*]

## OBSERVATIO XXI.

## D. BENJAM. SCHARFFII.

## Anatome calculoſi.

PErſona Illuſtris ſexûs maſculini XV. annorum calculoſis nata parentibus, à teneris de calculi conquerebatur doloribus, quorum atrocitas jam aderat, jam aberat, jamque remittebat, jam incrementum ſumebat; Et quamvis Diætam accuratiſſimam obſervare cogeretur, nihilominus tamen ſæpiſſimè crudeliſſimis vexabatur cruciatibus, qui, cunctis medicamentis fruſtra adhibitis, cum ardore & incontinentiâ urinæ adeò Beatiſſimum Dominum proſequebantur, ut accedentibus tandem convulſionibus & omni appetitu ſublato vitam cum morte commutaret.

Aperto corpore viſcera omnia invenimus ſalva & illæſa, exceptis renibus & Veſicâ. Hæc enim & quidem ejusdem fundus, calculum ſatis durum & magnum, cujus iconem æri inciſam hîc exhibeo, quique Uncias 3. cum dimidiâ pendebat, in ſe continebat, totumque Veſicæ corpus planè præternaturale apparebat, dum non craſſities ſolùm membranarum

veſicæ craſſitiem pollicis circa fundum, qui & penitus rugoſus erat, referebat, ſed cruſta etiam ſeu tunica interior carnoſa omnem reliquam veſicæ cavitatem, quam calculus non occupaverat, replebat, tantamque toti veſicæ corpori gravitatem, ob ſummam hujus cruſtæ carnoſæ abundantiam & maximam craſſitiem fundi, conciliabat, ut exempto calculo Veſica ipſa V. uncias pependerit.

Renes quod concernit, & iidem planè præternaturales conſpiciebantur, dum non dexter ſolùm ren, qui ſecundùm ſitum naturalem circa tertiam lumborum vertebram ſub Hepate contineri debuerat, planè per transverſum ipſi ſpinæ lumborum, & quidem circa primam eorundem vertebram, incumbebat, verum etiam ejusdem univerſa cavitas repleta erat topho Tartareo & calculoſo, qui aëri per aliquot dies expoſitus, ſponte ſua in aliquot fruſtula reſolvebatur, & fruſtum fruticis corallini, longitudinem digiti referentis exactè repræſentabat, Unciamque dimidiam pendebat.

Ren ſiniſter, qui naturaliter ſuperior dextro circa lienis regionem conſpici debuiſſet, locū multo inferiorem à naturali occupaverat, diverſisque in locis inflammationi & exulcerationi proximus, id quod maculæ lividæ & nigræ ſatis teſtabantur, apparebat, ut ſic nulla evadendi ratio reperiri potuiſſet.

Ex quo concludo Calculum hunc Veſicæ morbum fuiſſe incurabilem; Quicquid enim de ſpecificis contra veſicæ calculum jactatur; falſum & vanum in Beatiſſimo hoc ſubjecto (ut & Beatiſſimo Ejusdem fratre 7. ætatis anno eodem malo extincto, è cujus veſica poſt mortem calculus uncias duas pendens extractus eſt) expertus ſum, dum omnia omnium in conſilium vocatorum præſtantiſſimorum Medicorum medicamenta, ne γρὺ quidem auxilii vel levaminis contulerint, ut unica proinde ſpes curationis in ſola ſectione poſita videatur,

[*A. 1690. d. 9. Novembr. Noribergam miſſa.*]

Fig. VI.

OBSER-

## OBSERVATIO XXII.
## D. SALOMONIS REISELII.
# Frigus & dolor vena ſecta ſublatus.

GEneroſa quædam Vidua retulit mihi 4. Januarii MDCLXXXVI. quod ante duos annos in incendio publico & gravi terrefacta, ſenſerit in dextro toto latere frigus à capite uſque ad pedes deſcendens & currens, quod deinde cum ſtupore & dolore in tantum excreverit, ut nullo calore; nec variis ſpirituoſis & oleoſis illitis potuerit corrigi: Tandem ſuaſu Viri cujusdam, qui talia paſſus, poſt fotum calidum & venam ſuralem (die Gicht-Ader) ſectam, luna exiſtente in ariete, cum quidem antea in pedis pollice extra hoc ſignum fruſtra ſanguinem miſiſſet, juvata fuerit.

## OBSERVATIO XXIII.
## D. SALMONIS REISELII.
# Scabiei inunctio Mercurialis lethalis.

NOn neſcio plurimas infauſtas occurrere hiſtorias Scabiei ſanatæ ſeu ſiccatæ & retropulſæ à mercuriali cingulo & inunctione. Liceat verò ob monitum utiliſſimum referre unicam intra paucos dies mortiferam, cum eodem tempore bina adhuc exempla hic loci viſa fuerint. Juvenis viginti ferè annorum, ſcabioſus factus, ſine univerſalibus aut depuratione corporis, voluit ſibi mederi unguento ſulphurato. Sed cum nec hoc juvaretur, unguentum mercuriale petiit, quo non tantum carpum inunxit, ut ſuaſum erat, ſed in corpore reliqua etiam ſcabioſa loca per dies aliquot à 25. Februarii A. 1688. incipiens; unde cum tumore pedum, manuum & capitis difficultatem pectoris & ſpirandi, ſenſit, liquatis ſcilicet & fuſis à mercurio humori-

 bus.

bus. 29. gravius ferebat etiam cum ſcotomate, & linguæ tumore: Hinc accedens conſului ſudorifero turgentes hos humores evacuare. Sed acceſſerunt ſtatim à meridie convulſiones graves, quibus usque ad nonam nocturnam durantibus, enectus eſt.

## OBSERVATIO XXIV.
## D. SALOMONIS REISELII,
## A
## Lapſu levi fractura cranii rara & lethalis.

Mulier 66. annorum nupta quidem Vinitori Johanni Knöpfel Stutgardiano, ſed ſterilis, nec abortum etiam paſſa, 1. Octobris 1686. dum in platea juvencam ſuam expectat domum redituram, à ferociente equo impulſa retrolabitur, ut ſemimortua tolleretur, ſanguine ex aure ſiniſtra & naribus effluente, accepit in ſiniſtro, occipitis latere vulnus cruentum. Reſtaurata, me accedente, aceto & aquis apoplecticis loqui quædam potuit, ſed non ſtare pedibus. Domum portata plurimum ſanguinis evomuit, & venam ſecuit. Mane ſecundi diei ſtupeſcens oculis clauſis, & tota muta jacuit. Vulnus tamen aliquantùm poſt levem inciſionem, quia mortem expectabamus, dilatatum fuit, in quo fovea, incertum an à ſutura ſit lambdoidea, an à fracturâ, obſervata fuit. Tertio eadem. Interim & Sal Cornu Cervi & urinæ vol. naribus applicatum, & miſtura ex Eſſ. Caſtor. & Spir. Salis armoniaci naribus atque ori illita. Veſperi loqui quædam cœpit, inprimis cum vulnus dilataretur & perioſtium abraderetur ad fracturam inquirendam quarto die, quo etiam juſcula ſumere cœpit, & ſimul aquam cordialem. Sed cum æſtus & deliria accederent, dexterque oculus clauſus eſſet, quamvis aliquando ſatis bene loqueretur, ſexto Trepanum adhibitum, quo parum immiſſo ſanguis effluxit, & deinde amplius adacto ſuperior lamella extracta fuit, quæ altero la-

tere dextro craſſior, altero tenuior fuit, quia latebat adhuc ſeparata ob ipſam ſuturam diviſa altera ſeu ſiniſtra inferior pars, quæ deinde quoque erat perforanda & reſcindenda: cujus utriusque hæc erat facies.



Hac inferiore quoque ſeparata copioſus effluxit ſanguis liquidus, non valde grumoſus, nec tamen putridus. Inter trepanandum patientiſſima fuit & parum gemitus edidit, quod circa undecimam factum. Dormivit deinde multum, reſpondit tamen quærentibus. Noctu verò valde debilitata ſumſit quidem Cordiale & juſcula, cùm veſperi detecto foramine nullus effluxerit ſanguis. Sed mane circa ſeptimam ſeptimi diei paulò ante novilunium obdormivit.

Diſſecta cadaveris cute, multus latuit ſupra cranium ſanguis ſeroſus: abraſoque pericranio fractura cum fiſſura apparuit à lambdoidea ſutura uſque ad baſin cerebri vergens. Reſecto dein ipſo cranio in ſiniſtro latere paucus ſub dura meninge fuit ſanguis, in dextro verò copioſior, & in dextro temporis latere multus coagulatus, ibique putreſcere incipiens cerebrum. Vaſa utique valde diſtenta, & inter cerebrum & cerebellum copiosè effuſus ſanguis. Fiſſura verò à lambdoidea ſutura vergens deorſum, habuit quoque duo foraminula ſatis ampla, à quibus deinde per os vomeris tranſiit usque ad os ſellæ. Quæ fractura vel ideo rara à ſolo & levi lapſu facta debet notari, quod ſub muſculis cervicis, ubi tamen nulla apparuit contuſio, ipſa illa foraminula cranium transeuntia ſint inventa.

# OBSERVATIO XXV.
## D. SALOMONIS REISELII.
## Capitis vulnus cum fractura & fiſſura lethale.

VUlnera capitis quævis vel ipſa levia, vel talia ab initio apparentia non negligenda monet Paul. Zacchias, Fortunatus Fidelis, alii, & ultimum Excell. Johannes Bohn de Renunc. Vuln. ſect. 2. c. 1. Poſſum exemplum nuperrimum afferre primo inſpectu leve viſum, ſed quod eventus docuit graviſſimum fuiſſe.

Præfectus ſiquidem Vigilum aliquis ebrius poſt lites leves circa quintam veſpertinam 22. Octobr. 1691. gladii unico ictu ita vulneratus fuit in dextro capitis latere, ut ſtatim proſtratus & cruentatus valde decubuerit per horas aliquot. In proximo dein pago deligatur obiter, altero autem die accuratiùs à Chirurgo Stutgardiano poſtquam hùc transportatus, nulla amplius ſequente hæmorrhagia, ſed obſervata illicò hemiplexia ſeu motus impotentia, ſuperſtite tamen ſenſu, in brachio magis quàm in pede ſiniſtro, ut & vomitu, qui primo quoque die adfuit.

25. Vocatus ego unà cum Chirurgo Jurato obſervavimus in dextro bregmate capitis ſupra aurem vulnus in cute digitorum ſex longum, in cranio ipſo leve & ſine fragmentis aliquot aut laceratione uſque ad meningem quidem penetrans, ſed rimula tam tenui hians, ut non potuerimus ſcrutari aut judicare an meninx ſit perſecta. Cæterùm non ſolùm ſiniſtri lateris impotentiam, ſed & in ſuperioris labii dextra parte aliqualem elevationem ſpaſmodicam ſeu paralyticam, cum linguæ quadam & loquendi ineptitudine ſeu imbecillitate. Nullum tamen dolorem niſi in vulneris ipſius angulo inferiore, & aliquantum verſus tempus accuſavit æger. Læſionem autem in cerebro aut nervis à commotione aut latente

tente fractura, aut contrafiſſura factam fuiſſe ex hemiplexia judicavimus. Ubi verò illud malum hæſerit, conjicere nequivimus, unde nec locus nec ratio fuit trepani applicandi: cum extravaſati ſanguinis indicia quoque nullibi apparerent. Hinc impoſitis filis lineis diſcerptis, applicatis Emplaſtris, & ſuperimpoſito ſacculo cephalico, propinato quoque pulvere cephalico quieti datus eſt Vulneratus.

27. Cervicis ſiniſtrum latus doluit; & ultimo menſis die totum caput.

2. Novembris taciturnus eſt, incipit delirare clauſis oculis, quos venâ mane ſectâ brachii à meridie aperit, loquitur ſine aberratione & ſedet in ſella extra lectum. Hinc melius habet, ita ut quinto qui decimus quintus vulnerationis dies fuit, ſedens ſcripſerit literas ſuæ uxori, adeoque nos nullius facilè periculi metum habuerimus. Sed ſexto præter opinionem Chirurgus invenit ipſum ita debilem, ut locus non fuerit deligandi vulneris: An ob victus errorem, cum lac acidum & coagulatum ipſi datum fuerit & forte etiam vinum, quod tamen conſtanter ipſe ægrotus & adſtantes negabant, acceſſerit iſta imbecillitas, dubitatum fuit. Septimo circa nonam invenio ipſum vultu rubente & madido, ſtertentem & difficillimè ſed cum ratione, quantum potui ex linguæ hæſitatione dijudicare loquentem, cum pulſu debili, intromittente & inordinato: ideò prædixi mortem quæ circa undecimam ſecuta eſt, decimo ſeptimo nimirum vulnerationis die.

Sequenti ergo die ſeparata cute juxta vulnus cranii in bregmate dextro retrò ſuturam coronalem, quæ cum aliis quaſi obliterata & firmiter coaluit, apparuit utrinque fractura, perquam oſſicula tabulæ ſuperioris oblonga facillimè ſeparata, cum fragmento parvo circa angulum inferiorem vulneris ſtatim eximi potuerunt, unde vulnus valde ampliatum fuit ſuperiùs, ſed rima tantùm reſtitit inferiùs, quam initio in cranii cæſura & profunditate notavimus. Præterea ab utroque

troque angulo vulneris fiſſura tenuis adfuit, nullibi autem vel ſugillatio vel contuſio aliqua.

Reſecto dein cranio, ex quo inter reſecandum plures guttæ ſanguinis per poros ſolito majores & pervios exſtillarunt, in interiori facie rima illa cæſim facta apparuit, una cum fractura ad utrumque latus æqualiter diſtante & in acumen deſinente, quæ tanta vi à gladii ictu adacta fuit, ut oſſicula hæc in medio ſeu rimâ dictâ depreſſiora eſſent verſus cerebrum, ſed ad latera uſque ad fracturam parum declinarent, inventis quoque in utroque angulo aliquibus parvis feſtucis, & adhuc pericranio ſuo adhærentibus.


In denudati cerebri dextra parte non ſolum meninx utraque lacerata adſpiciebatur, venæque valde tumidæ, inprimis verſus frontem, ſed & ſanies purulenta effluebat, ipſumque cerebrum putridum, flaccidum & pallidioris coloris, quam ſiniſtrum latus, quod ſanum adhuc, duriuſculum, vividi & quaſi lucidi coloris erat, nullo extravaſato ſanguine reperto, niſi parum circa falcis ſinuum congreſſum ſupra cerebellum, qui inter occipitis reſectionem effluxit, an à læſione nova ſinuum dictorum, an quia collectus ibi fuerit ſanguis.

In reliquo corpore nihil quæſivimus, quia ſufficientem mortis cauſam vidimus. Teſticulum tamen utrumque invenimus & præſertim dextrum excoriatum, & lividum quaſi gangrænoſum, atque circa coccygis regionem à decubitu aliquam excoriationem, cum tamen nunquam ibi ſe dolere queſtus fuerit.

Ut fractura iſta gravis & lethalis, quæ ab initio levis videbatur accuratiùs cognoſci poſſit, figuram ejus hîc appono.

Fig. VII.

OBSER-


Oſsicula effracta tabulæ superioris vulneratæ et persectæ.
Fig. 7.
pag. 64.
Facies externa.
Facies interna vulnerati et fracti cranii.

BRITISH MUSEUM
NATURAL HISTORY.

## OBSERVATIO XXVI.

## D. SALOMONIS REISELII.

# Bregmatis ſiniſtri ſupra dextrum tranſpoſitio rariſſima in fœtu mortuo.

ANno MDCXC. ex meretrice clanculùm natus fœtus mortuus in pago Würtenbergico, inſpectus quidem fuit à Phyſico & Chirurgis proximis & ſepultus. Sed cum ob defectum aliquem legalis inſpectionis, nobis Archiatris Würtenbergicis, mihi & Exc. Dn. Joh. Georgio Gmelin denuò effoſſus mandaretur inſpiciendus, invenimus præter capitis livorem & excoriationem cutis, putridumque corpus, umbilicalia vaſa ſpithamas duas longa, primam cervicis vertebram ita ſeparatam cum ligamentis ſuis, ut digitum potuerimus intrudere, quod & primi Inſpectores obſervarunt poſt apertionem cutis, ad quam tumor parvus illic viſus illos perſuaſerat: deinde bregmata duo planè ſejuncta, quod non à primis Inſpectoribus inter ſectionem factum fuit, ſed hi ipſi ſtatim invenerunt ſiniſtrum è ſua ſede remotum & ſupra dextrum ſub cute illæſa tranſpoſitum, laceratis tamen meningibus & vaſis.

Quæ tranſpoſitio cum rariſſima ſit, an à matris violenta manu, quod conſtantiſſimè negavit, quam nec exercitatiſſimus Anatomicus aut Chirurgus auſurus ſit arte efficere: an à partu difficillimo, quem ſola fuit paſſa genibus innixa, & manibus ſuſpenſà, ſit patrata, non potuimus concludere; inprimis quando ob mortem puerperæ præproperam, non licuit per tormenta veritatem perquirere. Volui tamen hic referre inſolitum hunc caſum.

# OBSERVATIO XXVII.
## D. SALOMONIS REISELII.
## Hydrops ovarii muliebris.

PRæter *Anatomen Viri pro Hydropico habiti* Anni IV. & V. Ephemeridum N. Cur. Obſerv. 166. notatam, *& Hydropem Aſciten cum tubere ex dextro uteri teſticulo* Anni III. Obſ. 180. deſcriptum, Obſervatio 183. Dec. II. Anni I. *Inauditam Hydropis Abdominis ſpeciem ſaccatum, ſive cum folliculo, fortaſſis dicendam* deſcribit: & Anni VIII. ejusdem Dec. Obſervatio XXIII. *Hydropem Aſcitem ſaccatum, ſive Abdominis Intumeſcentiam ſtupendæ magnitudinis, cum interveniente Partu felici refert*: Pariter ejusd Anni Obſervatio CCXXXIII. *Hydropem ſaccatum* adducit cum *Scholio* eruditiſſimo; ut ſuperfluum videri poſſit ſimile exemplum producere, vel diſcurſum alium circa originem & cauſas formare.

Verùm cum in muliere quadam ſeptimanis fere octo poſt partum nuper occurreret tumor ingens ventris cum doloribus multis, ſed ſine pedũ manuumve tumore, curandus, datisque aperientibus multis & menagogis à me & aliis Medicis fruſtra, venter autem potius augeſceret & dolores creſcerent, ego verò prædixerim, quod incluſum in aliquo ſacco ſerum vel glanduloſam quandam congeriem portet mulier, mortem ideò illius & cadaveris apertionem expectaverim, ut cauſam cognoſceremus veram in mortuo, quam in vivo corpore neque agnoſcere, neque curare poteramus; huc quoque apportare non inutile duxi hanc hiſtoriam, ut ſi vel conjectura nos doceat, vel certa ſigna demonſtrent, incurabilem eſſe propoſitum morbum, cum prognoſtico vel ſpei dubiæ vel patientiæ & ſolatio pro Medicæ artis ſalvanda ſi non certitudine ſaltim experientia, tractemus ægrum.

Mulier hæc procero habitu & vegeta triginta & duorum annorum, mater trium infantium quarto immaturo edito

menſe

menſe Aprili peperit filiolum, cui nulla lochia in ultimo puerperio fluxere, venter tumidus manſit & auctus fuit, tanquam adhuc gravida eſſet, cum quidem obſtetrix ſtatim poſt partum aliquid reſtare dixerit. Inde poſt varia data remedia tam menagoga, quam diuretica & laxantia, tamen ſitis inextinguibilis, ardor ingens in toto abdomine, [qui verò tempore graviditatis etiam adfuit] & dolor ſtatim à cibo & potu, urina cum ardore & difficulter emingenda finem tormentorum coegerunt expectare. Vermes etiam digiti articulo longi multi dejecti poſt & ante partum, vivi etiam ſed breviter.

Mortuâ ergo 22. Junii 1691 miſerâ poſt nonam à partu ſeptimanam, tumor ventris, qui viventi ſuper femora dependebat durus, in rotunditatem elevatus & molliuſculus apparebat, & cadaver etiam ex voto defunctæ apertum eſt. Separatis itaque muſculis abdominis exterioribus, nec dum peritonæo, effluxit ex membranis quodammodo putrefactis & ob teneritatem divulſis copioſiſſimum ſerum ſponte, quod deinde expreſſum atque ad menſuras decem collectum fuit primò turbidum, dein ſubcruentum, nec tamen fœtens. Diſſectis dein omnibus muſculis, ſaccus quidam membranaceus, craſſus, venis multis turgens prominebat, peritonæo adnatus, qui ſiniſtrorſum erat cruentatus & quaſi gangrænoſus, utero & inteſtino recto firmiſſimè adnatus, ubi teſticuli ſiniſtri vaſa & tuba cum aliquot hydatidibus illic infixa apparebant exteriùs: dextro contra teſticulo ut & utero ſano, ita ut ovarii illic veſiculæ quædam lucidæ & turgentes prædicerent plures proles. Intus verò tumor glanduloſus pugno major, ex teſticulo ipſo ſeu ovario prognatus adhærebat exulceratus & gangrænoſo proximus, viſcoſum & pultaceum & veluti ſeminalem liquorem continens. Omentum plurimis glandulis ſcatebat & ad ſuperiora retruſum atque complicatum erat. Hepar pallidum, pancreas integrum & duriuſculum. Vermis in ileo ultra ulnas octo longus tenuis & depreſſus, cujus abrupta ſine dubio fuere fruſta vermiculi illi, quos vivens

(etiam dum adhuc gravida eſſet) excrevit ſæpiſſimè, quales deſcribit *Sennertus l. 3. p. 2. ſect. 1. cap. 5. Practicæ*, ſub nomine lati lumbrici cucurbitini.

Affectum hunc itaque diu latuiſſe, credendum eſt. Unde verò initium ſumſerit, conjicere non potuimus, quamvis ſuſpicio fuerit à contuſione quadam potuiſſe oriri, quòd à marito ſæpe verberibus male tractata, pedibusq; conculcata fuerit. Hic tamen aperuit, quod uxor adhuc cælebs per tres annos ulcus habuerit in latere alterutro, quo per juſſum paternum conſolidato tumidum ſenſerit ventrem, ita ut thoracem ligulis conſtringere non auſa nec paſſa fuerit.

Poſſem ferè eundem Ventris tumorem per multos annos portatum, in muliere Geisburgi pago nobis proximo inventum ante aliquot annos, producere, ſi aliquid extraordinarium fuiſſet repertum.

## OBSERVATIO XXVIII.

## D. SALOMONIS REISELII.

# Tumor ventris quaſi gravidi ab omento glanduloſo.

PLacet hiſtoriam adnectere ab Amico communicatam his verbis. A. 1664. Nobiliſſima mulier aliquot annos ventrem tumidum ſupra modum geſſit. Primis temporibus habita gravida, deinde indurato ventre hydropica ab Utero non ſolùm ſed ſcirrhum & fœtum mortuum portare putata, quoniam circa umbilicum & ad latera indurata quaſi viſa, item glandulæ ut caput, crura &c. tactu deprehenſæ. Aliquoties ſectionem ſe pati, quam vivere malle petiit: tandem extincta fuit. In apertâ inventum Omentum conglobatum, pendens viginti ſex libras, multis glandulis differtum, quæ exceperant lac amygdalinum, quo uſa fuit per annum & diutius ſingulis diebus.

SCHO-

## *SCHOLIUM.*

Quid Ill. noſter *D. Præſes* de humiditate ex ſtomacho in omentum transeunte commentatus fuerit, in *Ephem. harum Dec. I. Ann. IX. obſ. 17.* prolixè videre licet. Cujus ſententiæ etiam acceſſit Nobil. *D. Joh. Dolæus Encyclop. med. lib. 3. cap. 9.* & experimentis variis eam confirmare nititur. Quas venas lacteas à ventriculi fundo ortas, & per omenti longitudinem decurrentes ſiſtat *D. Thomas Willis, in Adenogr. cap. 12.* videri poteſt. Idem ex hac Obſervatione lucem aliquam accipere videtur.

[*L. Schröck, L. F.*]

## OBSERVATIO XXIX.

## D. SALOMONIS REISELII.

# Automatum capitis humani loquentis.

C*Aput ab Alberto M.* intra multos annos ita fabricatum, ut loqui potuerit, tradit cum aliis *Joh. Baptiſta Porta. Humanam vocem* per fiſtulas tam feliciter in Organo Muſico exprimi & repræſentari, ut ipſo humanæ vocis nomine appelletur, oſtenditur: ut hic non dicam de cylindro phonotactico, quem *Ath. Kircherus in Muſurgiæ lib. 9.* deſcripſit, quoque vel per cymbala, vel fides, vel tibias à claviculis ſeu dentibus fixis aut mutabilibus quævis deſiderata cantilena vel harmonia muſica poteſt proferri. *In Ephemeridibus Francofurtenſibus* refertur Londino de 8. Aprilis 1687, quod Anglus quidam *Inſtrumentum* invenerit *figura capitis humani, quod reddat* perfectè, quicquid in quacunque lingua ſit vel cantando vel loquendo *prælatum vel præcentum*, & quidem de verbo ad verbum, quodque Rex M. Britanniæ maximo voluerit pretio emere, Inventor verò nondum aperire myſterium ejus. Quibus verò an fides (quæ aliquando dubia eſt) danda ſit, aliunde edocendum erit, & forte ex

*Actis Anglicis*, quæ talia artificioſa, præſertim domeſtica notarunt. Si ergò verum eſt, ſpeciem alicujus Echo fuiſſe judico, & eodem forte artificio confectum, quo *Ath. Kircherus Muſurgiæ lib. 9. vel pragmat. 10. Statuam conficere omnis generis tam articulatos, quàm inarticulatos ſonos pronunciantem* proponit: *vel pragmat. 11. Statuam ita conſtituere* docet, *ut qualibet in modum Echonis prolata verba repetat:* vel *Anacephalæoſi Statuam confici poſſe ait in medio aëris pendulam, ſonos quoslibet tam articulatos, quam inarticulatos perfectiſſimè pronunciantem.*


Machinam verò aliam capitis humani forma, loquentem, oculos & labia moventem Argentorati Anno 1690. oſtendit precio paucorum nummorum *Le Sieur Braſſeur Machiniſte chez le Ry* ſub nomine *la Teſte parlante par Machine du Philoſophe Democrite inventée pour les plaiſirs de Sa Majeſte.* Hæc intra tres horas appoſitè & intelligenter reſpondit ſuo Artifici, ſed admodum tardè, & ſemper eadem verba, poſtquam per certas automati rotulas & fiſtulas ſic artificioſè conſtructa fuerit & animata. Ut adeò dubitandum ſit, an aliquid in Hominis œconomia ſeu ſtructura reſtet, quod non ſit imitando aſſecuta machina aliqua, ſi ſolam Rationem ejusque actus excipias.

## OBSERVATIO XXX.
## D. SALOMONIS REISELII.
# Thermometrum correſpondens.

Quomodo correſpondentia Temperiei aëris circa frigus & calorem poſſit inſtitui in Thermoſcopiis ſimilibus, quæ hactenus nondum eſt in uſum ducta, quamvis in Barometro experimentis ſit ſatis oſtenſa, *Cogitationem* quandam *ad Acta Lipſienſia* menſe Julio 1691. communicavi, & Curioſis propoſui effectui dandam, à difficul-

tatibus

BRITISH MUSEUM
NATURAL HISTORY.


Fig. 6.
pag. 58.
Maſsa limaciformis vomitu rejecta.
Fig. 9.
pag 73
Fig. 8
pag. 71.

ratibus ſalvandam & perficiendam, quæ ne crambem bis decoquam, inibi videri poteſt.

## OBSERVATIO XXXI.
## D. SALOMONIS REISELII.
# Maſſa limaciformis vomitu rejecta.

INitio Octobris anni MDCXCI. Jacobi Friſen piſtoris de Leonberg, oppido Würtembergico uxor viginti fere & ſex annorum, quæ ab anno uſque poſt ultimum puerperium valde doluit circa renes & cardiam, rejecit vomitu unà cum menſura dimidia aquæ limpidæ flavæ maſſam limaci penè ſimilem, unciis octo cum ſemiſſe longam dimidiâ craſſam, tenacem & denſam inſtar veſicæ piſcium aut cutis aſelli cocti, quæque preſſa digito foveam non reliquit, ſed reſiliit, croceam extùs, albam intùs: altero extremo craſſiorem & quaſi abruptam, altero in acumen deſinentem, in medio tribus ſegmentis ſeu rugis diſtinctam hac figura & longitudine. Qua rejectâ mulier ſeſe optimè habet.

Fig. VIII.

## OBSERVATIO XXXII.
## D. SALOMONIS REISELII.
# Oculi globus ſub inferiori ſolum palpebra latens infantis cœci.

ANno MDCXCI 3. Novembris uxor ruſtici de Plöningen pago Würtenbergenſi Hanns Schirten/ mater novem liberorum ſanorum, & inter hos ſeptem filiorum, oſtendit filiolum novem ſeptimanarum, cæcum natum, aliàs robuſtum, vegetum & egregium, atque quæſivit remedium, quod pupilla ſeu cornea dextra unica, ſed ſiniſtra duplex; per palpebram inferiorem livida transpareret &

move-

moveretur, ſuperiori palpebrâ vacuâ, cum aliàs ſub hac pupilla ſeu globus totus naturaliter moveatur & turgeat, ita ut corneam elatiorem facilè dignoſcere poſſimus. Quæſivi palpebras diſtendere & oculi globum adſpicere, ſed non potui aperire, forte quod membrana quædam hîc præter naturam colligarit palpebras, quam tamen in tenello puero non licuit vel accuratiùs ſcrutari vel diſcindere. Unde illud vitium venerit, non recordata eſt mulier. Meminit ſe vidiſſe cœcam puellam, & catulos cœcos: ſed non meminit terrorem aliquem vel imaginationem extraordinariam ſe inde concepiſſe. An in creſcente puero mutatio quædam ſit ventura, expectabimus: vel qualis in demortuo obſervanda olim foret difformatio, imperatum eſt matri, ut inquirere patiatur.

*[Stuttgardiâ Auguſtam Vind. d. 29. Novembr. 1691. miſſæ.]*

## OBSERVATIO XXXIII.
## D. CAROLI PATINI.
# Monſtrum biceps maſculinum.

INter alios complures, quos admiranda prodigiorum novatrix natura produxit unquàm partus monſtroſos, unum ſanè eumque mirabilem octava Decembris Anni milleſimi ſexcenteſimi nonageſimi primi, vix uno milliari procul Patavio, ruſtica peperit. Erat ſiquidem maſculus cui capita erant abſolutiſſima duo, unumquodque cum collo ſuo; pectora etſi duo unum exhibere videbantur: brachia adeò bene coaleſcebant in morem amplexantium ſeſe gemellorum, erant quatuor; pedes autem non niſi duo, tertium tamen viſa eſt moliri natura, quem ex cruris dextri parte poſtica nonniſi inchoatum, oppreſſa reliquit: proportio corporis erat congrua, facierum formoſitate ſpectantes omnes ad admirationem cogente; fœtus in lucem vivus editus mox extinctus eſt, baptiſmate tamen priùs felici ſorte donatus. Partum hunc diffi-

difficilem atque laborioſum matri utero gerenti extitiſſe, nemo ſanæ mentis ibit inficias, hanc tamen poſt quinque dies & nunc melius valere compertum eſt. Unum obſervatu dignum præteriri nolim, quod ſcilicet caput alterum altero lividius apparuerit, cujus ratio ea ſit, quod cùm fœtus capite primùm exitum tentaverit, unum illudve minus in flagranti prægreſſum, ſubſequens alterum, ob reſtrictionem uteri ſolitam, aliquomodo ſtrangulatum in paſſu remanſerit, unde illa intumeſcentia, faciei color rubeus & nigricans ſuffocationis indicium.

Poſt triduum Patavio in villam *Ponte di Brenta* reportatus eſt, ibique cultro anatomico expoſitus duo pectora exhibuit, membrana levi ſeparata, quorum unumquodq; ſuum cor, ſua vaſa, ſuos pulmones, ſeparatim cuſtodiebat, bina etiam abdominis erant viſcera, binus ventriculus, bina inteſtinorum compages, quatuor renes, quatuor ureteres, veſica bina per eundem colem ſeſe exonerans, duplexque hepar binos quoque lobos habens, inter quos inſerta erant vaſa materiam alimentariam deferentia, ab uno tamen orta umbilico, unaque placenta; ut bina colla, binæque ſpinæ ad unum os ſacrum terminabantur, ſic bina inteſtinorum compages ex duplici pyloro prodiens in unum idem rectum definiebatur.

Medicas meditationes adferre oportunum non arbitror; ornari res ipſa negat contenta doceri, quiſque ſuum in id conferat calculum, & ex appoſita icone quam fieri curavimus, illas dirigat.

Fig. IX.

*[Patavio Auguſtam Vind. d. 13. Decembr. A. 1691. miſſa.]*

# OBSERVATIO XXXIV.
## D. JOHANNIS CHRISTIANI MENTZELII.
*De*
## Duobus Hydropicis.

TRitum ac vulgare tàm inter Medicos quàm omnis generis homines, illud Scholæ Salernitanæ; Hydrops, quartana, Medicorum ſcandula plana, adeò invaluit proverbium, ut nonnulli Medici unicè huic, tanquam axiomati, innixi, ſtatim à primo febris quartanæ, maximè autem hydropis intuitu contremiſcentes & de curæ felici ſucceſſu deſperantes, aut dubiam valdè prognoſin inſtituant, aut ægrum ſine omni auxilio & ſpe recuperandi ſanitatem, relinquant; ſed nec febri quartanæ, nec hydropi, ad perfectam & abſolutiſſimam curam, neceſſaria deeſſe remedia, variæ hinc inde in Medicorum monumentis, inprimis autem in noſtro Illuſtri Collegio, Naturæ Curioſis dicato, teſtantur obſervationes. Non equidem inficias ibo, curam inprimis hydropicorum nonnunquam difficilem eſſe, prorſus autem in dubium trahere aut plane impoſſibilem dicere, id eſt quod neutiquam concedere poſſum; ne tamen mihi ſoli ſapere, aut gloriolam aliquam exinde mihi contrahere videar, tot obſervationibus curatorum hydropicorum, alias ſuperaddere nolo, placet tamen, de duobus hydropicis quædam annotare, forſan Dominis Curioſis non ingrata. Primus fuit vir Juvenis 33. præter propter annorum, arti poliendorum vitrorum addictus, hinc dies noctesq; in molendina, quæ hîc Berolini ad polienda & artificiosè ſcindenda vitra, ſuper aqua exſtructa eſt, hærebat, ibique comeſſationibus continuis, vitam ſatis inordinatam ducebat, hinc hydropicus factus, pedum, ſcroti & abdominis tumorem patiebatur inſignem, anhelosè reſpirabat, valdè tuſſiebat & ſitiebat, ut etiam nulla liquoris copia ſitim fallere aut ſedare valeret, urina prorſus

ferè

ferè ſufflaminata, omnem ipſi reſtitutionis ſpem adimebat, præſertim cùm propter anxiam & maximè difficilem reſpirationem, omni ferè momento, mortem inſtare putaret; hæc dum ita ſe haberent, ſuadentibus amicis ego advocabar, ut huic miſero & auxilio & conſilio ſuccurrerem, quod etiam feci, & DEI ope & paucis medicamentis perfeci; ita ut brevi poſt æger optimè reſtitutus per integrum ferè annum pancraticè viveret; Sed cum poſtea antiquũ obtinere ſtuderet, & frequentibus potationibus inordinatam duceret vitam, ecce, pedes rurſus intumeſcere incipiebant, omniaque ſupra recenſita ſymptomata jam recrudeſcebant, cum ſecunda vice, auxilium anxiè exſpectans, me advocari æger juberet, quô factô, ſimul ac ut de tumore certior fierem, perluſtravi ægri pedes, in quorum altero nempe ſiniſtro, pellucida quædam ſe offerebat veſica, aquâ limpidâ referta, palmæ integræ longitudidis & latitudinis, quam eodem die per Chirurgum aperiri curabam, undè ſubitò ad libram ferè limpidiſſimæ aquæ unô impetu promanabat; poſtea verò guttatim aqua exſtillabat & per integros quatuor menſes aquæ fluxus ita continuabat, ut etiam per lintea ſexies vel octies duplicata transſudaret, unde primùm pedes & ſcrotum, mox etiam abdomen detumeſcere incipiebant, omniaque ſymptomata remittebant, & ita æger, exhauſtâ per vulnus hocce aquâ, ſanitati integrè reſtitutus, cautiùs jam didicit mercari, vitamque ſatis medicam impoſterum ducere ſibi propoſuit. Similia verò propitia fata, minimè expertus eſt, alter noſter hydropicus, quem nunc in ſcenam producere lubet, is Recutitus quidam erat 40. circiter annorum, in vico Trevenbrietzen dicto ſeptem milliaribus Berolinô diſtante, degens, ibi cum faucium inflammatione corriperetur, ſuadente Balneatore, ſibi venam raninam incidi curaverat, ſed ſatis infauſto ſucceſſu, nam, cum pro vena Balneator pertudiſſet arteriam, ſanguinem ſubſultim inde promanantem, neutiquam compeſcere potuit, hinc æger per quatuor hebdomades aliquot amphoras ſanguinis ſalivâ mix-

ti, uti ipſe dicebat, expuit, donec depauperatus prorſus omni ferè ſanguine, fluxus quidem per ſe cohibitus eſt, remanente ſolùm, magna omnium membrorum debilitate, ſed brevi poſt hydrope correptus Berolinum rhedâ ſive curru ſe portari curavit, curæque meæ ſeſe credidit, quô factô, ægrum maximè miſerum & jam Charontis cymbam intrare reperi; nam pedes inſtar dolii tumidi erant, præque abdominis ſumma inflatione & tumore in lecto jacere non poterat, ſed dies noctesque in ſedili ſedens, anxiè & anhelosè ſpiritum ducebat, ſcrotum capitis magnitudinem multò ſuperabat, valdè tuſſiebat, cum exſcreatione multùm materiæ purulentæ, ſuperiora prorſus emaciata erant, cum facie hippocratica, urinæ ſaltem aliquot guttas per integrum diem egerebat licet cereviſiam urnatim ingereret, omniaque jam conclamata eſſe viderentur, curam tamen ſuſcipere inſtitui, minimè ignorans plurimorum Practicorum effatum; hydropem nempe qui nimium ſanguinis fluxum inſequitur, omninò eſſe lethalem & prorſus incurabilem, ideoque manuali operatione curam aggredi conſtituebam, præſertim cum æger medicamenta interna nec poſſet nec vellet admittere, paracenteſin autem prorſus recuſaret, hinc à me perſuaſus apertionem ſcroti concedere annuebat, quod etiam à Chirurgo aulico Birbach νῦν ἐν ἁγίοις factum; perſuaſus quidem eram, quoniam ſcrotum horrendè à copia aquæ extenſum erat, aquam ſummo cum impetu egreſſuram, ſed præter opinionem, illa ex inflicto vulnere ſatis largo, guttatim ſaltem promanabat, ſicque exſtillare dies noctesque pergebat, donec omnis aqua, quæ in ſcroto & pedibus exiſtebat, ita per vulnus guttatim egreſſa, pedes & ſcrotum naturalem figuram recuperarent, vulnusque conſolidari inciperet, & quod miratu dignum, ex abdomine ne gutta quidem aquæ exibat; Reſpirabat quidem per tempus aliquod parum liberius; abdomen tamen adeò tumidum ut antea, manebat, licet pedes & ſcrotum ab aqua liberata eſſent: volebam quidem ut Chirurgus vulnus aliquantulum profundius infligeret,

geret, num hâc ratione aquæ exitum ex abdomine parare poſſem, ſed æger vitæ pertæſus, nolebat Chirurgum admittere, interea protrahebatur vita ipſius per quatuor ferè menſes integros, donec febre correptus, diem ſuum obiret.

[*Berolino Noribergam d. 12. Decembr. A. 1691. miſſa.*]

## OBSERVATIO XXXV.

## D. ANDREÆ CLEYERI.

*De*

# Opio Aphrodiſiaco.

SAlaciſſimæ & Veneri nimiùm deditæ Indiæ Orientalis gentes, licet naturâ ſtrenui milites in caſtris venereis ſint, arte tamen naturæ ſuccurrere maximopere ſtudent, hinc ex variis rebus, varia aphrodiſiaca parant medicamenta, imprimis autem ipſis maximè celebre & magnæ virtutis eſt, illud, (quod multis paradoxon videbitur) quod ex opio parant; putantes opium ſequenti modo præparatum ſpiritus animales & vitales ita ligare & concentrare, ne in auras avolare poſſint, ſed ſemper in ſufficienti copia ad actum venereum adeſſe; Non multum jam diſceptabo, an & qua ratione opium hocce, illud præſtare poſſit, ſed ſaltem ejus ad uſum hunc deſtinati præparationem Curioſis Europæis communicabo, hoc tamen ἐν παρόδῳ prius dicam, me multos & innumeros in Regno Japan reperiſſe ſenes, qui ſenectutem ſuam ſoli opii hujus uſui adſcribebant, & ita illo delectebantur, ut non ſolùm illud in quotidiano uſu haberent, ſed etiam ad drachmam integram ſine ullo incommodo devorare poſſent. Præparatio autem fit ſequenti modo, primùm ollam fictilem lacte vaccino plenam igni admovent, continuò ſpathula lac agitando, ne empyreuma contrahat, poſtea libram unam aut alteram opii, tenui & raro linteo involvunt & ſuper ollam pendunt, ut ſic exhalationes ſive vapores, ab ebulliente

lacte adſcendentes, opium penetrare & paululum ſolvere aut liquefacere poſſint, unde ſubtiliſſimæ opii partes, ſolutæ, per poros lintei transſudant & exteriori parti adhærent, quas poſtea ſpatula aut alio inſtrumento abradunt & ad uſum reponunt, hujus ita præparati opii, primò granum unum ſolùm in liquore quodam, aut aromaticis quibusdam mixtum exhibent, paulatim doſi adſcendendo, donec quotidiè drachmam integram devorare poſſint.

## OBSERVATIO XXXVI.

## D. ANDREÆ CLEYERI.

*De*

# Arboribus Japonenſium Itabe & Hambu.

INter varias proceras arbores quibus Inſula Japan ſuperbit, non infimæ notæ ſunt, hæ duæ, Itabe & Hambu dictæ, quas jam Curioſis Botanicis ſiſtere lubet. Itabe enim arbor eſt craſſa & procera, copioſiſſimè creſcens, in ſylvis, ramis gaudens maximè extenſis cum innumeris foliis & fructibus internè multis granis, repletis, inſtar ficuum, quibus veſcuntur & maximè delectantur Simiæ. Saporem habent aquoſum & aliquantulum gratum, lignum ejus ſolummodo ad ignem culinarem adhibetur, aliàs eſt inutile. Hambu, itidem arbor eſt inſtar Palmæ procera, folia ipſius per totum annum ſunt viridia, floribus gaudet luteis inodoris, intus lineolis purpureis ornatis, ſemen ex luteo cinericat & eſt villoſum, rami prorſus ſunt cinerei, inutilis quoque eſt arbor, nam ligno ſolummodo ad comburendum utuntur, folia tamen oves & capræ avidè comedunt.

Fig. X. & XI.

OBSER-

BRITISH MUSEUM NATURAL HISTORY.



Fig. 10
Fig. 11.


Fig. 12
C
N.° 3
C
N.° 2
N.° 1
A
B
Cusnokÿ

BRITISH MUSEUM
NATURAL HISTORY.

## OBSERVATIO XXXVII.
## D. ANDREÆ CLEYERI.
*De*
# Arbore Camphorifera Japonenſium Kusnoky dicta.

CAmphorifera arbor in Regno Japan Kusnoky appellatur, ubi enim in ſylvis ſine cultu copioſiſſime creſcit, procera eſt & craſſa, nam à duobus viris, brachiis amplecti vix poteſt, folia habet pulchrè viridia, camphoram olentia, è radice Japonenſes pulchra ſcrinia item camphoram ipſam conficiunt, quam ſequenti modo parant. Radicem & ramos non diu progerminatos, in minuta ſegmenta ſive fruſta conſcindunt, illaque aheno indunt & aquâ purâ ſimplici per 48. horas coquunt, dum interea camphora nivis inſtar alba, capitello adhæret, quam poſtea eximunt & ad uſum ſervant. Ahenum ſive veſicam ex cupro vel ferro faciunt, cum longo & anguſto collo, capitellô verô latô & amplô, uti ex figura XIII. apparet Num. 1. enim denotat veſicam, Num. 2. ipſius collum, Num. 3. verò capitellum. Fornacem autem cui imponunt veſicam, faciunt ex duris lateribus coctis cum duobus ſpiraculis uti figura appoſita denotat, nam Lit. A eſt fornax, B incendiarium C. C. verò ſpiracula.

Fig. XII. & XIII.

## OBSERVATIO XXXVIII.
## D. ANDREÆ CLEYERI.
*De*
# Plantis Japonenſium Ran & Schobœ.

RAn, planta eſt arundinacea, cum radice molli alba & ſucci ſummè venenoſi plena, ideoque à Japonenſibus & Sinenſi-

nenſibus magni æſtimatur, nam ſi parum hujus radicis, quis comedat, ſtatim mente orbatur & brevi poſt è vita diſcedit; ſi autem poſt ejus uſum, confeſtim patienti aqua, in qua Saccharum album eſt ſolutum, præbeatur, ut hujus aliquid ore exhauriat, tunc nihil incommodi inde patitur, ſed vis toxica infringitur. Flores hujus venenoſæ plantæ dulcem ſpirant odorem, & ſunt lutei coloris, cum lineolis rubris, ſemen eſt oblongum & acutum.

Schoboe ſpecies eſt Acori ſive Calami aromatici vulgaris: nam vires ipſius & folia cum calamo aromatico Europæorum conveniunt, caules tamen ſunt purpurei coloris, radices villoſæ multis tuberculis ſunt intertextæ. Japonenſes radicibus utuntur in cibis ſuis & illas in Secky ſuo (genere potûs) ſive alio liquore infundunt, infuſionemque contra colicos dolores bibunt: Naſcitur in campis humilibus & paludoſis ſine cultu.

Fig. XIV. & XV.

*[Berolino per Excell. D. Joh. Chriſt. Mentzelium 12. Decembr. 1691. Noribergam miſſa.]*

## OBSERVATIO XXXIX.

## D. JOH. GEORGII GRÜBELII.

# Epilepſia per annulum appenſum curata.

Cùm anno 1688. Vir quidam cognomine Bock huc Dresdam veniſſet, annulum ſuum, quem certiſſimum contra epilepſiam eſſe amuletum dicebat, ut divenderet, etiam me convenit, annulumque mihi non demonſtravit modò, ſed ut eundem haberem ſub inſpectione mea à me petiit, cui aliquandiu fui gratificatus, periculum faciens, an in denominato affectu ſemper reſponderet promiſſis? Hinc epileptico adulto, annorum 28, qui indies eôdem affectu maximè laborabat, hunc cum vinculo appendens,


Ran
Schoboe
Fig. 15.
Fig. 14.

BRITISH MUSEUM
NATURAL HISTORY.

dens, ut cordis regionem annulus attingeret, hunc tamdiu ab hoſpite ſuo moleſtiſſimo fuiſſe liberatum obſervavi, quàm diu annulum geſſit in collo. Cùm verò poſt tres ſeptimanas viri cujusdam honorati infans eâdem epilepſiâ corriperetur, eundem à me deſiderabat annulum, qui infanti appenſus ejusmodi planè effectum non absque ſtupore adſtantium edidit. Cum enim epilepſia infantem vice ſecundâ corriperet, mox annulus in ſcrobiculo cordis fuit attractus, quam attractionem immediatè ſecuta fuit alvi excretio, quâ peracta in momento quaſi epilepſia deſiit, nec unquam ſuum vetus viſitavit diverſorium, ſiquidem idem infans ab eodem hoſte adhuc vivit liberatus. Hunc in aliis lubentiſſimè expertus fuiſſem epilepticis, ſed cum poſſeſſor non inveniret hìc emptorem, diutius commorari nolebat, ſed aliò ſuum inſtituebat iter. *Sedecies centum* enim thaleris illum divendere cupiebat, à quo pretio tamen plurimum remiſerat, cum ante paucos annos eundem annulum pro tribus mille thaleris æſtimaſſet, ſed nec tunc emptorem inveniens ſecundâ vice rediit, ſuæque mercis mercedem æquiorem ab emptore quodam adipiſci ſperavit, cujus ſpes tamen iterum fallax erat atque fruſtranea. Lapis colore erat rubeo, punctulis interſperſus viridibus, quem Jaſpidem eſſe dicebat, qui ad epilepſiam curandam teſte Sennerto Epitom. Natur. Scient. l. 5. c. 4. ſi ſuper os ſtomachi geſtetur, maximè commendatur. Argento inſuper erat incluſus, in cujus medio à tergo ſcorpio erat inſculptus, in parte verò externa, qua cutim attingebat, glaber erat nihilque inſculptum habebat. Eundem lapidem majorem, ſed cum nullo ſcorpione ſignatum, poſſidet etiam Æſculapius noſter Dreſdenſis & jam IV. D.D.D.D. Electorum Saxoniæ Archiater meritiſſimus Dn. D. Birnbaumius jam octuagenarius, cui ut Deus plures addere velit annos felices Dño Fautori atque Patrono noſtro maximè honorando, cordicitùs apprecamur! An verò eandem in deſignato affectu præſtet operam, incertum adhuc, nec in ullo patiente illum fuit periclitatus. Optandum ſanè,

ſanè, ut inveniretur tandem remedium univerſale contra hunc morbum Herculeum, ſicuti inventa ſunt per Dei gratiam contra quartanam, hydropem, aliosque plures morbos, uti id ſatis apparet ex variis Leopold. Imperial. Acad. Naturæ Curioſorum Ephemeridibus, adeò, ut jam invertere rythmum non vereamur:

*Hydrops, Quartana medicorum ſcandula nulla,*
*Dum miteſcit hydrops ipſa & quartana rigeſcit.*

## SCHOLIUM.

VAria amuleta contra morbum caducum à Medicis excogitata, variaque adhibita fuiſſe à Veteribus non ſine fructu, ipſe teſtis eſt Medicorum parens Galenus, qui radicem pœoniæ maris ob effectum in hoc laudabilem non parum extollit. Quod verò in noſtra regione non ſemper reſpondeat voto, quotidie experiuntur Medici, de quibus jam prolixius diſſerere inſtitutum noſtrum non eſt, ſiquidem de his ſatis prolixè egit Leopold. Imperial. Acad. Nat. Curioſorum Adjunctus meritiſſimus, Profeſſor Publ. in Acad. Jenenſi deſignatus D. D. Jacobus Wolffius in Tractat. de Amuletis, ad quem L. B. meritò ablegamus. Hic annulus in nonnullis adhibitus an naturaliter, an ſupra naturam egerit in patientibus, jam meritò quæritur? Si naturaliter, ille D.D. Birnbaumii ut major, majorem quoque contra epilepſiam poſſideret virtutem, maximique eſſet pretii, de qua tamen virtute mecum valde dubitabat prælaudatus jam Dominus Senior; Si ſupra naturam hujus fuerit effectus, verendum, ne ſub hoc lateat pactum implicitum Diabolicum, cujus ſcorpionis ſignum aliquam præbere videbatur indicinam, non obſtante, quod juxta Paracelſum in herbis, verbis atque lapidibus magna lateat facultas, de quâ tamen ſuum cuique relinquimus judicium.

OBSER-

## OBSERVATIO XL.

## D. JOH. GEORGII GRÜBELII.

# Fonticulus ſuturam inter coronalem & ſagittalem applicatus in cephalæa inveterata fruſtraneus.

NOn ſemper voto reſpondere in cephalæa inveterata fonticulum ſuturam inter coronalem & ſagittalem applicatum, quem alii commendant, vidua quædam Cizenſis *viginti aliquot* annorum, cujus nomen jam meritò reticeo, ſatis fuit experta. Cùm enim hæc à juventute dolore capitis maximo & catarrhô afflicta eſſet deſperato, illi varia quidem à variis pro malo hoc eradicando fuerunt præſcripta, quæ omnia tamen ob diſpoſitionem hæreditariam irrita eſſe videbantur atque fruſtranea. Inde ob oculos lippientes & dolorem capitis continuum, meum tandem implorabat conſilium, maximè conquerendo de irrito planè remediorum omnium hactenus adhibitorum uſu. Cui, re ita percepta ac probè ponderata, nil quidem remedii præſcripſi, fonticulum tamen in hoc affectu pertinaci coronalem inter & ſuturam ſagittalem poſitum, & ab aliis in hoc expertum, ut recommendatum haberet ſvaſor fui, quæ ipſa meo citiſſimè fuit audiens dicto. Fuſis ergo ad Deum cum parentibus ſuis precibus Chirurgum in hos ſatis expertum longoque diſſitum, adhibuit, qui in applicando ritéque ponendo hoc fonticulo ſatis aliàs periculoſo, erat feliciſſimus, cujus uſu poſtea tantum materiæ fuit indies evacuatum, quantum ſibi vix imaginari aliquis poteſt, idque tanto cum fœtore, ut huic patienti alii diu aſſidere non potuerint. Optimum ergò ex hoc naturæ conatu effectum ſperando, ultra decem ſeptimanas iſtum fœtorem toleravit patiens, fiduciâ erecta certiſſimâ, ſanitatem diu deſideratam materiæ peſſimæ expulſionem fore ſub-

ſecuturam. Spe verò fruſtrata & cum moleſtia ſuæ non ſatisfaceret expectationi, ſed omnia viderentur ruere in pejus, fœtorq; parentibus eſſet intolerabilis, fonticulum hunc abolevit, affectumque priorem in minimis non immutatum patienter toleravit. Ita nec generoſa ſemper ſatisque valida in morbis hæreditariis expugnandis Medicorum voto reſpondent remedia, ſæpiusque patiens cum Medico ſuo præter rationem defraudatur fine.

## OBSERVATIO XLI.

## D. JOH. GEORGII GRÜBELII.

# Apoplexia lethalis ex bregmatis hiatus, in ſeptuagenariâ majore, coaleſcentia oborta.

AD matronam nobilem Sibyllam â Meuſebach ſeptuagenaria majorem d. 20. Octobris 1680. requiſitus, ut in apoplexia fortiſſima auxiliatrices illi porrigerem manus, eques eò properavi, illamque in pago Götterlitz omni ſenſu ac motu privatam vixq; reſpirantem inveni. Inde omnia remedia in illa adhibenda eſſe fruſtranea judicavi, quod prognoſticum meum tertio die poſt, quô diem obiit ſupremum, fuit impletum, licet varia adhibita fuerint remedia. In qua notatu maximè erat dignum, quod bregmatis hiatus illi ſemper fuerit apertus, qui procul dubio genuina fuit cauſa, ut ætatem illa tam grandævam fuerit adepta. Semper enim ſe benè habuit, nullumque capitis dolorem obſervavit unquam. Brevi tempore verò ante illius vitæ terminum hanc partem membranaceam concreviſſe, & in oſſeam fuiſſe mutatam, tantamque calamitatem patienti attraxiſſe filia illius cum domeſticis fatebatur natu maxima. Notatu erat ulterius dignum, quod poſt hanc bregmatis occluſionem

mate-

materia ſeroſa aliquot dies ante ejus obitum per os tanta in copia effluxerit, ut non cubilia tantum eâdem fuerint maximè madefacta, ſed & ex eadem ſeri copia rivulus quaſi quidam fuerit formatus, quæ tamen materia parum moleſtiæ creavit patienti, ſed quo minus in domo hinc inde ambulare potuerit, non fuit impedimento, ſicut & inter ambulandum, at apoplexia fuit ex improviſo correpta; poſt obitum etiam maxima ſeri copia inde effluxit, quæ nervos comprimendô atq; obſtruendô vera hujus mali cauſa extitit, quam ſeri tamen copiam nullo in apoplectico aliò me offendiſſe memini, niſi in muliere quadam juvene, ex qua ob colliſionem capitis antecedentem eandem quantitatem ſeri fœtidiſſimi incredibilem effluxiſſe recordor, quæ tamen Deo benedicente, adhibitis in tempore remediis ab hoc malo feliciter fuit liberata.

Multo minus hanc partem capitis (quam fontanellam dicunt) in adultis membranoſam offendi, niſi in hac matrona, de qua tamen fatetur Th. Bartholinus Anat. Reform. l. 4. c. 6. ſe ſemel tantùm in viro 40; Bauhinus in fœmina 26. annorum hanc capitis partem adhuc membranaceam necdum oſſeam ſe inveniſſe dicit.

## OBSERVATIO XLII.

## D. JOH. GEORGII GRÜBELII.

# Hydrocephalus pro monſtro habitus.

HYdrocephalô laborantem nunquam vidiſſe plebem Neoſtadienſem ad Orilam, ſiniſtrum illius de hoc reſtatur judicium. Cùm enim Davidi Cramern annô 1675. die 19. Martii natus eſſet ex primipara ſua infans, cujus caput inſolitæ erat magnitudinis, hunc pro monſtro habebat quilibet ejus ſpectator. Ad hunc ergò die 25. Martii vocatus hydrocephalô illum laborare, non verò mon-

ſtrum eſſe dixi, licet hic affectus rarò obſervetur, & in infantibus utplurimùm ſit lethalis, quod paucis diebus pôſt illius teſtatus fuit exitus. Huic varia licet interna & externa applicarentur remedia, omnia tamen fruſtranea erant. Nec cruciformem in hoc, in occipite, ſuaſu Practicorum, inſtituere audebam ſectionem, ne hoc crudeli remediô illum occidiſſe viderer, quem morbus occidebat. Cauterio tamen potentiali ut aperiretur cutis, author fui, quod Chirurgus feliciter præſtitit, hinc ex facto foramine materia ſeroſa tantâ in copiâ effluebat, ut intruſam turundam iterum extruſerit, quâ nempe materiæ effluxum impedire conabatur Chirurgus, ne unicâ vice efflueret tantum, quantum aliàs diverſis vicibus eſſet emittendum. Aliquid enim ſpiritus vitalis in illa eſſe relictum, & ob id in nulla paracenteſi ſerum unicâ vice eſſe evacuandum uno omnes confirmant ore Practici. Hunc ergò cum Chirurgo viſitans, ſerum maxima ex parte evacuatum eſſe inveni, craniumque in ſuperiore parte ita diviſum, ut duos digitos intra cranii diviſi ſpatium aliquis interponere potuerit. Ex quo apparebat, ſerum hoc intra cranium latuiſſe prius, & per ſuturas ſimul cutem & totum caput ita repleviſſe, ut monſtrum potius, quàm partum naturalem repræſentaverit fœtus. Hujus ergò in partu contrectatam durius atque compreſſam fuiſſe ab incauta obſtetricis manu *tenellulam* calvariam maximus poſt partum ſtatim ſeri demonſtrabat cumulus, quem licet Chirurgus remediis prius exterius diſcutere tentaverit, omnia tamen irrita fuerunt atque fruſtranea. Dari autem hydrocephalum monſtroſum, Danorum ſidus Bartholinus affirmare non dubitat, dum à morboſo illo Helſingorenſi actionem ſympatheticam excludi haud poſſe cum Clariſſ. Friderico Hammerico aſſerit. Hæſiſſe enim refert, mulieri hoc fœtu gravidæ in fixa memoria infortunium, quod pridem ejus culpâ infanti Chirurgi acciderat, qui in lebetem ferventis aquæ demerſus paulo poſt exſpiravit. Hanc ergò uxorem graviditatis tempore aſpexiſſe inſolitum,

& per

& per imaginationem talem impreſſiſſe fœtui magnitudinem, plures aſſerebant mulieres. Veritati an fuerit conſentaneum ab ipſa puerpera explorare mihi haud contigit? De quô cum ſatis aliàs prolixi ſint Clariſſ. Leopoldin. Imperial. Academiæ Natur. Curioſor. Collegæ & Director meritiſſimus D.D. Schrôckius, nec non Helvvigius in obſervationibus ſuis (Vid. Medic. Septentr. Theophr. Boneti lib. 1. ſect. 2. c. 6. p. m. 23. & 24.) idem repetere hîc nolui, ſed Lectorem potius eò amandatum volo.

## OBSERVATIO XLIII.

## D. JOH. GEORGII GRÜBELII.

# Ex temeraria cruſtæ lacteæ cura totius naſi decidentia.

AD Juriſconſultum quendam nomine Knoch requiſitus, ut ſuo infanti cruſtâ lacteâ diu laboranti conſulerem, eò me contuli, infantemque non ſine maximâ commiſeratione aſpexi, utpote cujus naſus ab exulceratione materiæ corroſivæ erat planè abraſus delapſusque, quem ut iterum ſanarem infantis parens me per Deum rogabat, annexâ compromiſſione, me ſtatim torque aureâ in menſam poſita remuneraturum ſe fore, ſi in cura hac deſiderata aliquid commodi præſtarem, ſuum infantem adjuvarem. Aſt hoc poſtulatum ultra vires meas ſe extendere, omniaque remedia eſſe fruſtranea dixi. Ut caro enim emortua & ab alia vivente jam ſeparata iterum adnaſceretur, plane eſſe impoſſibile, imo nil ſupereſſe reliquum addidi, niſi ut Deum de infantis ἐυθανασίᾳ implorent, quæ præterlapſis tandem ſex ſeptimanis fuit ſecuta. Hunc pharmacopœus quidam nimiis ſudoriferis diu cruciaverat, materiamque hac ratione nimia in quantitate expulſerat, ratus, hoc modo optimè convaliturum fore infantem, cujus rationi peſſimus re-

ſpon-

ſpondit eventus. En fructus laudabiles pharmacopœi nimis naſutuli maxima digni remuneratione pro tam feliciſſima cura, ſcilicet!

## OBSERVATIO XLIV.

## D. JOH. GEORGII GRÜBELII.

## Ex halitu hominis vitæ revocatio.

HAlitum humanum plurimùm prodeſſe in morbis variis, variosque edere effectus, neque in operationibus chirurgicis exigui eſſe uſus jamdudum obſervarunt Medici. Ita in India Medicorum quandam reperiri ſectam, quæ morbos omnes ſolâ curat inſufflatione, refert Borellus lib. 3. obſ. 58. Sic Prophetæ olim in mortuos reſupinos ipſi proni in eos inſpirantes recumbebant. De quo halitu tàm phyſiologico, quàm pathologico ejusq; uſu, differentiis, noxa, deque fœtore alarum, pedum, aurium, narium & oris ſatis nervosè differentem vide D. D. Georg. Francum, aliquot Dnn. S. R Imp. Electorum & Principum Conſiliarium & Archiatrum meritiſſimum, virum infinitæ Lectionis ac judicii ſtupendi, in Diſſert. de Halitu humano, quam rem adeò exactè pertractavit, ut nihil ulterius illi ſuperaddi poſſe videatur. Unicum tamen ut hìc annectamus, adductamque ex Borello hiſtoriam illuſtremus, quam pro anili ſemper habuimus fabula, ubi nempe famulus quidam rure domum rediens & dominum ſuum mortuum inveniens illum diutiſſimè fuit exoſculatus, halitumque ſuum inſufflavit in os, quô ipsô revocavit in vitam, nobis anſam ſuppeditat illud, quod de halitu humano quondam obſervavimus, noſtrisque non ſine admiratione adſpeximus oculis. Cùm enim anno 1679. d. 24. Novembr. uxor quædam primipara feliciter peperiſſet, nihilque periculi jam eſſe reliquum putaſſet, tanta illam ex improviſo invaſit lipothymia, ut jam exceſſiſſe

ceſſiſſe è vita videretur. Nil enim audiebat, nil ſentiebat, ſed ut mortua jacebat ultra horæ quadrantem cum facie pallida, cumque pulſu vix ſenſibili. In his ergò anguſtiis vocatus, ad remedia in domo proxima reſervata propero, huicque citò propinare audeo, vix verò rediens en! ancilla in ſervitiis ſuis fideliſſima, in abſentia mea ſuperpoſuit ſe ſuper puerperam, huicque inſufflavit halitum ſuum in os, quô receptô mox illam revocavit in vitam. Uxor de ſomno quaſi profundo excitata quærit, quidnam illi jam fuerit factum? Nullius enim rei ſe poſſe recordari, ſenſusque omnes in momento fuiſſe extinctos dixit. Cui retuli omnia, quidve illi acciderit dixi, neque de conatu hoc ancillæ improviſo ſatisſatisque mirabili halitus effectu ſatis admirari potui. Hæc ergò de novo hujus remedii genere, deque inaudito conatu feliciſſimo à me rogata, ubinam hoc didicerit vel audiverit remedium? dixit, ſe Altenburgi ſimile exemplum vidiſſe, cujus reminiſcens, idem an ſemper ſuo reſponderet voto, ſe fuiſſe experturam, Ita enim Deum, pergebat, in Adami corpus inſufflaſſe animam, huncque inſufflandi modum etiam hominibus conceſſiſſe, quod in infantibus recens natis & jam pro mortuis habitis probè obſervarent obſtetrices, quæ illis in os inſufflarent halitum ſuum, quod vidiſſet in plurimis, neque hoc ſine ſenſibili quodam effectu. De hoc credat quod quisque velit, latere tamen aliquid ſingulare in halitu humano nobis adhuc incognitum, nemo facilè ibit inficias.

*[A. 1691. 22. Decembr. Dresdâ Noribergam miſſa.]*

# OBSERVATIO XLV.
## D. RUDOLPHI JACOBI CAMERARII.
## Ova Mercurialis ſubventanea.

HIſtoria ſeminum Mori, quæ Ova ſubventanea dicere libuit, Tomo Ephemeridum priori inſerta, uti ſolent rerum naturalium phænomena, ad ulteriorem ſui proſecutionem nos invitavit potius quàm ferendam præproperè de ſexu & Generatione plantarum, ad quam quidem illuſtrandam omnino facit, ſententiam. Quapropter an quod fortuita obſervatione deprehenſum fuerat, inſtituto quoque experimento confirmari poſſit in Plantis aliis, ſimili ſexûs diverſitate gaudere creditis, ſtudio tentaturus, ſub finem Maji è largo tenellarum Mercurialis plantularum, neglectim pullulantium, proventu binas ſelegi, cùm primùm differentiâ marem inter & fœminam (duplicem plantam, florentem & fertilem, ex ejusdem matris ſeminibus prodire conſtat) in ipſis agnoſcere liceret, occurrebant enim in parvulis jam ſigna futurorum aliquot teſticulorum ſeu ſeminum globularium (ſpica autem apicum florida exornat mares) ut hinc ad propoſitum perquam aptæ, & maturè ex reliquorum conſortio auferendæ viderentur. Et reſpondit eleganter eventus. Utut enim binæ transplantatæ procul remotæ ab omni aliâ Mercuriali, accedente diligenti culturâ lætè creſcerent, adeò ut poſt unum alterumque menſem cum ſociis quondam in horto liberè vegetantibus de magnitudine & perfectione certarent; utut inſuper ſucceſſivè ingens usque ſeminum numerus erumperet, quæ manifeſtum augmentum capiebant, turgebant, ad figuram & magnitudinem naturalem tendebant, inſtructa binis illis candidis filamentis parvulis, tenellis, criſpis, ſeu granulorum ſummo adhærentibus plumulis; Paucis, nihil ad perfectionem quàm maturans exſiccatio ultra requiri, aut quicquam deeſſe videretur: Nihilominus

minus ſemina hæc quicquid etiam promittebant, in medio tamen apparentis ſui complementi ſtatu ſubſiſtere, flaveſcere, corrugari, marceſcere cœperunt, ita ut è tanto numero ne unicum quidem ad plenam maturitatem & ordinariam globulorum duritiem perveniſſe deprehenſum fuerit, plantâ interim maternâ usque vegetâ & vigente, & nova protrudente ſemina, ſola quidem & absque ullis (aliàs totâ plantâ ſeparatis) apicibus. Plantula autem ſeminalis, quæ præcipuè attendi merebatur, dextrè & cum curâ toties & in tot granulis quæſita, nullibi ulla comparuit: Aderant quidem involucra ſeu ſecundinæ, ſed ut caſſæ & inanes veſiculæ, cùm tamen in medio pauxillæ albæ farinaceæ pulpæ elegans plantula tenera bifolia plana, quadrata ferè, in ſingulis ſeminibus horti alumnis (ibi enim promiſcuè & mas & fœmina creſcebant) facilè obvia inquirentium oculis ſe ſubjecerit. Si quo ergò jure, uti quidem non nullo cum Grevvio & Rajo id factum arbitramur, Seminibus Mori infœcundis & ſterilibus iſte titulus, Ova ſubventanea, quondã à nobis aſſignatus fuit, quid obſtat, quò minus ſimilia in Mercuriali deprehenſa ſemina eodem nunc inſigniantur? Enimverò dum hæc ſcribo, offertur modò Floræ Lugduno Batavæ Curioſæ Appendix, quam evolvens, præter Mercurialem noſtram Plantis Apetalis Diſpermis accenſitam & deſcriptam à vaſculis poſt ſingulos flores geminis, arctè invicem junctis, rotundis hiſpidis, ſingulis continentibus ſemen unicum, præter hanc, inquam, inter Polyſpermas relatam invenio Mercurialem ſpicatam ſeu fœminam Dioſc. & Plin præditam ſeminibus poſt ſingulos flores minutiſſimis, exilibus, vaſculis membranaceis, rotundis, parvis, incluſis. Cui officio nos poſteriora ſemina probabiliter deſtinaverimus, è dictis colligi poteſt; ulteriora tentamina, an eodem ſenſu idem ſeminis nomen & Granulis & Apicibus Mercurialis tribui poſſit, determinabunt.

[*Tubingâ 1691. d. 28. Decembr. Auguſtam Vind. miſſa.*]

## OBSERVATIO XLVI.

## D. GEORGII HEINTKE.

# Gypſum, cognatum Calci minerale, per Vomitum rejectum.

VIr robuſtus triginta & quatuor annorum ex Gypſi fodinis ſibi Vitæ ſuſtentationem quærens, cùm fodiendo, tundendo, cædendo occupatus, pulverem ſæpe excitaſſet, ut non ſaltem inſpirando illum hauriret, verùm etiam dum in caſis fovearũ illarum cibum caperet, non rarò pane reliquisque ferculis albo pulvere obductis veſceretur, potum inſuper atomis illis, urceo licet tecto, ſcatentem ſorberet ſæpius; monitus tandem, ut ſibi caveret, ne aliquando morbum ex incuriâ hac contraheret; gravem; ſed ſusque deque cuncta habens & aſpernatus, quam diu nihil mali ſenſit, ſalutaria monita, denique inopinato corripitur morbo. Hinc ad morem plebis purgationem in pharmacopolio poſcit, quâ in caſſum uſurpatâ, alteram & tertiam primæ ſubſtituit, quibus omnibus ſine operatione in corpore retentis, altero mane ſuaſu mulierculararum plebejarum coqui ſibi curat decantatam illam plurimorum panacæam, Tabacum, illius non exiguam ſumens quantitatem: hujus ergò aquæ herbâ iſtâ non paucis communi ſeu familiari imprægnatæ, dum potaſſet non levem hauſtum, enormes poſt ſemihoram ſequuntur vomitus ac ſi anima efflanda foret. Perluſtratâ poſtmodum materiâ rejectâ, ecce inveniuntur moleculæ ſeu particulæ gypſeæ, cum minoribus quædam avellanæ magnitudinem æquantes, tantæ duritiei, ut guttur, quod tranſierant, læſum, non parum ſanguinis ſtillaret, & quaſi lapilli per appoſitionem concreti inſtar Cretæ radi, nec digitis facile comminui potuerint. Quibus excretis ægroque refocillato, de facili omnis ceſſavit morbus.

OBSER-

## OBSERVATIO XLVII.

## D. GEORGII HEINTKE.

# Lumbrici morborum ſymptomatumque gravium cauſæ.

QUot & quàm atroces ſubinde è verminoſâ progenie ortum ducant morbi, plurimorum obſervationes Medicorum abundè docentes teſtantur. Nolo proinde multa præfari (quod ab aliis affatim præſtitum) de modo agendi harum beſtiolarum in Vitæ diſcrimen homines ſæpe præcipitantium atque inſectantium, partim mordicando, partim Virus ſuum eructando, putredinemq́ue magis magisq́ue inducendo. Saltim quæ in puero 8. cum ſemiſſe annorum non ita pridem ipſe obſervaverim, adducendi animus eſt. Is Viduæ pauperculæ erat filius, qui more morborum acutorum malignorumq́ue primum rigore correptus, inſequente mox ardore totius corporis cum ſiti ingenti, diarrhoêâ, viriumq́ue ſuppreſſione ſubitaneâ decubuit, matre remediis domeſticis fidente, quantum potuit, ſuccurrere miſello annisâ. Ille verò morbo in pejus ſemper ruente, tandem aphonus fit cum debilitate extrema. Conſternata ergò mater, ac ſi de filii actum eſſet Vitâ, lamentabunda ad me advolat, præſentiam Conſiliumque anxiè efflagitando. Accedens ſciſcitor de morbi initio, cauſis & progreſſu & quæ ad indagandum malum viſa ſunt neceſſaria. Cumq́ue ordinaſſem, quæ ſymptomatibus profligandis ars ſuppeditat medica, examinato, qui fuerat ante morbum, vivendi modo, facilè dijudicari licuit, vermium ſubeſſe cauſam, atque hinc unica hac ſequente formulâ ad binas doſes præſcripta coacervatim majores ac minores vivi pariter & mortui excreti ſunt lumbrici, cum manifeſtâ euphoriâ ægroti: rediit namq́ue amiſſa loquela, deſiit alvi fluxus cum priſtino æſtu,

& ſanus conſveta munia ſucceſſivè obire, ſicque DEO adjuvante de novo quaſi vivere cœpit. ℞. Aqu. Abſinth. ℥j. pulv. rad. Jal. el. ℈j. Mercur. dulc. gr. xv. Sem. Santon. gr. xij. Syr. de Cich. cum Rhab. ℥ß. M. D. S. Vid. etiam meritiſſimus de arte medica & in ſolidiori ſapientia aſſerendâ Antiſtes præclariſſimus D. Welſchius in Decadum Curationum ſuarum Decad. VII. Cur. I. ubi pag. 379. aphoniam à vermibus ortam & remediis anthelminthicis curatam ex Obſerv. Rumleri notat.

## OBSERVATIO XLVIII.
## D. GEORGII HEINTKE.
# Suppoſitorium Anodynum Dyſenteriæ periculoſiſſimæ remedium.

INter fœdiſſimos, juxta omnium, qui ærumnoſis hominum calamitatibus præſunt, calculum, non ultimus ſane morbus, nec raro lethalis eſt illa doloroſa Dyſenteria, viſcera reddens gangrænoſa, imò interdum ſphaceloſa ac ob id tantò periculoſius crudeliusq; ſerpens, quantò minus malo in tempore obviam itur. Multum verò imprimis negotii fideli faceſſit Medico, ejusque excruciat animum compatientem hydra iſta, quando ejusmodi ægrorum corpus morſicat ac in interiora eorum ſpicula figit, qui cuncta ejus antidota reſpuunt atque monitis contrarii ſunt ſingulis. Talis farinæ bini ſub curam meam eodem tempore venerunt elegantes ac teneri pueri, Viri apud nos merentiſſimi filii, alter 12. alter 6. præterpropter annos nati. Uterque eorum Clinicorum adeò abhorrens cujusque exſtitit Pharmaci, ut ne quidem mica aut guttula vel vi vel precario obtrudi illis potuerit. Tandem malui ambiguum potius in hac deſperatiſſima neceſſitate, quàm nullum experiri remedium, ſubſequens nempe ſuppoſitorium, recuſatis quippe enematibus, num fortè per illud

lud ſuccurri naturæ poſſet: ℞. Thuris, Myrrh. Croc. à ʒß. Opii thebaici ℈j. Vitell. Ovi & Mell. āā. q. ſ. M. F. l. a. ſuppoſit. D. S. ſuo nomine. Sed hoc quoque admittere ægrotus renuit, ac propterea denique apud ipſum infelix ſubſecutus fuit morbi exitus. Natu minor poſtmodum, me inſcio, ab adſtantibus ut idem admitteret perſuaſus annuit. Quo intruſo non diu pòſt pacata fuere omnia, ſomnus tam profundus ſubſecutus ad horas circiter 18, ut externa topica Spirituoſa pulſibus & naribus adhibita foveri & quantum licuit excitari eum oportuerit. Enimverò intumuit mox ejus abdomen, ob adhuc quædam excernenda ac flatuum inſuper retentionem, inprimis circa inguina, ut nolentes volentes tandem ad enema conſentire Parentes æquè ac puer decumbens coacti fuerint, quorum beneficio per Dei gratiam fomentatis ſimul partibus tumentibus, Orci faucibus miraculosè fere ereptus miſer iſte, quotidie in melius mutato morbo, ad maximum contriſtatorum Parentum ſolatium convaluit.

[*Windsheimio Noribergam M. Decembr. A. 1691. miſſæ.*]

## OBSERVATIO XLIX.

## Dn. Lic. JACOBI AUGUSTINI HüNERWOLFFII.

*De*

# Sacco abdominis, hydropem mentiente.

QUod alii in ætatis robore vix diu patiuntur, id anus edentula per ſex annos integros, & ultra ſuſtinet. Nimirum Barbara Mauers/ fullonis vidua Arnſtadii, 68. annorum, victu aſperô vitam tolerans, immenſi ventris portavit onus, & nemo adjutor ipſi fuit auxilio. Comperit hoc Illuſtriſſima Johanna Eliſabetha, Comitiſſa de Schvvartzenburg & Hohnſtein, Domina noſtra clementiſſima, & miſeratione commota per nuntiam promiſit pauperculæ gratiam & auxilium. Hôc autem concisô, non tàm hydrops,

drops, quàm ſaccus feculentus aniculæ adeô diſtendit abdomen, inque tantas duxit anguſtias, ut ipſa mali immedicabilis finem oraverit, quem etiam à dolore tandem victa reperiit. Efflatâ animâ, Illuſtriſſimæ Comitiſſæ juſſu cadaver præſentibus chirurgis aulicis examinavimus, & corporis ſuperioris partes penitus emaciatas, abdomen prætumidum, inque medio ejus ſaccum membranaceum grandem, poſticè vertebris lumbaribus, anticè & ad latera peritonæo vinculis craſſis annexum deprehendimus, ex quô materiæ craſſæ ſubflavæ, primò puri, deinde ſpermati ranarum non abſimilis libras viginti duas expreſſimus. In ſiniſtro ſacci latere, quò venter gravior cadebat magis, & durior, moleſtiorque ſemper erat in vita gerenti, ſex burſulas alias pilæ, quâ pueri ludunt, magnitudine, arctiſſimè connexas, limpidam aquam fundentes, & in fundo gelatinam albam tenacem relinquentes advertimus. Totus verò ſaccus inanitus cum appendiculis ſuis, & adhærente internâ mucilagine quinquaginta & unum pependit pondo. Inteſtina flatibus diſtenta, meſenterium multis parvis tumoribus ſcirrhoſis refertum, lien & hepar indurata & pallida, pulmo in dextro latere diaphragmati adnatus, crus ſiniſtrum tumidum & aquoſum, dextrum gracile vidimus. Hujusmodi paria annotarunt Chiron noſter *Decur. 2. Ann. 1. Obſerv. 183. Idem Decur. 2. Ann. 8. Obſerv. 23.* Celſus *Decur. 2. Ann. 8. Obſerv. 233.* Ruyſchius *Obſerv. Anatom. Chirurg. 27.*

## OBSERVATIO L.

## Dn. Lic. JACOBI AUGUSTINI HüNERWOLFFII.

*De*

# Alio inæquali, & lethali abdominis tumore.

Filiola textoris per annum ferè matris ubera ſugens, nec penum lactis digerebat, nec eundem comodè egerebat; hinc ſucceſſivè venter ejus tumefactus reſpirationem red-

didit

didit valdè difficilem, violaceas toti corpuſculo maculas impreſſit ſcorbutus, & febris tandem ſuperveniens vitam abbreviavit miſellæ. Defunctam verò cùm indulgentiâ parentum raptim diſſecuimus, grande foras erumpebat hepar, & pallidũ ſine felle, uncias quindecim cum dimidia ponderans. Ventriculus depreſſus, & cibario inanis erat. Meſenterium numeroſo glandularum, induratarum agmine refertum conſpiciebatur. Lien magnus, nigricans, durus & acutus, à quo ſiniſtrum latus tumuit vaſtius, decem unciarum pondere reſecabatur. Pulmo exſanguis, & exſiccatus ſicut infans erat totus, quia lien illi, & partibus cunctis fermentantem detraxerat ſanguinem, & ubique dominium occupante acidô viſcô, neglexerat officium. Opinionem ergò de incantatione mentibus anteà comprehenſam, lubentibus remiſere parentes animis.

## OBSERVATIO LI.

## Dn. Lic. JACOBI AUGUSTINI HüNERWOLFFII.

*De*

# Alvi excretione Sebacea.

VEntris cruciatûs, & epilepſiam lactis vitio, ab infantibus rejectis κάτω globulis pinguibus butyraceis, deſiiſſe: & ſolâ butyri abſtinentiâ pueruli maciem fuiſſe emendatam, *Decur. 2. Ann. 2. & 9. Obſerv. 152. & 198.* vidimus. Puella 13. annorum Arnſtadii, obturatum per aliquot dies, vaſtum & dolorificum præ ſe gerebat ventrem, ad alimenta quævis nauſeabat, difficulter reſpirabat, emaciabatur tandem, & vix valebat erigere membra cubili; Soliciti ergò parentes me conſulunt. Ventri imponuntur, me ſuaſore, lintea decoctô foliorum altheæ, baccarum juniperi, ſeminis lini, & anethi imbuta & expreſſa calidè, alterneq; emplaſtrum de baccis lauri, oleo philoſophorum malaxatum. Intra corpus ſimul datur per vices portiuncula electuarii hy-

dragogi Sylvii, & brevi ultra viginti conulos pingues ſebaceos, fructus dactyli oſſibus majores minoresque, aquæ fervidæ injectæ liqueſcentes, excrevit ægrota, convaluitq; ſenſim. Cauſa me latebat; ſciſcitabar patrem, num crebrò filia pinguibus fuerit uſa? id verò neſciebat ille, & hæc negabat. Interim vix aliam generati ſebi, & tantæ læſionis cauſam, quàm eſum pinguium in coli cellulis congeſtorum ſenſim, & agglutinatorum dicere potui, aliô perſtante etiam in hac ſententia Medicô. De pinguedinis & ſebi excretione per vomitum & urinam legimus *Dec. 1. Ann. 3. Obſerv. 253. Dec. 2. Ann. 7. Obſerv. 183.*

## OBSERVATIO LII.

### Dn. Lic. JACOBI AUGUSTINI HüNERWOLFFII.

*De*

# Plebeis ad dyſenteriam remediis.

MIlle ad valetudinis infirmitatem dari occaſiones, annô experti ſumus præteritô, cùm præter petechias, morbillos, variolas epidemias, dyſenteria corrupit hîc & in vicinia plurimos. Primò magnæ ſunt coortæ cœlo & terra tempeſtates; deinde multis in locis interiére ſationes, pecudes; acrior denique expilavit penaria miles. Popellus igitur fruſta panis cœrulei mucida ex jure acido relicta comedens, vitamque omnium calamitatum confertam contemplans, os flectebat in mœſtitiam, & animi ictus acerbi panes cum cruentatione imo ſuggerebant ventri. Quid tùm hâc durâ agebatur ſorte? cruciati implorabant perturbatâ mente à nobiliſſimâ quadam matrona auxilium, quæ cruentam hanc excretionem albi græci pulvere, delicatis impare labiis, cum cereviſia chalybeata exhibito, feliciſſimè curabat. Ejusmodi verò efficacia haud dubiè oſſibus â cane devoratis, & in ventre ejus præparatis, acidum temperantibus, accepta refe-

referenda. Venator in diverſorio etiam offendens dyſentericos, eosque videns ignobile iſtud reſpuere remedium, de pileo ſuo detraxit millefolium & hederam arboream, hujusq; raſuram tenuem, illiusque flores tenuiſſimè inciſos exhibuit cum oleo olivarum, & ſanitatem reddidit iisdem. Siccat enim & detergit hedera, dolorem lenit oleum, & alvum firmat millefolium; His poſtmodum nullô adjectô aliô, multos ex plebe, à dyſenteria liberatos fuiſſe novimus. Magnô enim plebs mittit ab aliis empta pretiô, contenta juvantibus licet ſordidis, ipsô aurô pretioſioribus.

## OBSERVATIO LIII.

## Dn. Lic. JACOBI AUGUSTINI HüNERWOLFFII.

*De*

## Strumarum curatione transplantatoriâ.

JUvenis quidam ſtrumoſus, ambiens puellam cupit nuptias; hæc verò ob colli turpitudinem amatori non reſpondet in amore; proin diu, ſed fruſtrà Chirurgorum utitur ope. Poſthæc opilio ipſum inſtruit arte ſecretâ, ab aliis etiam non incaſſum adhibitâ, quæ vicit malum, & nunc lætiorem de amica fecit procum. Primô ſcilicet Vere in manibus & pedibus ille reſecuit ungues, & mane ſub obſcuro abiit ad ſalicem procul urbe remotam, inque eam perterebratam ſegmenta recondidit unguium, & clauſo ad amuſſim foramine cuneolô, de loco ceſſit. Sic tandem crevit ex arbore ſalus, ſenſimque decrevit turpis ſponſi ſcrofula.

## OBSERVATIO LIV.

## Dn. Lic. JACOBI AUGUSTINI HüNERWOLFFII.

*De*

# Orthopnœa in ſene curata.

DOminus Joh. Meie, ſexaginta aliquot annorum, Arnſtadii ad juniperum caupo, menſe Octobri, aſperô ſpirante boreâ, corripitur laſſitudine ſpontaneâ, cibi perit appetentia, ſpirandi emergit difficultas & tumor pedes occupat œdematoſus. Confugiebat vir bonus ad Medicos, hodiéque conſulebat unum, cras alterum, & interdum plus confidebat aniculis medicatricibus, donec auctâ humorum circulantium aciditate & viſcoſitate major tubulorum pulmonalium fieret coarctatio, unde crebrò & erectâ cogebatur reſpirare cervice, ſudore manante frigido. A me tandem petiverunt opem. In paroxyſmo igitur, meô juſſu, ſpiritus ſalis ammoniaci vinoſus cum oleo caryophyllorum per intervalla brevia naribus admotus, linguæ affrictus, ori guttatim cum aqua calida ad deglutiendum infuſus, unaque frictiones pedum, brachiorum, pectoris cum linteis inſtitutæ calidis, aperiendo & reſolvendo, ſedenti conduxere ſuſpirioſo. Linxit extra paroxyſmum idem etiam ovi luteum, ſpermate ceti, crocô, & ſpiritu cinamomi mixtum, & ſorbillavit interdum unam & alteram potûs thee patellam. Clyſter acris alvum ſui admonuit officii, & pulvis radicis gialapii cum ſale abſynthii aſſumptus in juſculo calido, viſcidam corpori ſubtraxit ſaburram. Continuata frictio, & ſaponis nigri cum viridi ruta contuſi, aridique muſci de quercu, alterna impoſitio, contumacem pedum unà ſuſtulere tumorem. Altiſſimum ergò pro ſalute nova, devotô pectore noſter laudavit orthopnoicus.

[ *Arnſtadio Noribergam d. 12. Januar. 1692. miſſæ.*]

OBSER-

# OBSERVATIO LV.
## D. ERNESTI SIGISMUNDI GRASSII.
## Andria Sileſiaca.

ABerrantis Naturæ in formatione partium Hominis genitalium atque ambigui ſexûs exempla dedêre obſervationes 203. & 253. Anni ſecundi, 168. Anni Tertii, 8. Anni octavi Dec. I. & 75. Anni Tertii Decur. II. Jam verò in ſcenam produco Hermaphroditū primò quidem Maritum, tandem verò puerperam. Rem omnem enarrabo verbis latinitate donatis, prout in Hiſtoriâ MStâ inclytæ Gentis Gersdorffianæ legitur, ſed antiquiſſimarum Familiarum nominibus lubens parcam. Anno 1405. in Nobili Domô Hohe Gerßdorf / non procul à vetuſtâ & nobili ad radices Sudetorum per Ducem Bolconem extructâ Arce Fürſtenſtein Nobiliſſimus Eques Melchior de N. annos natus 23. & thorô junctam habens Gersdorffiam, puellam benè formatam peperit, Annæ Mariæ nomine in Sacrô Fonte inſignitam, & in præſentiâ multorum ex præcipuâ Nobilitate confeſſus eſt, ſe ebrium â quôdam de Z. quem aliquando Svvidnitii unô in lectô habuerat ſocium, inter voluptuarios cum ipsô jocos ludosve fuiſſe imprægnatum. Partum habuit laborioſum nec infantem lactare potuit. In viſitatione Hermaphroditus inventus fuit, & quamvis conformatio partium ipſius Genitalium adeo comparata eſſet, ut magis de ſexu ſequiori quam virili teſtaretur, attamen rationem affert Autor, cur in Baptismô pro puellô fuerit habitus, quia per colem viâ ordinariâ emiſerit lotium. Puerperium hocce ridiculum atque inſolitum Uxori Nobiliſſimæ anſam dedit, ut cum Marito publicè jam effœminatô divortium faceret, quo factô deinceps Nobili de Salzâ nupſit; â Rom. Imperatore Sigismundô in taciturnitatis & fidei ſervatæ præmium per Nobilem Sileſium Bernhardum de Zedlitz nuptiali munere amplô clementiſſi-

mè honorata. Accuratior membrorum generationi dicatorū Androgyni noſtri deſcriptio quidem non additur, unde dignoſci poſſet, num utrôque ſexu æquè valuerit. Interim tamen haud leve argumentum virilitatis affert, tum mammillarum muliebrium procul dubiô defectus, cum lacte ad alendum infantem neceſſariò caruerit, tum præcipuè præſentia penis ejuſque perforati, unde & uxorem ducere non dubitavit. Qualecunque ergò dubium videtur relinqui, num ſtatui poſſit, veros Hermaphroditos utroque ſexu fœcundos non dari. Ancilla illa androgynos Tholoſana, de quâ in Act. Erudit. Lipſ. A. 1688. M. Apr. p. m. 228, præter Vultum muliebrem & Mammas ſat pulchras prædita erat membrô Virili benè formatô, per quod non tantùm Urina & ſemen ſed & ipſi Menſes prodibant, ſed tamen Viri tantùm munere egregiè, fæminæ autem nequaquam defungi poterat.

## OBSERVATIO LVI.
## D. ERNESTI SIGISMUNDI GRASSII.
# Conceptus prodigioſus.

CONceptûs & Partûs inſolitos tum alibi paſſim tum in Ephemer. Germ. N. C. Dec. I. A. I. Obſ. 108, 109, 110, & Dec. II. An. IV. app. p. 186. & 193. An. VII. app. p. 156. A. VIII. Obſ. 134. & 157. non ſine admiratione legere eſt. Sed horum omnium Matrices licet præternaturales, tamen erant cavitates quædam corporis, ubi fœtum aliquem ex congruo ſemine formari poſſe qualiſcunq; tandem adhuc erat probabilitas. Verum enim verò in carne muſculosâ uterum effingi, in eôque fœtum humanum ex nullô præexiſtente ſemine, ea quidem ſtuporis pleniſſima res eſt, & omnia de viribus imaginationis exempla, ut opinor, longò poſt ſe relinquit intervallô. Schmidebergæ, Ducatus hujus Jauroviensis oppidô montanô, paucis ante Reformationem annis

nis vivebat quidam Gregorius John, Vir pius & Faber clavarius, qui viduus & jam ſenex, omnibus prioris conjugii Liberis è familiâ ſuâ jam dimiſſis, ad ſecunda vota transibat, & uxorem ducebat Virginem aliquot 30. annorum, ut haberet quæ meliorem ætatis ſuæ jam provectæ, & commoditatum curam gereret. Conjugium hocce erat pacificum ſed ſterile. Cùm verò uxor procul dubiô prolem impenſius deſideraret, cui generandæ ſilicernium illud effœtum non erat, tandem evenit, ut fæminæ tumor in ſiniſtrâ colli parte inſtar ſtrumæ oblongæ oboriretur, qui indies augeſcens & doloribus tandem comitatus acerbis, quietem, neque diurnam neque nocturnam, vix concedebat. Graviter ſic afflicta, in defectu Medici, Paſtorem loci Dn. Georgium Wernerum conveniebat, ut conſiliô ſibi adeſſet, ſed in vanum, nam omnis medicamentorum applicatio exoptato carebat effectu, donec lecto affixa firmiter ſibi perſuaderet, vivum aliquid in tumore contineri, proindeque à prædicto Domino Paſtore contenderet, ut poſt obitum ſuum tumor iſte aperiretur. Hic ergò ut poſteà defunctæ petito gratificaretur, adſcitis duobus Scabinis, per Chirurgum tunc temporis Hiobum Clementem ſecari curabat tumorem, & cum ſummâ admiratione inveniebatur Fœtus humanus medii digiti longitudinem largiter æquans, in quô Cranium, manûs & pedes optimè diſcerni poterant, & qui alimentum â mammâ ſiniſtrâ acceperat. Fœtum hunc prænominatus Dn. Paſtor ſecum recipiebat, & benè exſiccatum in ſcatulâ recondebat, cujus jacturam deinceps ſecuta Reformatio hincque proveniens domicilii mutatio peperit. Hiſtoriam hanc tanquam teſtis oculatus Schmidebergâ 21. Decembr. 1689. idiomate germanicô & propriâ manu perſcripſit Vir integerrimus & fide dignus Dn. Chriſtophorus Wernerus Vectigalium Cæſarean: Collector, & præfati Dn. Paſtoris filius, qui ſeptuagenariô major ſuperiori annô deceſſit. Quamvis vero de veritate rei minimè dubitandum ſit, dolendum tamen, quod, procul dubiô ex defectu

Scien-

Scientiæ Anatomicæ, plenior & accuratior deſcriptio non fuerit addita, tum fœtûs ipſius cum ſuâ matrice, tum præcipuè ductûs illius lactiferi à mamillâ ſiniſtrâ ad fœtum derivati.

## OBSERVATIO LVII.

## D. ERNESTI SIGISMUNDI GRASSII.

# Bezoardicum Martiale Reguli Parergon.

NObiliſſimi hujus pariter ac efficaciſſimi Medicamenti in utrâque viâ conficiendi Proceſſus, quos vocant, quamplurimi leguntur apud celebriores Rerum Chymicarum Scriptores, quos omnes quidem hic compilare meum non eſt. Nec animus mihi eſt aliis perſuadendi, quòd modus ille, quem in hâc Obſerv. recenſebo, omnibus aliis ſit anteferendus. Sufficit quod ob intimiorem Martis reſolutionem hæc laudatiſſimi medicaminis, quam caſu, dum alieniſſima ab hoc rimabar, nactus ſum, elaboratio mihi præ aliis placeat. Ex reſiduô certe unicuique veritas facile patebit. Nam dum alibi finitô labore Martis tandem limaturæ portio remanet, quod nec celeberrimus Chymiater D. Ludovici Ephem. Germ. Dec. I. An. 8. Obſerv. 65. p. m. 109. diffiteri poteſt & ipſe experientiâ frequente didici; ita hîc non relinquitur aliud niſi limus quidam nigricans, & elutriatione ſubtractus, delicatiſſimus pulviſculus intenſiori colore gaudet, quam aliàs vulgò habetur. Modus haud eſt difficilis, ne dicam compendioſus. Dum enim in alios uſus conficitur Regulus Martialis ex Antimon. Ungar. ℥xv. Limat. Martis ℥ivß, Salis Tartari Nitrat. ℥ix, Scoriæ remanent nigerrimæ, quibus pulveriſatis, & cum triplô pulv. Nitri exactiſſimè miſtis & l. a. detonatis tandem poſt edulcorationem & ea quæ ad operis complementum fieri decet, reſultat Bezoardicum Martiale egregium, efficax & ſaturatum Cinamomi colorem referens. Eædem Scoriæ, ſi aliquandiu libero exponantur aëri,

deinde

deinde omne Sal & Sulph. elixivietur, Sulph. Acetô deſtill. præcipitetur. Acet. deſt. affundendo ad punctũ ſaturationis uſque, & tandem ulterius procedatur ut artis eſt, largiuntur Terram foliatam Tartar. cum ſubtiliſſimô Antimonii Sulphure combinatam usûs certè haud contemnendi.

## OBSERVATIO LVIII.

## D. ERNESTI SIGISMUNDI GRASSII, Flores ſulphuris ſimplices ſupervacanei.

JAmdudum fuêre, qui arbitrati ſunt, quod floribus Sulphuris in Praxi carere poſſimus, cum arſenicalis illa impuritas, ſi qua ſubſit, per Sublimationem, quin ſimul aſcendat, præcaveri minimè poſſit. Adeoque pro earum in contractiori apparatu retentione illud ſolummodo argumentum reſtare videretur, quod hôc pactô ea particularum Sulphuris ſubtilitas acquiratur, quam per ſimplicem pulveriſationem ſperare nequeamus, ſicque Sulphur majori cum efficaciâ aliis medicamentis admiſceatur in floribus quâm in pulvere utpote minus ſubtili. Sulphuris certè pulveriſatio difficilis & tædioſa eſt, ob particularum ejus hamoſarum & ramoſarum conglomerationem & adhæſionem cribri foraminula mox obturantium. Sed huic difficultati Cellæ frigus facile mederi An. præteriti Menſe Octobr. caſu experiebar. Nam dum Sulphuris pulvere in copiâ opus haberem, ac ille, qui ad manus erat per cribrum rarioris texturæ olim trajectus, partimque in Camerâ quâdam, partim in Cellâ hactenus aſſervatus groſſior eſſet, quam ut uſibus deſtinatis commode inſervire poſſet, novam per denſiorem telam cribrationem inſtituendam curavi. Cum verò hæc pro more minus ſuccederet, præter ſpem deinceps animadverti, illam pulveris partem, quæ diu in Cellâ recondita fuerat facillimè & ſine glomis vel adhæſione promtè tranſire, ita ut pulvis hic per cri-

brum excuſſus ipſis floribus quoad tenuitatem palmam dubiam reddere poſſet. Levior quidem eſt hæc obſervatio, quod lubens fateor, quam ut hîc referri mereatur, ſed cum ſuo qualicunque uſu non deſtituatur nec faciliori modo æque ſubtilis Sulphuris pulvis obtineri queat, oblivioni non erat tradenda.

## OBSERVATIO LIX.
## D. ERNESTI SIGISMUNDI GRASSII.
## Sudor viſcidus & ſalutaris.

SEnator decrepitus, Dn. P. K. qui multa pertulerat in bello Suecô-Germanicô, quartanâ aliquando laboraverat per annos duos cum ſemiſſe, colicâ deinceps diu multumque afflictus, tandem Ann. 1680. Menſe Julio incidebat in Urinæ ſtillicidium cum atrociſſimis doloribus conjunctum. Urinæ incontinentia, ſitis, Virium proſtratio, alvi obſtructio, Spaſmus vagabundus, & pedum ſtudioſiſſimè licet multis integumentis munitarum frigus quaſi intolerabile aderant. Præ omnibus vero dolor prædictus cum Urinæ incontinentiâ quam maximè urgebat. Quandoque pedes tam ſubitò intumeſcebant, ut tibialium vinculis, nî repentè ſolverentur, ruptura immineret. In fundô Urinæ obſervabantur vermiculi viventes, ſimiles melderis, ut vermiculos in caſeô genitos appellat Jonſt. Hiſt. N. de Inſect. l. 3. c. 2. a. 2. p. m. 136. Præter emplaſtr. de Hyoſcyamo lumbis applicatum, exhibui eô, quô vocabar, die 3. nempe Jul. veſperi pulverem ex pulv. abſorb. Exc. DD. Wed. gr. xv. Succ. alb. præparat g. v. anod. (cujus gr. iv. extr. opii, g. j. continent.) g. vj. cum aliquot gutt. liquoris nervini caſtoriſati & camphorati, unde dolor omnis cum urinæ incontinentiâ eâ nocte ceſſavit, alvi & veſicæ excretiones ritè ſucceſsêrunt, & ſudor copioſiſſimus cum evphoriâ erupit, ſed adeò viſcidus, ut ex poris protruſus vix defluere poſſet, qualem aliàs nunquam nec ipſe expertus erat

nec

nec ego poſtea obſervaſſe memini. Sub continuatione medicamentorum convenientium brevi poſt convaluit & aliquandiu ſupervixit.

## OBSERVATIO LX.
## D. ERNESTI SIGISMUNDI GRASSII.
# Ecchymoſes notabiles.

NObiliſſima D. de T. aliquot 30. annorum, variis ſymptomatibus hyſtericis & hypochondriacis diu admodum afflicta, tandem Ann. 1689. graviter decumbebat. Guſtus ferè abolitus erat, ut nullum alimentorum ſaporem, Oleum verò Cinamomi linguæ inſtillatum vix parum ſentiret, qui tamen binis vicibus aſſumtô medicamento Cathartico ad paucas rediit horas. Fluore albo jam diu laboraverat, & humorem excernebat, acrem, erodentem, viſcidum, flaveſcentem & virideſcentem, quin, prout ipſa mihi retulit, nonnunquam crepitus ex ipſis muliebribus erupêre. Nauſea incredibilis ſemper aderat cum dolore & inflatione ventriculi inſigni, & ſi quandoque nonnihil remitteret gravis ſuccedebat cordis palpitatio. Sed cæteris omiſſis illud præcipuè mihi hîc loci memorandum eſt, quod dum die 25. Maji, ſumtô pridiè emeticô, ſacculus ex Fol. menthæ criſpæ viridibus conciſis in Vinô & Aquâ ſ. coctus regioni ſtomachali mane imponeretur, in cute, quousque ſacculus pertingebat, perfectiſſima Ecchymoſis fuerit ſuborta, & veſperi remotô cataplaſmate, iterum evanuerit. Sequenti die aliô pulmentô ex menthâ, medullâ panis & aromatibus in vinô & acetô vini coctis iterum applicatô, eadem quidem in cute apparebat ſuggillatio, ſed mitior nec tamdiu durabilis. Obſervatio hujus phænomeni inſoliti nobiliſſimam Ægrotam ad narrationem ſequentis hiſtoriæ tunc invitabat. Domina Mater ipſius atrophiâ & tumore inſtabili molli & œdomatoſo modò hanc modò illam corporis totius partem invadente, per annum cir-

citer affecta, 14. ante mortem diebus in profluvium alvi frequentiſſimum & lethale flaveſcentis & viridis materiæ inſtar graminis conciſi cum ſummô tandem dolore & tenesmô, incidebat. Pridie diei ſupremi dolores & cruciatûs Inteſtinorum erant exquiſitiſſimi nec ſine motibus convulſivis, ſuccedente mox pedis totius ſiniſtri ad iſchion usque dolore, paralyſi, & Ecchymomate. Ipsô die lethiferô horâ. 1. ante mortis adventum totum plane corpus, exceptâ facie quæ flaveſcebat, adeò ſuffundebatur ut videretur livore tinctum. Sed cum morte omnia confeſtim disparuêre, relictâ, ut in vivis fuerat, cute candidiſſimâ.

Anno MDCLXXXVII. Menſe Januariô Nobiliſſimus & Generoſ. Dn. de L. poſt graviſſimum Catarrhum dolore iſchiadico lateris dextri infeſtabatur eôque tam atroci, ut omnium ferè anodynorum vim eluderet vel aliquot ſaltem horarum inducias nonnunquam concederet. Ipſum Veſicatorium magnum loco affectô applicatum ad duodecim circiter tantum horas, donec ſcilicet operatio ejus finiretur, levamen attulit. Dolores inceperant in regione lumbari, exinde ulterius ad coxam, femur, crus & imum pedem progreſſi. Urentiſſimus verò dolor in ſuræ parte ſilveſtri reſidebat. Exactis ſic quatuordecim circiter diebus, 1. Februar. in balneum ex decocto ericæ, origani, chamæmeli &c. dolorum ſummâ tunc acerbitate eò compulſus, cum inſigni levamine ſe immergebat, deinceps utrumque pedem, V. S. jam antea incaſſum celebratâ, ſcarificare curabat, exiguò quidem in pede dextrô ſucceſſu, cùm acies phlebotomi cutem difficulter penetraret, es war als wenn man auf einen Peltzfleck hieve/ quô peractô mox balneum prius repetebat, inque eô ſat diu commorabatur. Calido lecto redditus poſt brevem ſomnum ſentiebat pedem intumeſcere & in parte externâ à poplite ad malleolum uſque externum, latô ſatis ambitu, colore ſanguineo pingi cum inſigni pruritu. Poſterô die color aſpectu horridus multò magis, ad purpuram & livorem usque, cum ipsô pruri-

pruritu intendebatur, ipſique lumbi, unde dolorum exortus, per transverſum mitius tamen ſuggillabantur, doloribus interim inconſtanter pedem & minori multò cum ſævitiâ pervagantibus nec amplius urentibus. Septim. Febr. cutem quoque coxam inter & poplitem pruriens ſuggillatio ſed levius paulò invadebat; ut adeò omnis dolorum tractus purpuram hanc ſalutarem, diversâ tamen pro differenti doloris gradu coloris intenſione, induerit. Lætam tandem his omnibus Cataſtrophen imponebant ſudorifera volatilia, præcipitantia, nervina Zinabarina, externè verò emplaſt. Diaſulphuris M. O. diligenter continuata, Ecchymoſi tamen multò citius præ dolore ſublatâ, die ſcil. 10. Febr. quô pedi affecto 6. vel 7. cucurbitulæ ſcarificatæ cum largô ſanguinis profluviô adeoque feliciori quam prius eventu, affigebantur, idque iterum poſt adhibitum ſemicupium.

[*A. 1692. d. 12. Januar. Jauerâ Sil. Auguſtam Vind. miſſæ.*]

## OBSERVATIO LXI.

## D. MARCI GERBEZII.

# Siliginis pluvia.

- - - - *Quantum eſt in rebus inane!*

REferebatur nobis elapſo præteriti anni MDCXCI. menſe Martio per literas ex Carinthia in Villaci urbis vicinitate ad dicti menſis principium obortâ repentè horrendâ quâdam tempeſtate, ventorum vehementiâ omnia quaſi ſusque deque evertente, inter imbres, grandinem & nives quoque frumentum quoddam, quod ſiliginem putabant, depluiſſe, & in copia quidem tanta, ut quis ejusdem etiam notabilem quantitatem colligere potuiſſet. Res, quæ noſtris hominibus tantæ admirationi fuit, ut per plures ſeptimanas vix alius in eorum ore fuerit ſermo, quàm

de iſto frumento, aliis eorum neſcio quid mali, ſterilitatem nempe futuræ æſtatis inde ominantibus, aliis fertilitatem. Ego, ut fatear, ſimplici narrationi imò & literis ipſis fidem difficulter adhibui, utpote ſciens quanta ſit, & quàm facilis hominum tum credulitas, tum fallacia: ne ſolus tamen ſapere viderer, nolui eis abſolutè, & palam refragari, præcipuè, quòd recordarer ex D. Philippo Jacobo Hartmanno in appendice Ephem. Nat. Cur. Dec. II. Anni VIII. ſimilia prodigia jam ſæpius tum in Gallia, tum in variis Germaniæ locis, quin imò teſte Thuano l. 5. hiſtoriarum ad annum 1548. in dicta ipſa Villacenſi vicinitate reverà contigiſſe: *In Carinthia,* inquit, *non longè à Clagenfurto & Villaco Oppidis X. Calend. Apr. horarũ ſecundo ſpatio, per duo amplius milliaria annonam pluit, ex qua regionis Incolæ optimum panem confecerunt, qui ad Cæſarem cum granis ſiligineis cœlo delapſis perlatus, & ſummâ admiratione conſpectus eſt.* Interea tamen dubius de veritate intra me tamdiu permanſi, donec tandem à Patribus Capucinis mihi aliquot grana de illo ipſo frumento, quod Villaco eis transmiſſum, tanquam de cœlo delapſum, erat, communicata fuêre. Quæ examini ſubjecta quoad externam quidem formam frumento cuipiam præcipuè ſiligini non omnino abſimilia videbantur, utpote oblonga ſicut ſiligo, cuſpidata, glabra, & ex uno latere nonnihil compreſſa, quoad ulteriora tamen tantam diſſimilitudinem habebant, ut ea nemo quid tale eſſe, dicere præſumpſiſſet. Quoad colorem enim externum ad rubrum & fuſcum vergebant, cum tamen ſiligo ſat lucida ſit, quoad ſaporem auſteritatem, aſtrictionem, & aliqualem acerbitatem præ ſe ferebant, cùm tamen ſiligo ad guſtum inſipida ferè ſit, & potius ad dulcedinem quamdam tendens, ipſa etiam pellicula exterior erat, quàm in ſiligine, ſpiſſior, & interna medulla durior, & minus friabilis, imò & minus alba, moles ipſa granorum exilior & brevior, ut adeò manifeſtum ſatis fuerit, dictum illud frumentum ſolùm putatitiam aliquam, & non veram ſiliginem fuiſſe, conſequen-

ter

ter tantam, quanta inter vulgus erat, admirationem non meruiſſe. Quid abſolutè tamen fuerit pro tunc determinare nondum potui, ſperabam me id tamen fortè futurâ æſtate, cum omnis generis ſeminum copia major daretur, deprehenſurum.

Sed ecce! rectè illis diebus, quibus cum iſto frumento circumirem ad viſitanda more ſolito Urbis hujus Labacenſis pharmacopolia cum Excell. Dn. Andreâ de Coppinis, & Paulo Qualiza, utroque hujus Provinciæ Carnioliæ Phyſico ord. Viro expertiſſimo, Collegâ, & Amico meo ſingulariſſimo ab inclytis Dominis Dominis Deputatis delegor, adeoq; occaſioné, quæ mihi tamen prius non occurrebat, omnis generis ſemina perſcrutandi nanciſcor. Nec ſine eventu; quamprimum enim ad berberum acinos devenimus, mea illa à Patribus Capucinis comunicata grana iſtis quàm ſimillima agnovi, & talia omnino eſſe præter externam formam præcipuè ex utrorumque eodem ſapore indubius deprehendi, atque eis poſtmodum, qui dicta grana ſiliginem eſſe prius contendebant, tale quid non eſſe, ſed potius berberum acinos evidenter demonſtravi. Solùm adhuc dubium ſupererat, quânam vi ea ad nubes deveniſſent, num naturali aliquâ, divinâ, aut magicâ, & num aliquid ſpeciale portenderent? Ad quæ verò Ego eis rurſus repoſui, id naturaliter contigiſſe, adeoque etiam ſpeciale nihil portendere: ſicut paleæ, aut plumæ à violentiore aura in altum quandoque etiam ultra domorum tecta abrepta ſpeciale nihil portendunt. Quod tamen difficulter conceptu videbatur quibusdam, eorundem gravitatem ſimili ventorum violentiæ reſiſtere oggerentibus. Verùm dixi ea per hyemem marcida facta per antecedentem dictam tempeſtatem, intenſum, & quaſi æſtivum ſolis æſtum, ſolitam ſuam gravitatem utplurimum amiſiſſe, & poſito etiam, quod eam retinuiſſent, eam tamen tantam non fuiſſe, quæ à tantâ ventorum violentiâ, quam ſæpè ſaxa volvere, annoſas quercus è terra radicitùs evellere, equites de equis deturbare, vel

re, vel equos unà cum ſuis oneribus, quemadmodum in Carſtio Carnioliæ monte non ſemel videre fuit, abripere, fluctus in mari ultra quascunque naves montium inſtar elevare, ingentia ædificia demoliri, ac tandem integras Provincias in terræ motu concutere ſcimus, ſuperari non potuiſſet. Ut adeò plus quàm probabile ſit, ſimile quid & in dictorum acinorum in aërem raptu accidiſſe, qui poſtmodum remittente nonnihil illo ventorum impulſu ſponte ſuâ cum pluvia, nivibus, & grandine, ita, ut à ruſticis ſupra pileos, & in terra colligi potuerint, deciderunt. Et hæc de ſiliginea illa Villacenſi pluvia. Ad cujus modum probabile eſt, & alias ſimiles, quas tanquam inſolitas ſuis libris inſeruerunt Authores, pluvias accidiſſe; nimirum quod materia earum conſtitutiva vel à vehementioribus ventis fuerit in altum abrepta, & alicubi rurſus demiſſa, vel quòd à ſolis vi attractiva fuerit ſurſum unà cum vaporibus evecta, & cum iis in aquam condenſatis poſtmodum rurſus demiſſa, id quod in pluviis illis, quas ut ſulphureas admiratur quandoque vulgus, contingere teſtis eſt Elsholtius Ephem. Nat. Cur. Dec. I. anni VI. obſ. 87. à quibus tamen relictus ille flavus in aquæ canalibus & terra color non ſulphur eſt, ſed potius pulviſculus flavus ex muſco terreſtri clavato excuſſus, unà cum vaporibus in aërem â ſole attractus & poſtmodum cum eis in aquam condenſatis rurſus ſub pluviæ forma demiſſus. Similem pulviſculum ſuo tempore quoque pini arboris conis ineſſe, & parem pluviam cauſare poſſe teſtis eſt Crügnerus. Quamvis tamen negare nolim, ſimile quid non quoque miraculosè quandoque fieri vel etiam per artem magicam. Plura hac de materia, ſi lubet, videantur apud D. Hartmannum citato loco.

## *SCHOLIUM.*

Quamvis plurimas hujusmodi frumentorum pluvias cenſuram Nob. Dn. Autoris mereri, dubium haud eſſe queat, dari tamen quandoque tales, vel ex *D. Thomæ Bartholini* relatione

tione conſtare poteſt, qui *cent. 4. hiſt. anat. 16.* in Scania talem fuiſſe obſervatam teſtatur, ſine dubio, ut judicat, aliunde per ventos transportato frumento, nam propter Solis calorem & ventorum ſiccitatem aſſatum videbatur quaſi in clibano toſtum; commiſſum autem terræ, copioſius quàm pro terræ in Dania conſuetudine emergebat. Viſum præterea, addit, in Patria ſua arboribus frumentum inhæſiſſe & germinaſſe in ſumma annonæ penuria, ſive cœlo delapſum, ſive per aves adportatum &c. Mihi etiam tale eſt frumentum, ſiliginem omnibus numeris, niſi quod paulò ſtrigoſius, & ita ante debitam maturitatem ſpicâ ſuâ excuſſum videatur, referens; quod, licet pro indubia veritate id venditare nec velim, nec poſſim, cum pluvia tamen ex aêre delapſum fuiſſe, Matrona genere, pietate, ætate & honeſtate inclyta, à qua plurimos ante annos id obtinui, adfirmavit.

[*L. Schröck, L. F.*]

## OBSERVATIO LXII.
## D. MARCI GERBEZII.
# Dentis ocularis infauſta extractio.

DEntes Caninos magnum habere cum oculis conſenſum etiam vulgi eſt opinio, & nomen ipſum id, quo aliter etiam oculares dicuntur, atteſtari videtur: Quòd tantus is tamen eſſet, non crediſiſſem, niſi in eo experientiam ipſam primò nuper Magiſtram habuiſſem.

Illuſtriſſimus quidam Comes in gingiva rectè ad radicem unius dictorum dentium ocularium ulcuſculum quoddam habebat, quod diu quidem aliâ ratione moleſtum non erat, quàm, quòd digito compreſſum ſaniem ederet, tandem tamen eò devenit, ut præterquam quòd dictum dentem carie inficere, ſimul etiam halitum quodammodo ingratiorem reddere inceperit, conſequenter Dominum Comitem etſi invitum ad ſubeundam curationem coêgerit. Adfuit, qui ei inter

cætera etiam dentis evulſionem ſuaſit; paret ille: ſed ecce cum quo eventu! vix præteriit dies una alteráve, & oculus extracti dentis cavitati ſuperjacens loco parvi momenti ulcuſculi fluxione tentari animadvertitur, quæ fluxio intra paucos dies eo usque increvit, ut non ſolùm etiam alteri oculo communicaretur, verùm etiam periculo amittendæ viſionis non omnino careret, quod quidem tamen in tempore fuit præcautum, ſed profectò cum tanto labore, quanto dictum illud ulcuſculum (ſi rectè fuiſſet curatum) fortè non conſtitiſſet.

*Felix, quem faciunt aliena pericula cautum.*

## SCHOLIUM

COnſenſus dentium in maxilla ſuperiori ocularium nomine donatorum cum oculis, & ab hoc dependens periculoſa extractio à portione nervi oculos moventis eis communicata, atq; à longitudine eorum, qua oculorum ambitum ferè attingant, communiter derivatur: Quam tamen profundam inſertionem negat. *D. Thom. Bartholinus Anat. reform. lib. 4. c. 13.* cum vix alarum naſi infimam partem attingant. Id quod etiam animadvertit *Isbrand. de Diemerbræck Anat. lib. 9. cap. 10.* ſimulque iſtam nervi communionem minimè veram eſſe pronunciat. Et certè dentium quorumvis extractio non ſemper absque periculo peragitur; prout letales exinde ſubortas hæmorrhagias &c. Obſervationes Medicorum teſtantur. Conf. *Ephem. harum Dec. II. Ann. II. obſ. 49.* Unde canini iſti, licet profundiſſima illa inſertio ipſis non competat, nec nervulo iſto gaudeant, cum tamen altiores agant radices, & ita extractionem etiam difficiliorem reddant, eò majori periculo in evulſione ſunt expoſiti; inprimis ſi unà partes vicinas interna aliqua labes occupet; quæ hinc exacerbata, varia incommoda parere valeat.

[*L. Schröck, L. F.*]

OBSER-

# OBSERVATIO LXIII.
## D. MARCI GERBEZII.
## Pulsûs mira inconſtantia.

QUanti ſit momenti in praxi Medica exacta in ægris pulſuum obſervatio, ignotum nemini in arte verſato, eò quòd ſive certam de morbi eventu prognoſim facere velis, ſive pro morbo proportionatum viribus remedium eligere, iſtâ ſemper indigeas. Sed cave ne decipiaris!

Vocatus eram elapſi anni MDCXC. Menſe Septembri ad fœminam circiter nonagenariam Lorarii cujusdam uxorem, à pluribus ſeptimanis ita vertiginoſam, ut incedere citra concidendi periculum nequiret, & præ ſenio totam tremulam, cæterùm tamen ſe utcunque habentem, cui pulſus erat adeò inæqualis, inconſtans, & inordinatus, ut attentiùs contrectatus ſucceſſivè ſingulas ferè defectuoſi pulsûs differentias exprimere videretur. Nunc nimirum aliquot pulſationes fortes ſatis, facileque perceptibiles edebat, nunc vix percipiebatur, paulò poſt verò planè non ſentiebatur, tandem verò rurſus quidem in una alteráve pulſatione redibat, ſicut prius, mox tamen rurſus, ſed ſine ullo ordine deficiendo, ita ut aliquid poſuiſſes, eam nunquam amplius ex iſto ſtatu evaſuram, ſed potius futuram epilepticam aut apoplecticam, quos duos affectus Vertigini facilè ſuccedere teſtis eſt Lazarus Riverius cap. de vertig. & certò certiùs interituram. Et tamen id minimè eſt factum, quin imò adhibitis paucis quibusdam cum magna præcipuè mariti ſui admiratione feliciſſimè reconvaluit, pulſu ſemper in eadem inæqualitate, & inconſtantia perſiſtente. Remedia verò, quæ ſibi proficua experta fuit, erant omnium primò clyſter ex decocto emolliente cum ſalvia, ruta, & betonica parato, in quo diſſolvebatur elect. diaphænic. ben. laxat. mel. anthoſſ. & Sal com. parùm. Hinc tale corro-

borans cephalicum: R. conſerv. fl. anthos, ſalv. pæon. majoran. calend. ãâ. ℥iij. confect. alcherm. incompl. ℥ß. nuc. moſc. in Ind. condit. ℥j. cubeb. ſacchar. obduct. ℥j. cinnab. nativ. ℥iß ſterc. pavon. ℥ij. ſmaragd. præp. ung. alc. præp. cran. hum. præp. ãã. gr. xv. ſpir. lil. convall. ceraſ. nigr. ãã. ℥ß. eſſent. ſalv. ol. ſuccin. ãã. gt. j. M. cum ſyr. flor. pæon. fiatq; elect. moll. de quo accipiatur ſubinde caſtaneæ magnitudo; præterea vertici, temporibus & naribus inungebatur tale balſamum: ℞. ol. rutac. caryoph. ſuccin. lavend. cort. citri, lign. rhod. omniũ ſtillat. ãã. gutt. vj. excipiantur omnia cum ſ. q. ol. nuciſtæ expreſſi & fiat balſ. In capite etiam geſtabatur cucupha, & poſt ſcapulas cucurbitulæ ſiccæ trahebantur. His taliter ratione tam defectuoſi pulsûs cum metu de malo morbi exitu per triduum vel quatriduum actis, ſiquidem vires non uti metuebam, deficere, neque ægra in deterius labi videretur, quin imo indies in melius proficere, ſuſpicari cœperam, pulsûs iſtam inordinationem à ſenio potius, quàm ab alia mala cauſa procedere, conſequenter naturam ulteriora ad extirpandum malum adhuc neceſſaria remedia citra damnum bene toleraturam, quare author eram, ut ad expurgandum corpus tales pilulas acciperet: ℞. maſſ. pil. de ſuccino Crat: ℈j. extr. pil. cochiar. gr. xij. extr. caſtor. gr. j. ol. ſuccini gut. j. M. cum ſyr. de ſtæchad. f. pil. no. vij. Ex quibus aliquoties cum conferentia & tolerantia purgabatur, ſequente octiduo rurſus in ſolis ſupraſcriptis corroborantibus, & ſimul præparantibus cum regulatâ diæta perſiſtendo, & maſtichen ſubinde jejuno ventriculo maſticando. Exacto taliter octiduo, quia excepto pulſu omnia videbantur vergere in melius, dictas pilulas rurſus eſſe iterandas cum tanto majori animo cenſebam, quod cum ſic aliquoties fieret, factum eſt, quòd noſtra ſenicula ſenſim & ſenſim rurſus in totum convaluerit, etiamnum bene ſe habens, niſi quòd pedes indies adeô ei debilitentur, ut ampliùs, niſi baculo aut alii cuipiam ſuſtentaculo innixa, ſola ambulare non poſſit, pulſu in eadem inæqualitate & inconſtantia

perſi-

perſiſtente. Exiſtimo verò eum ipſi talem contingere, ſicut equis, quos quandoque graviora in acclive trahentes videmus nunc præ laſſitudine omnino quieſcere, nunc recollectis viribus alacriter progredi, mox verô aut rurſus repentè ſubſiſtere, aut lentius progredi, donec tandem rurſus laſſatis viribus omnino conquieſcant pro ulteriore tractione novas vires recollecturi. Sic vis pulſifica in dicta ſenicula pro usûs exigentia generosè quidem robur ſuum quandoque exerit, & aliquot pulſationes fortes, & ſatis perceptibiles edit, laſſata verò iterum vel mox omnino ſubſiſtit, vel vix ſenſibiliter arteriam movet, tandem verò planè non, donec reaſſumptis quiete viribus ad ſatisfaciendum neceſſitati rurſus inſurgat. Niſi naturalis ei ſit iſta inordinatio, qualem eſſe quibusdam pulſum intermittentem teſtis eſt l. 2. de præſag. ex pulſ. Galen. Huc pertinere videntur ea, quæ de pulſu intermittente quoque valde fallaci, rectè jam citato loco notat Galenus. Item Wedelius Ephem. Nat. Cur. Dec. I. Anni II. obſ. 237. uti & illud, quod de pulſu naturali communiter obſervamus in febribus malignis, nimirum iſtum ipſum in tali caſu eſſe fallaciſſimum.

Ex quibus omnibus hoc tandem pro inſtructione deducitur, pulſui ſoli nunquam eſſe in totum fidendum, qualiscunque ille ſit, ſed eſſe advertendum ad alias unà concurrentes ex parte ægri circumſtantias, quæ ſi pulſui correſpondeant, id eſt exiſtente periculoſo pulſu etiam illæ ſint periculoſæ, malum omen, mala prognoſis, & remediorum præcipuè, quæ vires proſternere valent, cautus uſus. Ubi verò pulſus quidem malus eſt, qualis erat in noſtra ſenicula, & quandoque eſt præcipuè in melancholicis & hypochondriacis flatibusque obnoxiis intermittens, cætera verò ex parte ægri tamen utcunque ſe habent, & pulſus cum intermiſſione magnitudinem, & mollitiem ſibi habet conjunctam, quæ pulsûs illam intermiſſionem non tam à vitalis facultatis debilitate, quàm à flatuum aut obſtructionũ copia procedere arguunt,

 adeò

adeò timendum non eſt, neque à neceſſariis ad oppugnandum morbum remediis etiam majoribus deſiſtendum. Sic dictam ſeniculam non obſtante tam defectuoſo pulſu feliciter purgavi, pariter ſartori pleuritico, & hypochondriaco primò nuper bis ſanguinem miſi. Quendam ſutorem verò elapſo Majo febricitantem cum pulſu intermittente ſed magno, non ſolùm purgavi, verùm ei etiam venam incidi cumq; optato eventu curavi.

## OBSERVATIO LXIV.
## D. MARCI GERBEZII.
## Judicia DEI abyſſus multa! *Pſalm. 35.*

OCcaſione jam enarratæ hiſtoriæ lubet recenſere, & id, quod primò elapſo autumno cum dictæ ſeniculæ marito Paulo Longeneg notabile accidit. Erat vir hic naturâ robuſtiſſimus, & obeſus, temperamento ſanguineo-phlegmatico præditus, ætatis quadraginta aliquot annorum, â quo recordabatur, nunquam ita infirmus, ut operâ Medici uti neceſſe habuiſſet, adeoque taliter conſtitutus, ut ſuâ vitâ nec purgans aſſumpſerit ullum, nec ſanguinem emiſerit, commiſſis licet interea infinitis in diæta, præcipuè circa potum erroribus. Quoniam verò juxta germanicum proverbium: **Man tragt ſo lang den Krug zu dem Brunn/ biß er bricht/** contigit tandem elapſo autumno ut & ille ex comeſſatione quâdam redux febricitare cœperit, & febre quidem primum ſecurâ, tertianâ ſcilicet ſimplici intermittente, ſed quæ intra octiduum, non admiſſo interea alio remedio, quàm ab omni ferè cibo, non verò ita à generoſiore vino abſtinentiâ, ſuperveniente alterâ adhuc febre continuâ in hemitritæum, febrem ſemper periculoſiſſimam degeneraverat. Quæ febris ipſum tandem etiam intra paucos dies tam robuſtum, quàm erat, eò usque perduxit, ut qui adhuc ante 21. annum

num uxoris ſuæ mortem videre, ejusdemque plenarius hæres fieri, atque de alia ſibi magis idonea ſponſa ſecundum ſuum guſtum proſpicere poſſe ſperaverat, eâ totâ jam tremulâ & ſe vix amplius movere potente ſuperſtite relictâ mundo valedicere debuerit.

Notabile verò & propter quod caſum iſtum inter rariora ponendum judicaverim, eſt imprimis admiranda illa (ſi moraliſare aliquid Naturæ Myſtis licet) Dei providentia, quæ virum hunc ita robuſtum, ſemper ſanum & reſpectivè juvenem tam inſperatè mortuum, fæminam ècontra adeò jam decrepitam, & cujus mortem ante tot jam annos ſperaverat ille, & ſub iſta ſpe eam duxerat uxorem, etiamnum ſuperſtitem eſſe voluerit! Fortè quòd in ineundo matrimonio legitimum illum finem, qui eſt 1. Geneſ. 1. *Creſcite, & multiplicamini*, ſibi non propoſuerit, ſed potius ſeniculæ divitias? profectò tales ante ſuas duplo vel triplo ſeniores uxores interire plerumque videmus, undecumque tandem id fiat.

Alterum notabile eſt, quòd vir hic adeò ab ineunte ætate ſanus, & robuſtus mox ex primo, qui eum aggreſſus eſt morbo interierit, cùm tamen plurimi alii, naturâ decuplo illo debiliores, graviſſimos morbos ſæpe feliciſſimè ſuperent: Cujus verò rationem jam pridem dedit Galenus lib. 2. de præſag. ex pulſibus cap. 4. *Itaque, qui habitu ſunt valente, & admodum diu in morbos non inciderunt, periclitantur, ſi incidant, at verò imbecilli, quique aſſiduè objecti ad omnes cauſas ſunt, facillimè ſervantur: quòd ſcilicet de his nemo, cùm à qualibet lædatur vel minima, expectet cauſam magnam. Robur validorum omnem excipit cauſam parvam, ut à ſolis magnis vincatur.*

Tertium notabile eſt, quòd vir hic ad primam venæ ſectionem interierit, cum tamen communis opinio ſit, primam ſanguinis miſſionem hominem ex mortis faucibus eripere. Aſt dico opinionem iſtam tantum vulgi eſſe, & eam falſiſſimam, imò iſtam ipſam cum ſanguinis miſſione usque ad ex-

tremos

tremos dies procraſtinationẽ ſubſecutæ mortis non minimam fuiſſe cauſam, eò quòd ſi iſte in tempore in viro tam plethorico fuiſſet emiſſus, febris & putredo eò uſque non invaluiſſet.

Quartum tandem & ultimum notabile eſt, quòd vir hic ſuâ vita nullum medicamentum aſſumpſerit, neque ſanguinem emiſerit. Utrum id bene fecerit, & an non melius fuiſſet, ſi ille more conſueto ſaltem in Vere purgâſſet, & ſanguinem miſiſſet juxta Hipp. illud: *quibus venæ ſectio, aut purgatio prodeſt, his vere ſecanda vena, aut purgatio imperanda. 6. aph. 47.*? Dico Ego id eum non bene feciſſe, eo quòd credibile ſit eum in tam inordinata victûs regula ſufficientes vitioſos humores in corpore aggregâſſe, quos in Vere expurgâſſe melius fuiſſet, quàm in corpore reliquiſſe ſuo tempore in morbum aliquem erupturos. Sed dices eum fuiſſe ſanum, adeoque curatione majali non indiguiſſe, neque vitioſos humores in ſe habuiſſe. Reſpondeo eum potuiſſe eſſe ſanum & tamen vitioſis ſuccis ſcatuiſſe, conſequenter indiguiſſe curatione majali. Quòd verò vitioſi illi humores eum tamen non fecerint actu ægrotum, in cauſa fuit illius magnum robur, quod teſte ſuperius Galeno ad quamlibet parvam cauſam non movetur, ſed tantùm ad magnam, qualis evaſerunt dicti humores, quia in tempore expurgati non fuerunt. Quod ipſum puta ſuo modo & de venæ ſectione.

[*Labaco 15. Januar. 1692. Auguſtam Vind. miſſa.*]

OBSER-

# OBSERVATIO LXV.
## D. ALARDI MAURITII EGGERDES.
## Sudor ſanguineus Infantis recens nati.

UXor Domini N.N. utero gerens, tempusque graviditatis brevi emenſa, incidit in febrim calidiorem, quæ, licet à principio narium hæmorrhagiam non exiguam habuerit ſociam, in tantum tamen, non obſtantibus quibuscunque remediis, fuit adaucta, ut ad tumultuantem humorum æſtum demulcendum, ſectionem venæ in brachio ſuadere debuerim; hæc tam feliciter ſucceſſit, ut lapſis horis bis viginti quatuor, patiens omni febre immunis redderetur, & tertio inde die, qui erat vigeſimus primus Octobris Anni milleſimi ſexcenteſimi octuageſimi noni, partu felici filium ederet ſanum, robuſtum, & incolumem, qui tertiâ poſt partum ſeptimana, tam flaccidus, & debilis evaſit, ut de ulteriori ejus vita actum videretur. Cumque Avia filioli, quaſi agonizantis, ſtatum deploratum quodam mane parenti referret, ille ſocro ſuæ reponens, inquit; ſomniavi hac nocte, ſeu potius per ſomnum mihi dici inaudivi, hunc filium meum, gaudium noſtrum fore, & ſolatium; filiolam autem quam habeo unicam, loco filii morituram. Et ecce mira quæ ſubſequitur utriusque Infantis metamorphoſis. Filiolus, utut debilis & languidus, vitam in alterum usque diem protraxit, cumque mane ab Avia ſua è Cunis, & Linteaminibus evolveretur, cum ſummo ſtupore deprehenditur circa brachium dextrum, præter univerſi corporis ſudorem, rubicundiſſimo madere ſanguine; utque tam inſoliti phænomeni cauſa pateret, induſium detrahitur, inquiritur ubi eſſet vulnus, ex quo tanta Cruoris copia, quâ tota manica fuerat tincta, emanarit, ſed reperitur nusquam. Infans interim vegetior, & vivacior apparet, melius, copioſiusque à matre lactatur, ac more conſveto in Cunas deponitur. Poſtero die à

Matre elevatus infans, iterum ut die priori circa brachium ſanguine rubere conſpicitur, fonte, unde purpureus hic rivulus profluxerat, non apparente; hæc ſanguinis in brachio dextro eruptio 5. ni fallor, aut 6. diebus perſtitit; parvulo puſione ſemper in melius proficiente; his elapſis ſanguineus ſudor brachii dextri erumpere ceſſavit, ſed mox in ſiniſtro, eodem modo quo in dextro, proſilire cœpit, cum dierum aliquot continuatione, quibus exactis cruenta illa diaphoreſis evanuit, parvulo patiente extra omne periculum apparente. Filiola, quæ biennium ferè compleverat, formâq; ſuâ, & docilitate utrumque parentem multum delectarat, vix fraterculo reſtitutâ ſalute, variolis pernicioſiſſimis corripitur, quibus die ſeptimo miſella non ſine parentum lachrymis ſuccubuit. Denatâ ſorore, fraterculus quantumvis debilis adhuc, & excarnis, eodem infeſtatur malo, ſed quaſi jam ipſa natura de parvuli conſervatione ſollicita, puſtulas primò copioſiores & majuſculas in vultu, absque omni malo ſymptomate protruſit, quibus ſine ullo veſtigio perſanatis, alias non tam in vultu quam reliquo corpore frequentiores excluſit; quæ ſimiliter ad debitam maturationem deductæ, maculis nullis omnino relictis deciderunt. Periculis hiſce devictis parvulus puſio, integro anno perſtitit ſanus, donec dyſenteriâ, quæ epidemicè proximè elapsâ æſtate apud Confluentinos graſſabatur, correptus, ad extremam maciem & maraſmum deduceretur, & licet hic iterum ſpes ſalutis valde anguſta aut nulla, vicit tamen nihilominus hunc ſerpentem herculeus infans, jamque ſanus in arundine equitat, tympana pulſat, cantat, lætusque ſaltat.

OBSER-

## OBSERVATIO LXVI.

## D. ALARDI MAURITII EGGERDES.

# Nucleus Ceraſi per aſperam arteriam in pulmones delapſus, phthiſin lethalem cauſat.

ADmodum Reverendus Pater Chriſtophorus Abbatiæ S. Martini prope Treviros Senior, cum aliquando poſt deambulationem in horto, Signo ad veſperas dato, Eccleſiam ingredi vellet, in ipſo proceſſu ceraſa ex arbore pendula conſpicit, quorum pulchritudine allectus, arboris ramum ad ſe inclinat, ex quo non tam manu, quam ore ipſo fructus carpit, quos cum feſtinanter deglutiret, nucleus, vel deviando, vel tardius ad pontem volatilem appellendo, in aſperam arteriam incidit; quo percepto non felicior infelice Patre Adamo, Pater, ex horto ad templum ſe contulit, cumque vomituriendo, tuſſiendo, & ſcreando Fratres horas decantantes interturbaret, ex templo ad cellam ſe proripere cogitur; ubi per tuſſis violentiam ferè exanimatus ad quietem ſe compoſuit, ſomnoque ſpe citius obrepente, aliquot horas dormivit, evigilans nil mali amplius ſenſit, quare conſveta ſua munia, concionando, chorumque frequentando rurſus executus eſt: anno uno præterlapſo, circa idem fere tempus, quo nucleum deglutierat, tuſſire, nauſeare, & febricitare incepit, neſciens unde hoc, & quale malum, medicum idcirco ordinarium accerſiri facit, qui varia per decurſum aliquot ſeptimanarum præſcripſit remedia, quibus nihil proficientibus, meam quoque expetiit operam: cum patientem acceſſiſſem, ille quantum potuit, morbi ſtatum enarravit, nihil omnino de nucleo in pulmones delapſo commemorans, quare remedia, quæ ad morbum proficua judicabam conſului; ſed neque hæc quidquam attulerunt levami-

 nis;

nis, morbo itaque indies exacerbato, violenta tandem irritatus tuſſi, lapidem nucis moſchatæ magnitudine rejecit, quem magna materiæ purulentæ copia ſubſecuta eſt. Lapidem cui undique viſcoſitates adhærebant, Infirmarius aquâ deterſit, mihi qualis eſſet divinandum obtulit. Facie exteriori erat ſcaber, & aſper, colore inſtar tartari crudi, ut inde judicarem eſſe fruſtum tartari caſu in hanc formam coagulati. Sed errorem meum mox percipiens, cupidus fui interiora ejus luſtrandi, malleo igitur leviter ictus, cortex tartareus diſſiliit, remanente ſub malleo nucleo ceraſi integro, qui tam recens apparebat, quaſi ab aliquot diebus è fructu primum exemptus fuiſſet. Patiens poſt paucos dies totus emaciatus ex hac mortali vita inter Fratrum preces æternitatem ingreſſus eſt.

## OBSERVATIO LXVII.

## D. ALARDI MAURITII EGGERDES.

# Clavus in pulmonem per aſperam arteriam illapſus, poſt novem menſes feliciter rejectus.

JOhannes S. Adoleſcens ob ſingularem vocis ſuavitatem, & muſices experientiam, multum commendatus, amatusque, ſtans aliquando prope officinam fabri ærarii, & cum amicis jocoſa miſcens colloquia, manu inconſideratâ clavum (vulgo einen gelben Püſter⸗ oder Blaßbalgs⸗Nagel) ex vaſculo, in quo ad feneſtram vendibiles proſtabant, eduxit, eumque incautè ori ingeſſit, & tam diu linguâ per os circumvolvit, donec inſperatò in arteriam aſperam illaberetur. Unde tanta per novem menſes concitata eſt tuſſis, ut non tantum noctes diesq; inſomnes, ſed ipſius vocis angelicæ ut ita dicam deſtructio, & raucedo immedicabilis inde inſequerentur, cum miſer Adoleſcens tanto temporis ſpatio ferino

no huic malo nullum inveniſſet remedium, votum ad Sanctum Nicolaum Tolentinum emiſit, quod cum in feſto dicti Sancti, peccatis per confeſſionem Sacramentalem, & Sacri convivii frequentationem expiatis compleviſſet, plenus ſpe, & fiducia domum revertitur. Aſſumpto prandio in violentiſſimam incidit tuſſim, quâ tribus horæ quadrantibus miſerè vexatus Adoleſcens tandem clavum valido impetu cum exigua quantitate ſanguinis ſinceri rejecit. Factus voti ſui compos, ad templum cucurrit, & in veſperis jam inchoatis Deo, Patronoque ſuo gratias egit. Præter vocis ad cantum muſicum ineptitudinem nihil inde mali paſſus eſt, vivitque jam ſanus uxori junctus.

[ *Moguntiâ Auguſtam Vind. A. 1692. d. 31. Januar. miſſæ.*]

## OBSERVATIO LXVIII.
## D. JOHANNIS DOLÆI.
# Febris continua, Vomitus atrabilarius, alvi fluxusublioſus, & tandem Phthiſis à Diarrhoea Ovis induratis ſuppreſſa.

ADoleſcens quidam temperamenti melancholici, dum in Occitania degeret, quartanâ laborans, ſolum patrium repetiit, ibique ſolius auræ natalis auxilio fuit curatus. Poſt 6. menſes autem in Occitaniam reverſus, ſed aliquot à reditu elapſis ſeptimanis, ab importuna Diarrhoea fuit correptus, à qua ſuis ab operibus quum interturbaretur, cujusdam ſuaſu duorum ovorum induratorum eſu illam cohibuit; tertio verò poſt ova manducata die in febrem continuam incidit, cum vomitu atrabilario, per quem materiam pultis inſtar ſpiſſam, perditiſſimeque fœtentem ejiciebat, adjuncto alvi fluxu bilioſo, ſed diluto, & graviſſimè olente. Adhibitis tamen legitimis medicamentis, ſedatus eſt vomitus æquè ac alvi fluxus; ſed inſomnis degebat, & narcoticorum

ſolummodò ope dormiebat. Circa decimum octavum & decimum nonum à comeſtis ovis diem, anodynis clyſteribus uti neceſſe fuit, quibuscum rejectæ fuere portiones quædam dictorum ovorum. Sub finem verò vomitus & alvi fluxus ſputa craſſa & alba cum tuſſi expectorabat, & quamvis Diarrhœa medicamentorum ope curata fuiſſet,attamen cùm alvus ſolveretur, materias atrabilarias fœtentes ſupradictis ſimiles excernebat. At elapſo menſe integro ex quo decumbebat, in toto corpore atrociſſimis convulſionibus ferè continuis, (quibus interdum deſinentibus delirabat) fuit excruciatus; quæ attamen tali cum ſævitie per integri tantum diei ſpatium perdurarunt; & ſubſequenti die ipſis pacatis, æger ad ſe paululum rediit, ſed perſiſtentibus ſemper motibus quibusdam convulſivis brachiorum, qui etiam oculos & faciem identidem exercebant. Totum corpus macie jam erat confectum, juncta cum dictis ſymptomatibus phthiſis, & quum ab ipſo, in aliam regionem profecturus, diſceſſi, morti proximus eſſe videbatur.

## OBSERVATIO LXIX.
## D. JOHANNIS DOLÆI.
# Purgantium poſt Diarrhœam nuper ſuppreſſam uſus maximè ſuſpectus.

MUlier quædam hîc Caſſellis habitans, triginta quinq; aut circiter annos nata, aliàs ſatis ſana, Diarrhœam per quindecim dierum ſpatium paſſa, eâ absque medicamentorum ope liberata fuit. Uno autem aut altero die elapſo à ſuis quaſi coacta eſt leve purgans ex fol. ſennæ & rhabarb. infuſis compoſitum uſurpare, ut, veluti ipſi ajebant, morbi reliquiæ auferrentur. Sed pœna errorem brevi ſubſecuta fuit; aliquot enim poſt horis à deglutito medicamine, doloribus & torminibus omnium ſæviſſimis in abdomi-

domine, & præſertim imo ventre contorqueri & dilacerari incepit, adſtantibus tunc temporis aſſerens, ut adhuc aſſerit, nullos unquam in partu ſe pares tuliſſe dolores, & omnia interanea per alvum egredi ſibi videri. Hac die talibus ſemper ſubſiſtentibus doloribus, cum peculiari dolore in hypochondrio ſiniſtro, adeo ut halitũ ducere vix valeret, quindecies ad minimum purgata fuit. Die ſubſequente doloribus eadem cum vehementia perdurantibus, & indeſinenti catharſi vexata, horâ decimâ veſpertinâ mortem imminere reputavit, corpore viribus maximè exhauſto, ideoque Paſtorem ut viſitaret rogavit, quò animæ ſolatium ab eo ſuſciperet. Tertiâ tandem die, quum adhuc & viveret, & iisdem affligeretur ſymptomatibus, me accerſivit, ut tam miſero ſuo ſtatui ſubvenirem enixè efflagitans; & ſum̃è miſericors DEUS, & ipſius & meis votis benignè favit. Ipſi ſiquidem mucilaginoſa, opiatis, nervinis, & ventriculi inteſtinorumq́ue tonum confortantibus aſſociatis præſcripſi; quorum tantus in patiente fuit effectus, ut à primo dictæ mixturæ cochleari non parvum perſenſerit levamen, & quotiescunque quidpiam ex illa hauriret, dolores de ſævitia ſua remitterent, & denique poſt paucos dies & hypercatharſis, & abdominis dolores evanuerint; excepto tamen ſiniſtri hypochondrii dolore, qui per aliquot menſes pertinaciter permanſit, corporis etiam viribus tardè reſtitutis.

## OBSERVATIO LXX.

## D. JOHANNIS DOLÆI.

# Purgantium uſus in alvi fluxu, præſertim infantium, periculoſus.

CUltrarius quidam hîc Caſſellis degens, duos filiolos alvi fluxu affectos habens, illos junioris cujusdam Pharmacopœi curæ concredidit; ſed cura brevi cũ parentum luctu, & medicantis emolumento fuit abſo-

luta.

luta. Pater verò cauſam mœroris ſui addiſcere cupiens, Chirurgum rogavit ultimi defuncti corpus aperire, meamque præſentiam requiſivit. Quum morbus nobis cognitus fuiſſet ex patris relatione, ad abdomen ſtatim perreximus, apertoque ventriculo totam ejus ſubſtantiam ſphacelatam reperiimus, adeo ut in plerisque locis ſolâ digiti admotione dilaceraretur, chartæ inſtar madidæ, & in ejus cavitate nigricans humor viſus fuit. Inteſtina planè inania erant, & tunicâ villosâ penitus denudata, & mirè pellucida apparebant, diverſis tamen in locis inflammata. His viſis, adſtanti pharmacopœo dictum fuit, acriora quædam medicamina puerulo iſti dubio procul fuiſſe propinata, ſed negavit, & quænam ipſi medicamenta porrexiſſet, reticens, Electuario quodam purgante ſe uſum fuiſſe confeſſus eſt, atque ſe Authorum dictamine ductum id feciſſe aſſeruit. Sed controverſias movere nolens, ipſi tantum dixi, purgantia, ſi unquam in alvi fluxu exhibeantur, magnâ cautelâ id fieri debere, quum ipſa acres particulas vehementiùs commoveant, & fortiùs in fibrarum poros adigant: aliis omiſſis rationibus: & quod ad Authores, ſi qui purgantia in alvi fluxu conſulant, id cum grano ſalis eſſe ſumendum: ſed hæc & multa alia incaſſùm allata fuêre.

## OBSERVATIO LXXI.

## D. JOHANNIS DOLÆI.

# Abſceſſus internus abdominis à purgante diſruptus.

Mulier quædam 40. annorum, ſterilis, & temperamenti bilioſi, ad hydropem maximè inclinans, per menſem integrum de acerbiſſimo in lienis regione dolore conquerebatur, ad quem ſopiendum Medicus ejus ordinarius ea præſcripſit medicamina, quæ convenientiora judicavit. Quarto autem poſt inchoatum medicamento-

mentorum uſum, quum ipſa medicamentum purgans uſurpaſſet, per vomitum & per ſeceſſum puris ſanguinolenti copioſis aliis materiis permixti quatuor libras & amplius excrevit, & eo inſtanti, quo dicta excretio incepit, ægrota, æquè ejus ancilla adſtans, magnum audivit ſibilum, quaſi dolium fuiſſet perfoſſum: poſt abundantes autem ſimiles evacuationes ſyncope correpta fuit, & aliquandiu à circumſtantibus pro mortua habita, ſed tandem excuſsâ ſyncope ad ſe rediit.

## OBSERVATIO LXXII.
## D. JOHANNIS DOLÆI.
*De*
## Mure albiſſimo.

DUm hæc ſcribo, in pharmacopolio aulico capitur mus pelle albiſſima præditus, qui juſſu meo ſpiritu vini rectificatiſſimo in vitro aſſervatur.

[*A. 1692. d. 1. Febr. Caſſellis Auguſtam Vind. miſſa.*]

## OBSERVATIO LXXIII.
## D. MARTINI JOHANNIS HAESBART.
*De*
## Homine adulto, urinam per viam inconſuetam reddente.

PErcurrenti nuper Obſervationum Curioſarum Annum quintum Decur. II. oblata mihi eſt Excell. Domini Dolæi rara & notatu digna Obſervatio, de puella urinam per inconſuetam viam reddente; ſimilem hiſtoriam in adverſaria mea (cui fidem vix adhiberem, niſi mea conſtaret experientia) retuli, & hic inſeram quam breviſſimè. Cùm praxim Medicam exercerem Herbornæ Naſſoviorum, innotui cuidam Viro honeſto Kirchbergenſi (pagus eſt duabus vel tribus horis ab Urbe Decia diſtans) qui multorum liberorum

Pater exiſtebat, quo cum per aliquot tempus familiariter tunc temporis vixi, mihique aperiebat, præſente Genero ſuo, affe-ctum ſatis mirabilem; conquerebatur enim, licet Lyæo, ſecun-dum Horatium, curas ſæpè ſolveret, quòd nihil lotii per ordi-narias vias ab aliquot annis emitteret, ſed maxima cum diffi-cultate & virium jactura, de nocte per poros cutis, præcipuè ab axillis ad inguina uſq; tranſudaret liquor, urinæ perquam ſimilis, in tali copia & quantitate, ut ſpongia aut vola manu excipere ſit coactus, niſi innatare velit huic liquori; incaſſum hactenus diverſa fuêre propinata remedia; hinc an ulla cura huic morbo poſſet adhiberi, quærebatur: ſtabam pro negati-vâ, quod etiam eventus docuit: Clarum ex hoc caſu fit, quod natura in homine ſapientior ſit quovis Medico.

## *SCHOLIUM.*

HUic obſervationi reſpondet illa, quam Foreſtus in ſuis ob-ſervationibus lib. 24. obſ. 29. de quodã Cardinali recenſet, qui ſeptendecim dies vitam produxit absque urinæ emiſſione per viam naturalem; imprimis autem legi meretur egregium hujus rei exemplum, quod extat apud Salmuthum in obſerv. centur. 2. obſerv. 82. de quodam calculo laborante, cui urina in totum fuit ſuppreſſa, indeque totum corpus quaſi infla-tum, & quidem, ita ut crepaturam ferè minatum fuerit, ſu-dore autem in toto corpore urinam planè referente ſubſecuto, venter ſubſedit. Quænam verò iſtius affectus cauſa exiſtat, de-terminare eſt difficile; contingit nonnunquam hominibus cætera ſanis, aliquando morboſis, imprimis illis qui renum aut veſicæ calculo laborant, nam ſi calculus in renibus hæ-ret, vel poteſt in orificium ureteris ſeſe inſinuare, vel deſcen-dens per ureteres utrobique obſtructionem facere, quale ex-emplum memorat Clariſſimus Williſius de quadam fœmina, cujus cadavere diſſecto, juxta ſummitatem ureteris lapis cir-ca pollicis magnitudinem defigebatur, cujus extremitas erat ductui ſeu cavitati ureteris adeo adaptata & firmiter impacta,

ut

ut velut epiſtomio aperturam ejus exactè clauderet, ſeroſoque latici tranſitum omninò inhiberet: flebile tale exemplum ante quadriennium in Conſumatiſſimo Juris Conſulto, virtute non minus ac eruditione quam genere ſive ſtemmate claro, mihi obſervare contigit: aliquando etiam alii tumores & abſceſſus præter calculos vias urinæ obſtruunt, grumus item ſanguinis, pus tenaciſſimum, quale aliquando emanare ſolet ruptis abſceſſibus, aut in ipſo ductu urinario ſolet concreſcere. Interdum etiam urina per urethram non effluit, non quod in renibus non ſeparetur, ſed quod aliâ quam ordinaria via feratur, quod dato exemplo illuſtratur, ego Oculatioribus cauſam intimius eruendam propino.

## OBSERVATIO LXXIV.

## D. MARTINI JOHANNIS HAESBART.

# Pulſus exploratio extra Carpum, & cura hæmorrhagiæ per ſanguinem humanum.

PUlſus ordinariè tangitur in interiore manuum carpi parte, tamen aliquando fruſtra ibidem inquiri, ibit declaratum exemplum quod ſequetur; huic veritati album calculum addere non veremur, imò quod ipſi vidimus, bonâ fide teſtamur: Chirurgi cujuſdam uxor habebat in ſolito loco nullum arteriæ ramum, ita ut ex ejus contactu nil præſagire licuerit, nam cum eſſet occupata ad patellam terream eluendam, rumpitur patella & feriit arteriam, quod declarabat hæmorrhagia contumax, Maritus (cum domeſticis occupationibus eſſet detentus extra civitatem) vocatus ſuaſu Medici Ordinarii, generoſiſſima remedia ad ſiſtendum ſanguinem à Practicis amplâ ſegete recommendata incaſſum applicat, ultimò cum dubio prognoſtico relinqueretur ægra, Maritus ſuam perquirit officinam, inveni remedium, inquiens?



ens?

ens? dictum factum, fecitque periculum, applicat parti fluxum ſanguinis patienti, ſanguinem menſtruum exſiccatum cum juvamine. Solummodò inſuper notandum, quòd natura hîc collocaverit arteriam in manus dorſo, quæ aliis communiter fertur per interiora carpi; ſic majores vaſorum rami ſuo ſitu quandoque ludunt, proindè cautè hâc in re eſt procedendum, ſi quid judicandum de virium conſtantia.

## *SCHOLIUM.*

HUc quadrant, quæ Anno III. Decur. II. Ephemerid. obſervat. 99. ab Excell. Ledelio, ut & Scholio ei adjuncto, fuerunt prolata, &c.

## OBSERVATIO LXXV.

## D. MARTINI JOHANNIS HAESBART.

*De*

# Pene imperforato & Ano clauſo.

CUm volumen Obſervationum Anni VII. Decur. II. perluſtrarem, nonnulla annotata reperio de ano & pene imperforato; ſimile etiam exemplum obſervavi in Vice-Capitaneo, olim Condiſcipulo meo, in cujus virga præputium fuerat retractum, & orificium clauſum, aſt cultello apertum; plura exempla talium caſuum apud authores inveniuntur. Legimus inſuper apud Bartholinum, aliquando vitio nativitatis fieri, ut clauſo ano alvi fœces per vulvam excernantur, quod multorum optimæ fidei teſtimonia inſimul perhibent, ut de rei veritate haud liceat ambigere; nos, quicquid hâc de materiâ, Amicus nobis communicavit, & à conſanguineis confirmatum habemus, Tibi Lector Benevole candidè impertiemus, qui cum in veteri Herbornenſi Muſarum Caſtro, à Parentibus eò miſſus eſſet, innotuit virgini Honeſtæ, excrementa per muliebria clauſo ano excernenti, vitamque ad viginti aliquot annos producenti, quæ fortè in

in hunc uſque diem optimè valet: ſic unius rei defectum alio compendio compenſat natura.

### *SCHOLIUM.*

LIcet Paræus & Tulpius imperforatos minimè vivaces, neque multos dies ſectioni ſuperſtites eſſe ſtatuant, nihilominus tamen ſunt qui apertionem atque curationem approbant, eſſetque hic amplus ſcribendi campus, ſi placeret omnes illas huc trahere hiſtorias; brevibus dicemus quæ titulum hiſtoriæ exhauriunt, quod dictus Vice-Capitaneus poſt ſectionem Coli adhuc vivat, & virgo ad viginti aliquot annos vitam produxerit; quo cum conferatur exemplum quod ex Minadoo memorat Clariſſimus Volgnadius Anno primo Ephemerid. pag. 36.

[*A. 1692. 1. d. Februar. Caſſellis Auguſtam Vind. ab Exc. D. Dolæo miſſæ.*]

## OBSERVATIO LXXVI.

## D. JOH. LAURENTII FEHRII.

### *De*

# Cancro mammarum exulcerato rarò perfectè curabili.

CAncrum mammarum eſſe affectum graviſſimum, & tàm Medicis, quàm Chirurgis ſæpè moleſtiſſimum, atque ob fœtoris gravitatem, inter deligandum potiſſimum notabilem, tædioſiſſimum, imò rariſſimè curabilem, imprimis exulceratum, non latere poteſt illum, qui libros Medicorum & Chirurgorum de hac materia varia proponentium evolvit; quale judicium de cancroſis affectibus jamdudum tulerit Hippocrates Medicorum Princeps vel ex ſectionis 6. aphor. 38. patet, dum inquit: Quibus occulti fiunt cancri, eos non curare melius eſt: Curati enim citiùs moriuntur; non curati verò longiore tempore durant. Ac

licet poſt Hippocratis tempora multi fuerint; qui tales cancroſos affectus vel per medicamenta, vel per cauteria vel per ſectionem curare tentaverunt, rarò tamen felices & optatos in curatione ſucceſſus habuiſſe conſtat; inter alia plura ſufficiat hîc unicum Brunonis Seidelii adduxiſſe teſtimonium, qui in libr. de morbis incurabilibus ait: Cancer, à quo percuratus ſit, neminem adhuc fuiſſe credo, quantumvis nonnulli magnâ impudentiâ vanitateque curati hujus gloriam ſibi arrogârunt. Et audivi idem affirmantes Excellentiſſimos Medicos ac Senes, quorum nonnulli ultra 40. annos artem exercuerant, & quidem in Italia, iis locis, ubi Medicinæ rectus uſus ac dignitas plurimùm excolebatur, magnique æſtimabatur: Exciſi etiam ejusmodi cancri in exterioribus membris, tamen recruduerunt, ac nonnunquam ſæviores redierunt, quàm initiò fuerant. Ut alia multa in libris Medicorum & Chirurgorum paſſim obvia prætercam, tantùm illa, quæ intra paucos annos hîc locorum acciderunt, brevibus enarrabo.

Vidua 47. annorum in juventute fluxu oculi ſeroſo, epiphora dicto, laborabat, cujus curatio Chirugo demandata fuit, qui quidem neglectis medicamentis internis, externis ſedulò ſcil. mundando, cutem conſolidando & circumſpectè deligando officium ſuum fecit, ſed poſtmodum certis temporibus malum recruduit, & partes vicinas ſubjacentes muſculoſas atque oſſeas erodendo læſit, tandem, continuante fluxu ſeroſô, in cancroſum affectum cum quadam faciei deformitate degeneravit, aſt dum vel fluxus menſium ritè ſuccedebat, vel gravida erat, parum incommodi inde ſentiebat, interdum tamen occaſionali cauſa ſuperveniente dolores ſolebant ingraveſcere, qui paucis adhibitis remediis leniter evacuantibus, ſudoriferis ac menſes promoventibus rurſus evaneſcebant, interim dum aliquoties dolores à fluxu ſeroſo concitati cum faciei deformitate urgebant, tandem Medicorum conſilia & Chirurgorum auxilia ſunt implorata, qui jam ante viginti annos fluxum illum pro cancroſo agnoſcebant affectu diffi-

difficulter curabili, in quo removendo nihil non fuit tentatum. Interea malum, quod adhibitis convenientibus remediis tolerabilius erat, non omninò ceſſàbat. Annô 1689. menſe Octobri Patiens tùm temporis vidua, in exprimendo muſto dum erat occupata, paulò fortius partem mammæ ſiniſtræ inferiorem premebat, inde leviores quosdam ſentiebat dolores, quos parùm curabat, & ſudoriferis aliisque discutere tentabat, ſed dum poſtmodum omninò remittere nolebant, Medicus atque Chirurgus in conſilium denuò vocati ſunt, qui cognitô ſtatu periculosô, remedia in hiſce caſibus neceſſaria atque conducibilia ſequentia ordinabant:

℞. Fol. ſenn. ſel. ʒvj.
Rad. polypod. cichor.
rhabarb. opt. ãã. ʒij.
H. card. ben. fumar. ãã. p. j.
Cort. tamariſc. fraxin. ãã. ʒiß.
fl. borrag. bugloſs. ãã. p. j.
Paſſul. min. ℥j. M. infunde ſ. q. aq.
Stet per noct. ad calorem manè leniter ebulliat,
Hinc cola & Colat. ℞. ℥viiij. adde
Tinct. Tartari ʒj. ℈j. M. D. S. Laxier-Tränckleín auff zweymahl Früh zu nehmen.

Dein quartò die V. S. in brachio dextro fuit adminiſtrata.

℞. Maſſæ pillul. aloêphang.
Extr. pill. marocoſt. ãã. ℈ß.
cent. minor.
gent.
caſtor. ãã. g. iij.
croc. g. ij.
M. c. Tinct. Tartar. f. pil. no. 33. Deaur. D.
S. Pillu 11. Abends zu nehmen.

℞. Lign. ſanct. raſp.
Saſſafr. raſp. ãã. ℥iß.
Cort. lign. ſanct.

Rad.

Rad. chin. ſarſaparill. āā. ℥vj.
polypod. liquirit.
Sem. aniſ. āā. ʒß. M. D. ad chart. S.
Species zum geſottenen Waſſer.
℞. Antimon diaphor. ℈j. g. v.
Magiſt. C. C.
Sal. volat. C. C. āā. g. iiij. M. D. ad Ch.
S. Schweißpülverlein in dem geſottenen Waſſer zu nehmen.

His vidua per dimidium annum non ſine levamine uſa eſt: aſt dum fluxus ſeroſus in facie evaneſcebat, dolores circa mammam ingraveſcebant, in quibus leniendis ac diſcutiendis, quin & menſibus movendis licèt porrò omnia ſint tentata & fonticulus in brachio excitatus, exterius inſuper emplaſtrum ex gumm. Am̄oniac. galban. camphora & croco cum ſebo cervino & ol. tartari malaxatum applicatum, nihil tamen ex voto ſuccedebat, ſed tumor durus, qui in principio vix avellanæ magnitudinem æquabat, jam incipiebat ſumere incrementum, tandemque in apertum ulcus faceſſebat, in quo leniter tractando, purificando atque curando tàm Medicus quàm Chirurgus ſuum faciebant officium; dum ſuperiora medicamenta paucis mutatis cum eſſentia ſanguineam maſſam purificante ex eſſent. lignor. lign. ſaſſafr. fumar. elix. propriet. conſtante ſunt repetita: aſt ob continuum humorum pravorum affluxum non modò ulceris conditio fiebat deterior, ſed & tantum ſumebat augmentum, ut defenſivis licèt optimis externè applicatis, integram mammam ſiniſtram occuparet, cumque temporis ſucceſſu intolerabilem ferè fœtorem de ſe ſpiraret, & labia ulceris mirum in modum hiſcerent, Chirurgus particulas quasdam de labiis nimiùm exceſcentibus reſecare coactus fuit, ſub qua operatione Patiens dolores nonnihil acutos ſentiebat, & leve animi deliquium patiebatur, aſt adhibitis paucis medicamentis refocillantibus

rurſus

rurſus ad ſe rediit. Pro ulceris mundificatione Chirurgus ſequenti decocto quotidiè bis uſus eſt:

℞. Herb. ſcord. ſolan. ãã. m. j.
Geran. robert. abſinth. plantag. fl. hyperic, ãã. m. ß.
Rad. ariſtoloch. rot. ſymphyt.
Lign. ſanct. raſp. ãã. ℥vj.
Rad. ir. flor. Myrrh. aloës epat. ãã. ℨiij.
Maſtich. thur. alumin. ãã. ℨij.
Nuc. cupreſſ. cort. granat. ãã. ℥ß.
Lythargyr. ℥j. M. coqu. in ſ. q. aqu.

Colaturæ ℞. ℔iß. Huic calefactæ immitte toties, quoties deligatio neceſſaria eſt, aliquid camphoræ, eoque pro ulceris mundificatione utere, tàm per ſyringam injiciendo, quàm lintea hôc madefacta exteriùs apponendo. Dumque Medicus & Chirurgus omnia, quæ opus erant, faciebant, nec tamen optatus effectus ſuccedebat, Patiens mali & fœtoris pertæſa, ab aliis auxilia petit, & ſe peregrino Chirurgo, qui arcanis quibusdã in auferendis tumoribus præternaturalibus & ſimilibus caſibus ſæpiùs probatis remediis curationem promiſerat, in præterito anno nobis etiam invitis committit; Hic præmiſſo laxativo, cauterium potentiale in forma linimenti craſſioris linteis oblongioribus inductum mamæ ſiniſtræ circumferentiæ in ſuperiore parte, hinc & emplaſtra defenſiva ac lintea decoctô purificante atque defendente madefacta applicat, ſicque ſequentibus diebus pergit, ac partes per cauterium potentiale ex antimonialibus vel arſenicalibus (arſenicum enim & butyrum antimonii ad aliquot uncias è noſtra petiit officina pharmaceutica) paratum, vitalitate ſuâ privatas nigricantes aufert, dumque per aliquot dies hunc proceſſum continuat, factum eſt, ut ob recurſum pravorum humorum verſus inteteriora Patiens, quæ nil niſi vel liberationem ab hoc graviſſimo malo, vel placidam mortem anxiè affectabat, de aliqua

colli inflamatione, difficili deglutitione, appetitûs proſtratione, viriumque debilitate conquereretur, pro quibus ſymptomatibus arcendis etiamſi multa ſint adhibita, & cauteriorum applicatio planè intermiſsa, tertiô tamen die vidua ſummè debilis, voti compos facta, placidè obdormivit.

Uxor primaria 54. annorum ſimili affectu cancroſo in mamma ſiniſtra ultra dimidium annum laborabat, quæ jam poſt ultimum puerperium per aliquot annos doloribus à cauſa, neſcio, qua obortis ſub ſiniſtra mamma vellicantibus conqueſta fuerat, dum verò certis temporibus remedia leniter evacuantia, & ſanguinem purificantia adhibuerat, aut ſeroſa materia quandoque è mammæ papilla effluxerat, paulò melius ſe habebat, & conſvetis remediis adhibitis ſæpius levamen ſentiebat, tandem verò, ubi pars per multos annos dolorifica, tumefacta & exulcerata eſt, Chirurgorum auxilia expetebat, qui nihil intermittebant, quæ ad rem facere videbantur, ſed dum curatio non ex voto ſuccedebat, & peregrinum Chirurgum, in civitate quadam primaria civem, qui in curandis iſtiusmodi affectibus magna promitteret, adeſſe audiebat, ſtatim ejusdem curæ ſe ſubjiciebat, aſt dum Chirurgus eandem medendi methodum, quam in priore vidua obſervavit, adhibebat, factum eſt, ut eundem quoque ſucceſſum, cura haberet, dum binæ fæminæ quæ uno eodemque malo laborabant, eodem ferè tempore animam exhalabant, ſicque ſimul ab hiſce gravioribus malis liberatæ, ſimul Chriſtiano ritu terræ mandabantur.

Uxor cujusdam civis noſtratis 38. annorum ante biennium ex improviſo tumore parvo cum quadam dolorifica ſenſatione circa inferiorem mammæ ſiniſtræ partem corripitur, unde Chirurgum adit, & pro eo discutiendo remedia quærit, qui per trimeſtre ferè ſpatium emplaſtra reſolventia & defenſiva applicabat, interim ægra ſat bene ſe habebat, nec menſium fluxus, licèt inordinatus quandoque fuerit, ceſſabat, tumor verò, dum nullâ ratione diſcuti poterat, vicinas

quo-

quoque partes corripiebat, tandemque in ulcus apertum abibat, in quo mundando & optimè deligando Chirurgus per ſemeſtre ſpatium multa quidem faciebat, aſt ægra à Chirurgo aliisque de periculoſo difficillimæ curationis ſtatu certior facta, multorum, etiam Empiricorum, auxilia quærebat, qui intra breve tempus perfectam mali curationem audacter promittebant, tandem verò, ubi reſcivit, Judæam in præterito anno ſimili affectu laborantem à Balneatore eſſe ſanatam, ejusdemque animus ab ipſa Judæa non procul hinc in pago habitante fuerat confirmatus, Medici quoque conſilium in hoc difficili caſu expetebat, qui, datô difficilis & ſæpè impoſſibilis curationis prognoſticô, internè humores vitioſos corrigentia ac leniter evacuantia, nec non, præmiſsâ etiam Venæſectione, ſanguinem mundificantia & menſes moventia medicamenta præſcribebat, à quibus ſe quidem paulò meliùs habebat, aſt prava ulceris conditio perſtabat, & dum à Medico atque Chirurgo curandi difficultatem, ſi non impoſſibilitatem exploráſſet, Balneatoris curæ ſe quoque ſubjicere decrevit: Balneatorem ergò ea de cauſa convenit, qui rei difficultatem exponendo, curationem iſtiusmodi affectuum eſſe ſæpiùs dubiam atque periculi plenam prædicit, ac ſimul ſvadet, ſi firma ſtet ſententia, Medicum quoque conſulat, & medicamenta in hiſce caſibus convenientia adhibeat, dein ſe officium ſuum pro poſſe eſſe facturum. Ægra Medicum adit, & medicamenta affluxum humorum pravorum avertentia ac leniter evacuantia, nec non ſanguineam maſſam purificantia per ſex ſeptimanas cum inſigni levamine adhibet: nam non modò inflammatio nonnihil remiſerat, ſed & tumor duriuſculus ſub axilla ſiniſtra omninò diſparuerat; & fonticulum in ſiniſtro brachio excitari curat. Tandem ſpe melioris futuræ conditionis plena, Balneatoris manibus mammam affectam offert, qui mane filo ſericeo rubro duplicato aut triplicato, mammæ ſiniſtræ bis circumducto, integram mammam conſtringebat, inque parte ſuperiore, non tamen nimis fortiter ligabat, circa

meridiem & veſperam rurſus paulò arctiùs filum contrahebat, idque per tres dies continuabat, quarto die novum filum ſericeum circa mammam bis ducendo ſuperius ligabat, ſicque per duos adhuc dies non tamen nimis fortiter conſtringendo pergebat, & pro inflammatione avertenda externè defenſivum applicabat; Patiens poſt ligaturam de quibusdam doloribus, non tamen ultra horam perſeverantibus conquerebatur, cæteroquin ſat bene valebat. Die ſeptimo mane Operator omnibus probè inſtructis, & erecto Patientis, quæ nocte præcedente atque manè potionem confortantem & anodynam tribus doſibus ſumſerat, animô, ipſam ſectionem aggrediebatur. Patiens ſellæ imponebatur, cujus manum ſiniſtram famulus tenebat, & Operator è regione Patientis juxta feneſtram in ſcamno ſedebat, novaculam acutam dextrâ arripiebat, ſiniſtrâ mammam, quam juxta ligaturam à ſuperioribus verſus inferiora, & quidem à parte dextra verſus ſiniſtram ducendo, per aliquot fortes ac celeres ſectiones reſecabat, famulus in dextro ſtans latere mox venulas ſanguinem fundentes cauteriô actuali tangebat, ſiquidem nimiam ſanguinis profuſionem inhibebat, poſtmodum Operator ſanguinem ſiſtentia & inflammationem arcentia remedia applicabat, & vulnus debitè obligabat. Patiens interea confortantibus internis atque externis refocillabatur, & lecto imponebatur, in quo per aliquot dies bene quievit, ac mediocriter ſe habuit, circa diem ſeptimum de appetitûs dejectione, & quadam colli inflammatione conquerebatur, ac licèt tam per clyſterem, quàm alia remedia interna atque externa in ſedandis motibus convulſivis & viribus reparandis conducibilia debilem ſublevare naturam tentaverint, omnia tamen fruſtrà ſunt peracta, & Patiens deglutiendi facultate omnino privata, ac tandem magis magisque debilitata animam exhalavit.

Quæ tandem de Judæa ſupra allegata ex aliorum relatione habeo, paucis hîc quoque recenſere volui, cum eaipſa magnam

gnam

gnam cum ſuperioribus habeant affinitatem. Illa autem 40. circiter erat annorum, atque ante tres annos tumore mammæ dextræ laboraverat, in quo reſolvendo varia quidem adhibuerat, ſed omnia fruſtra, tandem, ubi eſt exulcerata, & à variis diu, ſed ſine optato ſucceſſu deligata, mortem vitæ tædioſæ atque miſeræ præponens, dolorificam & dubiam Balneatoris curam ſuſtinere ſtatuit, qui eodem modô, de quo in priore caſu mentio facta fuit, proceſſit, atque præmiſsâ per aliquot dies ligatione per filamentum ſericeum rubicundum integram mammam dextram feliciter reſecavit, factaque deligatione per trimeſtre ſpatium tantô ſucceſsu curavit, ut in publicum rurſus prodire, & conſvetos domeſticos labores expedire potuerit, interim pars quædam, veluti fonticulus artificialis, quotidiè ſeroſam emittens materiam, manſit aperta, ſucceſſu autem temporis variis doloribus in mamma præcipuè ſiniſtra fuit vexata, tandemque tumor duriuſculus tàm ſub axilla, quàm ſubſequenti tempore in mamma ſiniſtra obortus, in quibus curandis, neglectis medicamentis internis, Balneator quidem multa egit, ſed per annuum ſpatium optatum ſcopum aſſequi non potuit, denique multis doloribus excruciata, & viribus deſtituta in præterita æſtate vitæ hujus ſcenam clauſit.

E caſibus ergò nunc allegatis patet,

I. Omnem cancrum ſive ſit occultus, ſive apertus, eſſe malum grave, pertinax & periculoſum.

II. Cancrum omnes quidem homines, magis tamen fæminas, humoribus abundantes infeſtare.

III. Cancrum ſæpiùs partes glanduloſas, in quibus eſt major humorum affluxus, afficere, earundemque tonum naturalem pervertere.

IV. Cancri cauſam proximam eſſe humores pravos, ſeroſos, acres, acidos, melancholicos vulgò dictos, corroſivos parteſque vicinas corrumpentes.

V. Cancrum remediis lenioribus, humores vitioſos, ſe-

roſos acresque temperantibus ac leniter evacuantibus, nec non ſanguineam maſſam purificantibus, & menſium fluxum promoventibus mitigari, acrioribus verò & corroſivis, ut arſenicalibus, antimonialibus, mercurialibus & ſimilibus exaſperari vid. Sennert. lib. 5. part. 2. Inſtit. Medic. item lib. 4. part. 3. ſect. 1. cap. 7. item lib. 5. part. 1. cap. 20. Jacob. Holler. inſtit. Chirurg. cap. 3. Hartmannus in praxi Chymiatr. Paræus lib. 6. cap. 30. Hildanus centur. 1. obſerv. 89. cent. 6. obſerv. 22. & 89. Imò idem Hildanus crebrâ experientiâ fuit edoctus, unguentum Ægyptiacum, aliàs in vulnerum atque ulcerum mundificatione probatiſſimum, in cancro nihil præſtare, ſed potiùs illum deteriorem reddere, vid. cent. 3. obſ. 86. & cent. 6. obſerv. 81. Quod Chirurgi, qui utplurimum hîc frequentiùs impingunt, & ulcera cancroſa ſæpè non aliter atque reliqua communia tractant, ſedulò deberent attendere, & ſimul memores eſſe obſervationis à Paræo d. l. allegatæ, ubi fœmina magnæ familiæ cancro laborans Chirurgo minus prudenti & experto ſe commiſerat, qui, dum curationem emollientibus, calefacientibus & pus moventibus fuerat adortus, cancrum ita irritavit, ut ægram brevi interemerit.

VI. Cancrum omnem eſſe difficilis; exulceratum verò & inveteratum utplurimùm nullius curationis. vid. Heurn. in comment. Hipp. ſ. 6. aphor. 38. Sennert. lib. 5. part. 1. Med. Pract. cap. 20. Bruno Seidelius lib. de morbis incurabilib. ac licet nonnunquam perfectè curatus creditus fuerit cancer, intra breve tamen tempus recruduit, & multò gravioribus ſymptomatibus ſtipatus patientem anguſtavit, quale exemplum refert Schenck. in obſerv. Medic. lib. 2. obſ. 302. vid. etiam Fabritius ab Aquapendente.

VII. Cancrum præprimis in mammis obortum, exulceratum & inveteratum ſectione vel uſtione rarò, & ferè nunquam perfectè curari. Talis enim rarò, præcipuè ſi ſit magnus & loca profundiora occupet, cum omnibus radicibus ſectione vel uſtione poteſt auferri, & ſi hoc non fit, mox iterum recrude-

crudeſcit, ac vehementiùs, quàm antea, affligit. Maſſa equidem ſanguinea in perſonis cancro exulcerato affectis jam vitioſô eſt inquinata fermento, ac licèt pars primariò affecta per ſectionem vel cauteria removeatur, tamen fermentum malignum ſanguini inhærens, quod per remedia etiam optima atque exquiſitiſſima vix unquam poteſt radicitùs exſtirpari, interjectô brevi temporis ſpatio vel leviſſimâ accedente causâ occaſionali vires reaſſumit, & ſimilia mala aliis in partibus rurſus excitat, quæ utplurimùm ægros ad ultimum uſque vitæ halitum miſerandum in modum excruciant.

*[A. 1691. M. Febr. Suinfurto Noribergam miſſa.]*

*Quibus fœminis menſtrua fluere deſinunt, ſi quandam pedum venam illo fluxûs tempore quater ſequente anno ſecuerit, ſibi de cancro commodè prævidere poterit.* Præſes.

## OBSERVATIO LXXVII.
## D. GUSTAVI CASIMIRI GAHRLIEP.
## Lerna morborum.

LErnam malorum in proverbium iviſſe non ignorant, qui literas norunt; heîc lernam morborum Curioſis ſiſto: Morbum nimirum innumeris ſymptomatum capitibus, iisque truncato Herculeâ remediorum clavâ, aut conquaſſato uno pluribus renaſcentibus præditum. Cum Anno 1666, qui pluribus febri tum Epidemiâ graſſante funeſtus erat, Francofurti ad Viadrum Profeſſioni ſimul ac Praxi Medicæ vacarem, alios inter complures ad Pictorem quendam peregrinum forte fortunâ illuc cum Domeſticis ſuis delatum, cui nomen Olimar, natione Brabantum, ætate inter quadrageſimum & quinquageſimum mediâ, febri qualis tunc graſſabatur continuâ duplici tertianæ complicatâ, paroxysmis nimirum quotidiè recurrentibus valdè vehementibus collectantem, vocor. Quam methodo in his mihi uſitatâ tracto, ac Divinâ ſecundante Gratiâ bullientem in vaſis ſanguinem paucos intra dies reprimo, æſtum tempero, vires inſtauro, ægrumque

que ut mihi videbar ab Inferis quaſi ac cymba Charontis ad ſuperos retractum ac in ſanitatis porta reſtitutum cenſebam. Sed ſpes me mea fallebat; cum enim eum reviſerem de dolore enormi & ardore in parte corporis ſequiori conquerentem audio. Sciſcitor quid rei ſubſit? Ille erubeſcit, effari cunctatur, (nam ne uxori quidem hactenus quicquam ejus rei detexerat) tandem cruciatibus victus, fiſtulam ſe ani à pluribus annis geſtaſſe, quæ nunc inflammata ac immenſum tumefacta gangrænam minetur. Periculum in morâ ſummum ex arenâ conſilium efflagitabat. Itaque obvia quam proximè in arcâ ædibus ſubjacente plantaginis foliâ colligi, conquaſſari ac paululum tepefacta loco affecto applicari, ac cum exaruerint, renovari juſſi. Succeſſit & hoc, DEO benedicente ac inflammatione repetitis ſæpius applicationibus ſopitâ tumor ſubſedit, atque fiſtula in priorem ſtatum reducta. Sed, eccum! vix de malo hoc ſuperato triumphabam, cum ardor ille ac fervor ſanguinis priſtinus eodem quo ante modo ſævire inciperet, appetitum rurſus proſterneret, ſomnum arceret, viresque denuò depaſceret: Gemino itaque cum hoſte mihi luctandum erat, febris nimirum coërcenda, ac inflammatio vix ſopita, ne recrudeſceret, præcavendum. His igitur dum dies noctesq; ſuperandis aliquantisper invigilo, novus ſubnaſcitur, Ægri nempe, ut erat naturâ temperamenti, olim ſic dicti, Melancholico bilioſi, impatientia. Quâ dum morbi atque temporis ad curam requiſiti fatalia (ut JCti vocant( prævertere vult, parum aberat, quin vitam ſimul cum valetudine evertiſſet. Immiſerat ille ante hâc falcem in alienam meſſem, ac auri ſacrâ ſtimulatus fame, ê pictore Alchymiſta factus, Lapidi, quem dicunt, Philoſophico inhiaverat, ſed quod Chymiæ procis utplurimum obtingit, pro Dominâ ancillam amplexus, alienæ materiæ labores ſuos impenderat, metallum ê vegetabili, aurum ê Chelidoniæ majoris planta quæſiverat eâque intentione Chymicorum amphiboliâ ſeductus, illam in quatuor ſua Elementa, ut vocant, ſeparaverat, pro aquâ phlegma, pro aëre ſpiritum, pro igne oleum, eaque

ſingula

ſingula ſepties rectificata paraverat, reſtabat, pro complemento irritorum laborum, ſal è reſiduo, quod caput mortuum chymicorum vulgo audit, per calcinationem eliciendus, ac ſeptuplâ cum phlegmate ſolutione ac coagulatione depurandus, cum prædictis tribus Elementis rurſus conjungendus ac in Tincturam auriferam longo labore figendus; Cujus rei opportunitatem ac opulentum quendam Euclionem, qui ſpem hanc incertam certa pecunia emeret, adeoque ſumtus ad id neceſſarios ſuppeditaret, quærendi ergò, itineris ſuſcepti, quantum ſubolere poteram, ſcopus erat. Tria enim illa ſua Elementa ſic dicta ſecum circumvehebat, quibus tanquam elementis futuræ ſuæ medicinæ univerſalis, præconceptâ ſuâ ſpecie ac opinione deceptus, plurimum in medicinâ quoq; tribuebat: Tunc ergò impatiens ulterioris ac diutinæ, ut ſibi videbatur, moræ, ſponte ſua meque inconſulto, Elementi ſui Ignis, Oleum nimirum ſubtiliſſimi ac ſummè penetrantis 30. guttas manè quodam jejuno ventriculo, cum vehiculo quod ipſe ſibi elegerat, vino, ſi rectè memini, Hiſpanico, haurit, idque mihi verſus meridiem ipſum inviſenti, narrat. Improbabam ſummopere factum, ac oleum in flammam aliàs jam nimis flagrantem infuſum exprobrabam, nec alium quam tragicum eventum præſtolandum, indicabam, ac domum me recipiebam. Eo vix reverſo accurrit ancilla ejus anheloſa cum ejulatu clamans, Dominum paralyſi totius lateris dextri affectum obmutuiſſe, rogat enixè ut quam citiſſime ad Eum advolem. Mando Chirurgum vocet, ut unà mecum eodem momento adſit. Accedimus illico uterque, jubeo venam affecti brachii tundere, ac, DEO benedicente, eâ vix apertâ, atque ſanguine confertim effluente, redit loquela, ſenſus motuſque totius lateris. Illo ſic eatenus reſtituto, hunc eſſe fructum olei ignei in fervore febrili præpoſterè accepti, ac ut imposterum ab ejusmodi deliramentis caveret ac proprio periculo cautius poſthâc mercari diſceret, moneo, ſimulque medicamentum ad præcavendum novum Ejusmodi ſymptomatis

inſultum ordino, cumque vis illius medicamenti ignei immensùm fervorem ſanguinis præternaturalem auxiſſet, alterans quoddam eundem compeſcens addo. Aliquod inde illo die levamen ſentiebat, nox quieta erat; ſequenti quoque die mediocriter habebat, ſicque ſuperati denuo mali ſpem faciebat. Accedo circa horam quintam pomeridianam, ac cum fervore illo præternaturali paulatim defervente, ſatis tranquillum invenirem, rem in vado puto, dum verò præſcripto quo venturâ nocte utendum, ſi opus eſſet, medicamento, ſemihorulæ forte ſpatium cum ipſo & uxore confabulationi tribuo, in ipſo ſermonis reciproci filo horribili cum boatu ac immani oris rictu caput non ſine ingenti aſtantium conſternatione in poſteriora ad cervicem usque diſtorquetur, totumque corpus reliquum horrendâ Epilepſiâ quatitur. Acceſſitur denuo me jubente Chirurgus atque mediana ſiniſtri brachii aperitur, ſic ſex circiter unciis ſanguinis detractis, caput in ordinem redit, convulſiones immanes remittunt; earum verò loco Tetanus ſuccedit, Corpus riget ac in longum morientiũ fere ritu tenditur & elongatur, Capite per Opiſthotonum retrorſum reclinato atque declivi, oculis ac ore apertis cum ſtertore gravi omnibus per quadrihorium & ultra agonizare, imò tandem remittentibus parumper tenſionibus mori planè videtur. Unde uxor de obitu mariti plane perſuaſa, de aſylo viduitatis ſollicita, Magnatum quasdam literis ſollicitare meditatur, cum circumſtantibus de juſtis perſolvendis, de ſarcophago ac tumulo deliberat. Verùm mortis locô Germanus illius, ſomnus eum profundus occupat, isque totum triduum absque intermiſſione, nec inter mortuum ac vivum diſcrimen ſupereſt, præter halitus pauxillum ſpeculum fortè inficiens, reſpirationis ſummè debilis adeoque & vitæ adhuc ſuperſtitis unicum indicium. Abſoluto hâc ratione triduo evigilat tandem, ſed nec mentis nec rationis compos, neminem ex familiaribus, nec me, nec ipſam denique uxorem ſuam agnoſcit; nil niſi abſona ac delira loquitur, & paucum

præ-

præter cibum atque potum ac medicamentum aliquod pretioſum egregiè corroborans nolenti volenti oblatum, nullius rei capax: Sic integrum octiduum tranſigit, quo elapſo redit mens ac ratio, ſed corpus & omnia membra intolerabilis ac univerſalis occupat immensùm noctes diesq; excrucians dolor, nullam requiem nec ſomnum ullum concedens, nec ulli anodyno aut narcotico ullatenus cedens. Variis fruſtra tentatis ac adhibitis, balneum tandem Aquæ dulcis è variis herbis diſcutientibus & anodynis in illâ decoctis adornari curavi, cui ad cervicem uſque immerſus, ter de die, initio per quadrantem horæ, dein diutius ad horam usque integram immoraretur, quo per triduum continuato ſopiti ſunt paulatim tandemque penitus ceſſarunt cruciatus illi enormes, ægerque Divinâ Gratia, cui Honor omnis & Gloria ſit ſempiterna, integræ ſanitati reſtitutus, aliquot ſeptimanas recuperandis viribus impendit, tandemque Viennam in Aulam Imperatoriam vitæ quæſiturus ſuſtentandæ præſidia, cum familia contendit.

## OBSERVATIO LXXVIII.

## D. GUSTAVI CASIMIRI GAHRLIEP.

# Calculus prægrandis è veſica fæminæ 56. annorum per dilatationem ſphincteris eductus.

EXcruciata malo nephritico tres circiter annos uxor pocillatoris cujusdam Aulici jam emeriti, poſt balneum aliquot dierum, quinq; excluſit calculos ſatis magnos, inde per annum & quod excurrit dolorum ac moleſtiarum inducias paſſa, mox tumore ſub alâ dextrâ genito, immenſum increſcente, ut mediam ferè ulnam diametro æquaret ac ad internecionem ferè torqueret, per ſesquiennium

miſerè afflicta, donec ſuppuratus exclusâ ingenti puris copiâ ſubſideret. Ex quo tempore intra quinquennium in veſicâ coaluit ac variis eam exercuit cruciatibus moles, cujus ſchema ad prototypum à me delineatum hîc exhibeo, quinque uncias cum ſemiſſe pendens. A quâ ut tandem liberaretur, ſpe aliâ nuſpiam comparente, creſcentibus indies cum mole moleſtiis, (inter quas non poſtrema, quod ſingulis vicibus urinam reddituræ calculus in collum uteri cum veſicâ pugni magnitudine deſcendens, & aliquousque, extra vulvam protruſus, uteri prolapſum, non ſine inſigni conatu & labore identidem reſtituendum, mentiretur) manui ſe lithotomi, natione Helveti, cui nomen Eslinger comiſit, qui corpore debitè, ac apparatu in rem præſentem requiſito, aptè diſpoſito, ſyringâ prius explorato calculi ſitu, mox & conductorio inſtrumento in ſphincterem immiſſo paululum primo, mox magis magisque inſigni dexteritate dilatavit, ut inſtrumento prius modicæ magnitudinis ingeſto, calculum apprehenderet, verum illo non obſecundante, ſed è forcipe rurſus elabente, aliud capacius ac fortius, atque cum nec illud moli illi educendæ par eſſet, tertium maximum ac valdè validum immitteret, ac non ſine admiratione aſtantium quatuor Medicorum, unius Chirurgi, ac obſtetricis unius, magno niſu tandem educeret. Quo educto, ac veſicâ & ſphinctere dubio procul valdè laceratis, ritè deligatis ac ſucceſſu temporis optimè curatis, intra triduum ac exinde hactenus per annum ferè integrum, urinam rurſus continere dummodo à levando onere aliquo graviore ſibi temperet, ſatis exactè poteſt, nec præter metum recidivæ; nullum à nephritide malum ulterius patitur.

Fig. XVI.

OBSER-

# OBSERVATIO LXXIX.

## D. GUSTAVI CASIMIRI GAHRLIEP.

*De*

## Spinâ gutturi infixâ.

SPina gutturi infixa quantas pariat anguſtias nemo ignorat, niſi inexpertus, imo vitæ & valetudinis jacturam inferre, Niger ille Rhetor Galatenſis referente Plutarcho in præcept. Salut. ſuo docet exemplo, Qui cum illam neglectim haberet, ac quod peregrinus quidam Orator cauſam coram concione dixiſſet, ne quid eidem conceſſiſſe videretur, ſpinâ adhuc in gutture hærente declamaſſet, in inflammationem gutturis lethalem incidit. Nec deſunt hiſce temporibus funeſta ejus rei exempla. Haud igitur immeritò, de remedio quo quantocyus amoveri queat, inveniendo ſoliciti fuerunt Medici, in auxilium ab ejusmodi afflictis vocati, & præcipuè, qui alicujus fuêre commatis, Chirurgi varia his ê gutture eximendis inſtrumenta excogitarunt. Verùm, ſi, quod res eſt, dicendum, auxilium, quod horum ope fertur, ipſo morbo crudelius, ac niſi periculum ab eâ remanente metuendum tantopere urgeret, à paucis fortè expetendum aut ſuſtinendum; hactenus tamen cum commodius ſe vix obtulerit, ſummum ac extremum fuit. Promptius vero haud ita pridem mihi innotuit, idq; experimento ſatis notabili comprobatum. Accidit Viro Illuſtri, ac inter ſidera noſtri hujus Poli præcipua fortè numerando, ut inter prandendum piſcis, quem Cyprinum latum ſeu Bramam vulgô vocant, cujus imprimis eſu dapes inter reliquas delectabatur, ſpina mediocris gutturi illapſa inhæreret ſolitasq; induceret moleſtias, ſollicitis de eruenda quocunque modo convivis unâ accumbentibus omnibus, unus illos inter facile ac pluries nec unquam ſine ſucceſſu expertum laudat & commendat remedium: Ejusdem nimirum piſcis qui noxam intulit ſpinam, ex iis quæ

coſtas conſtituunt, majorem, ſurſum rectâ directâ cuſpide, ut cutem ipſam tangat, frontis infigere capillis. Rident cæteri, Ipſe quoque qui ope quam maximè indigebat, Dominus, atque ſuperſtitionis anilis inſimulant; Ille verò urgere pergit, ac experimento veritatem rei aut futilitatem explorare dignetur, rogat. Annuit tandem, ac dicis potius cauſa, quàm ſpe auxilii, jocos inter aliorum ac ſannas, ſpinam ejusmodi capillis infigit. Quid fit? exiguâ temporis interjectâ morâ in cachinnum ſolvitur, ac ſciſcitantibus, quid rei agatur, reliquis, tumultuari refert admodum in gutture ſpinam, mox iterum, ipſam omnemque ejus evanuiſſe ſenſum, nec ſcire ſe ullatenus aut percipere quorſum evaſerit. Rident omnes ac ſtupent ſimul remedii promtitudinem æquè ac ſucceſſum. Ridebunt fortaſſis & alii hæc lecturi, ſed rem ita actam à fide digno eoque oculato teſte habeo, & quod majus, paucis abhinc diebus domeſtico experimento in proprio filio comprobavi. Connexum verò cauſæ cum effectu, ut ingenuè fatear, non capio; Aliis itaque me oculatoribus indagandum ac diſcutiendum his offero, Iis præcipuè qui particularum effluviis ſympathiam perfici contendunt; localem contactum ad actiones omnes naturales requirunt; Æthera tandem ſeu materiam ſuam ſubtiliſſimam, ingeniorum ſuorum progeniem admirandam, Ariſtotelis materiam primam, ſpagiricorum Hylen & quid non? multis paraſangis poſt ſe linquentem, omnia etiam ſolidiſſima corpora penetrantem, cuncta moventem, ac ſtupenda quævis patrantem, ſicubi effluvia illa fortè aut contactus deficiant, aut non ſatis quadrent, intertexunt.

OBSER-

## OBSERVATIO LXXX.

## D. GUSTAVI CASIMIRI GAHRLIEP.

*De*

# Opio ſingularia quædam.

DE opii uſu & abuſu, variisque effectibus, virtutibus ac vitiis variæ hinc inde obſervationes traduntur ac leguntur. Laudatur ab his, culpatur ab illis, pro diverſo, quem hic vel ille illius uſu ſucceſſum ſortitus, non tam à medicamento ſæpenumero, quam ab utentis fortè aut exhibentis culpâ pendentem. Mihi authoritate plurimorum Excellentiſſimorum Practicorum, ac illos inter præcipuè Celeberrimi Franciſci de le Boê Sylvii (cui in proverbio ſolebat eſſe, Medicum, qui ab opio abhorreret, nil quicquam laude dignum in praxi præſtiturum) nitenti, ſatis frequens eſt uſus, ſed magnâ cautione ac parſimoniâ diſpenſati. Nec, DEO ſit Laus & Gloria, unquam pœnitendus ex illius uſu accidit eventus; licèt ſæpiùs præter exſpectationem effectus quosdam ſubſecutos fatear, non tam pœnitendos, quam admirandos. Quos inter numero, quod in convenienti doſi propinatum anodynam potiùs quam narcoticam exſeruerit virtutem. Pluries id expertus ſum, ſed unum tantum aut alterum proferam exemplum. Refinator quidam Sacchari (liceat nomine parum Latino commodioris defectu uti) cui nomen Schaar, incontinentia urinæ & ejusdem ſtillicidio perpetuo à calculo laborans, intolerabilibus exercitus cruciatibus, inſomnes ſæpe noctes ex ordine plures ducere ſolitus, ab ordinato competenti doſi opiato dolorum quidem inducias ex voto obtinebat, adeo ut tranquillo decubitu (quem ille ſingulari emphaſi vernaculâ ſolebat exprimere, **als wenn er unſerm HErren GOtt im Schooße lege**) noctem tranſigeret, at ſomni, licet admodum deſiderati, ne gry quidem illi obrepebat. Sic Virgo quædam Auſtriaca, à ſervitiis Cameræ Illuſtri cuidam

Dominæ

Dominæ hîc pro tempore commoranti, dolore immenſo in inguine ſiniſtro continuò affligente, indeque ſtatis periodis totum latus abdominis ſiniſtrum horrendis cruciatibus invadente, ac noctem ſæpiùs integram torquente, menſes aliquot divexata, auxilium hactenus, quicquid tentatum aliunde, quàm ab opio nullum ſenſit, ſomno tamen, eodem licet ſatis magna doſi nonnunquam exhibito penitus defraudata. Nunc tandem aliis remediis tam internis, quàm externis nihil proficientibus, poſt uſum iteratum balnei aquæ tepidæ è ſpeciebus reſolventibus ac anodynis in eâ decoctis parati, ac poſtea applicato loco continuè dolenti topico, acrimoniâ humorum, quæ dolorem hunc immenſum hactenus aluerat, foras evocatâ, in phlogoſin totius ventris inferioris, veſicas ac ſi aqua fervente perfuſus eſſet, excitantem incidit, cujus ardore etiam vicinas ac circumjacentes partes, abdomen integrũ, pectus ad collum uſque, imo quicquid partes illas inflammatas modò contingeret, brachia & manus igne quaſi Perſico, occupante, tandem convenientibus remediis ſopito, ſpes nunc aliqua reconvaleſcentiæ affulgere incipit. Præterea in Viro quodam elimatæ eruditionis qui à Secretis eſt Sereniſſimo noſtro, idem comperi. Hic malo nephritico à longo tempore obnoxius, opiatorum proprio conſilio ſubinde aſſumtorum minori quidem doſi, ſomnum quandoque ſibi conciliat, ſed largiori, dolorum modò ac moleſtiarum intercapedinem, at nullam planè narcoſin ſentit; Verùm, quod notatu non indignum ſomno planè deſtituto tantum abeſt, ut ſenſus interni quàm externi ſopiantur aut ſtupeſcant, ut è diverſo ſpiritus alacriores potiùs reddantur, ac Mens ad meditationes etiam maximè ſublimes, per integram noctem continuandas & concatenandas excitetur ac aptetur. Imò nocte ſic inſomni peractâ, nihilò ad officii munia peragenda ſegnior aut ineptior, ſed alacrior potiùs & expeditior reſurgat. Simile quid alio quoque, eoque ſatis notabili experimento didici, prætereaque 1. quod opio crebriùs aſſumto natura tandem aſſue-

aſſueſcat, nec ſolitus ab eo effectus, niſi auctiori rurſus doſi exhibeatur exſpectandus ſit. 2. Diuturniori uſu familiare redditum, non Turcis modò, ſed & Europæis haud facilè noceat, ſed potius proſit. Duxerat Vir quidam Juvenis, cujus Parens à rationibus Publicis Electoralibus erat, Ipſe verò Legationis ad tractatus Pacis Neomagenſis à Sereniſſimo noſtro miſſæ, Stabuli, quem dicunt, Magiſter, durantibus illis tractatibus in Belgio, Viduam quandam nobilem, ac triduo à nuptiis dotis loco morbum contraxerat, doloribus noctu præcipuè intolerabilibus artus infeſtantem, huic poſt reditum in patriam curæ ſe meæ committenti, ut halcyonia quædam quandoque compararem, laudani opiati granorum duo in octo pillulas diviſorum, unam primum & illa parum proficiente, duas dolore verſus noctem ſæviente aſſumendas præſcribo, à quibus cum levamen aliquod perciperet, me etiam non ordinante parem numerum ſequenti nocte, & ſic quoq; tertiâ cum levamine capit. Tentat & quartâ ſed fruſtra, de quo poſterâ die conqueritur. Suaſi unam adhuc ſuperadderet, at non ſingulis noctibus, ſed unâ alterâve interpoſitâ, iis uteretur; Ille verò dolorum vehementiâ & impatientiâ victus, poſthabito monitu meo, ſex & poſt triduum incrudeſcente nihilominus dolore, tandem etiam integrum granum capit, ſicque per unam iterum alteramve noctem dolorum ſævitiem ſufflaminat. Qui cum tertiâ aut quartâ nocte medicamenti vim denuo eluderent, Ille ſucceſſivè, me licet contradicente, doſin ad duo grana, poſtea ad tria, quatuor, quinque, tandem malo nullis remediis etiam fortiſſimis, Laconico cum diætâ ſudoriferâ, ptyalismo, inunctione Mercuriali conciliato &c. non cedente, ſed contumaci in integrum & quod excurrebat annum protracto, ad ſcrupulum ſemis & integrum Laudani opiati aut fermenti anodyni ſingulis noctibus aſſumti aſcendit. Imo cum opiata illa correcta carè nimis à pharmacopœis eſſent redimenda, ad opium crudũ deſcendit, ejuſque tantundem ſingulis vicibus aſſumſit, ac tractu temporis

ad integram drachmam doſin auxit, in eaque doſi continuavit, atque adeo id ſibi familiare reddidit, ut ejus uſu caſu aut neceſſariâ de causâ neglecto, languidus, exhauſtus viribus & ad quævis inhabilis, illo verò aſſumto, non modo nocte à doloribus immunis, ſed & poſterâ quoque die vegetus validus & ad officii negotia tractanda aptus eſſet, ad extremum uſque diem, quem catarrhus illi ſuffocativus, in itinere ab aêre frigido ac nimboſo, corpore ac capite non ſatis præmunito, contractus accerſebat.

[*A. 1692. 9. Febr. Noribergam miſſæ.*]

## OBSERVATIO LXXXI.
## D. JOH. GEORGII SOMMERI.
# Effectus terroris in prægnante.

NObiliſſima Matrona ſexto menſe prægnans cum magno rerum ſuarum detrimento patiebatur domûs incendium, ex quo ingenti terrore tota partium ſolidarum & ſpirituoſarum attenuabatur facultas, mater jacebat omnibus ferè viribus deſtituta, inſomnis, tenuiſſimi victus aſſumta revomebat, vinum faſtidiebat, paucis: ſæpe morituræ ſimilis jacebat, & dum omnis motus fœtus per 24. dies disparebat, inter propriarum virium extremam jacturam de vita fœtus actum eſſe mater indubiè credebat. Interim quantum ejus fieri poterat, ſubinde reficiebatur mater, & fœtus recreabatur internis & externis, ſiquidem matris venter continuâ aromatum & ſpirituoſarum aquarum applicatione quaſi luxuriabat, poſt tres ſeptimanas fœtus tremore quodam intercalari animulam adhuc ſupereſſe docebat, & hoc ſemper cum matris anxio dolore: interim matri antepileptica & analeptica exhibebantur & externa ſpirituoſa continuabantur, donec ſuccreſcentibus matris viribus, veri fœtus motus redirent. Poſt hæc præter omniũ expectationem juſto tempore ſanus & probè nutritus naſcebatur filius, DEO debentur grates.

OBSER-

## OBSERVATIO LXXXII.
## D. JOH. GEORGII SOMMERI.
# Morſus Galli venenatus.

HOneſta quædam Matrona ante triennium, & quod excurrit, à domeſtico gallo gallinaceo in manu gallinam tenente lædebatur, & ex improviſo morſu impetebatur, adeò ut vulnuſculum mediocri piſo impleri potuiſſet. Morſa hæc primùm leviculum ſentiebat dolorem, nihil mali metuens, poſt paucas autem horas dolor ita exacerbabatur, ut nec manũ nec digitos movere valeret, imò dolor in ipſam axillam uſque protrahebatur, paulò pòſt ſequebatur tumor dolorificus à digitis extremis ad ipſos usque humeros cum intenſa inflammatione, laborioſa cordis anguſtia, vigiliis & calore febrili. Huic venenato morſui & emergentibus ſymptomatibus obviã ibatur tinct. bezoard. ſale ſerpent. volatili, magiſt. Antimonii, ZZnativ. lap. Cancr. & ſimilibus. Externè malum obſervabatur per expertum Chirurgum noſtrum Aulicum Dn. Joh. Mezoldum, quibus dicta Matrona poſt 14. dies omni malo per DEI gratiam libera totum brachium nova cute, priori ſecedente, indutum nanciſcebatur. Huic exemplo analoga vid. in *Obſerv. Joh. Schenckii pag. 846. 850. & Ephemerid. Cur. Ann. II. Dec. II. pag. 179. uſque 181. & 386.*

## OBSERVATIO LXXXIII.
## D. JOH. GEORGII SOMMERI.
# Prægnantium diæta fœtuum hodegeta.

PRægnans quædam ſcorbuticæ diſpoſitionis, tempore geſtationis uteri gulæ laxabat habenas, & inter alia eſui pomorum crudorum uſque ad tempus partus indulgebat: quamprimum autem natus eſſet infans, ex imbi-

bito crudo alimento varia etiam naſcebantur ſymptomata, puta ex ſanguine ſeroſo defluxio catarrhalis, narium obſtructio, pectoris repletio, & non rarò tam anxia reſpiratio, ut de vita periclitari videretur. Poſt hæc aprico ſe exponebant digeſtionis & ex ea lactis aceſcentis vitia, ceu vomitus, tormina pertinacia, excrementa grumoſa & pituitoſa, & poſteà ad 5. ſeptimanas aquea. Intereà lacte fruebatur inculpato, parum tamen propter vitioſam coctionem frugifero, donec ventriculi & inteſtinorum tonus internis & externis roborantibus firmaretur, & tum alimenta cum excrementa coctioni naturali reſtituerentur. Pertinacium horum effectuum matris diæta evidens apparebat cauſa, qua κράσις humorum & viſcera digeſtioni dicata, cruda lubricitate ita vacillabant, ut remediis non niſi ſedulò continuatis cederent.

## OBSERVATIO LXXXIV.
## D. JOH. GEORGII SOMMERI.
## Uteri hæmorrhagia in recens natis.

INfans trium dierum conſtitutionis ſanguineæ, ad 7. dies quotidie, ad cochleare dimidium, ſanguinis ex utero lento motu excernebat, & quamvis poſt uſum corall. ppt. diſpareret, tamen poſt 3. dies hæmorrhagia hæc recrudeſcebat, & ad 4. ſeptimanas durabat, ſaltim quod interdum uno vel 2. diebus nihil appareret, idque ſine ulla obſervata dyſphoria, imò ſub excretione hac lætior & vegetior apparebat infans jam pancraticè vivens. Duo huic ſimilia obſervavit exempla in recens natis D. D. Georg. Frider. Cellarius, Archiater Rudolſtadio-Schvvarzburgicus, amicus meus honoratiſſimus.

[*Arnſtadio Noribergam A. 1692. d. 3. Martii miſſæ.*]

OBSER-

## OBSERVATIO LXXXV.

## D. JOSEPHI LANZONI.

*De*

# Remedio facili ad quartanam.

AD fugandam quartanam febrem, multi multa parant remedia; per literas autem Illuſtr. *D. Paulus Mar. Terzagus*, Medicus Mediolanenſis præſtantiſſimus, Amicus meus maximus, communicavit mihi remedium à ſe expertum felici ſucceſſu, ex facilè parabilibus, quod eſt Coriandri præp. ℥ß. contus. quæ infundatur per horas 24. in ℥v. vini albi, inde coletur, & Vinum bibatur ante acceſſionem. Sed lubet idem ipſiſſimis verbis prælaudati Viri etiam proponere: il dotiſſimo tuo trattato della quartana, non piu tanto opprobrio de' Medici, come un disgratiato penello la dipenſe, eſſendoſi ritrouata forma di domarla. Non può andar più in carro trionfale tirato da Hippocrate, e Galeno, gran Lumi dell' Antichità; mentre facilmente il ſuo furore rintuzaſſi; Un rimedio de facile parabilibus, che più volte m' è riuſcito; una mez' oncia di Coriandoli præparati, & amaccati poſti in infuſione in cinque oncie di vino biancho per hore 24. poi colato, beverlo avanti l'acceſſione fà mirabile effetto; e la Signora Marcheſa N. N. fù da me con queſto rimedio ſanata aborrendo dalla china China da me variamente uſata.

## *SCHOLIUM.*

SCriptum à multis legi, traditur in *C. Plinii ſecundi lib. 4. de re med. cap. 4.* tria coriandri grana tertianas excludere ante acceſſionem ſi fuerint devorata. Iisdem quoque repellendis efficax eſſe coriandrum ante Solis ortum ignoranti cervicali viride ſubjectum; quod *Æmilius Macer de herbar. virt.* ſic expreſſit:

*A multis ſcriptum legitur, febris ante tremorem*
*ſi tria grana voret coriandri ſeminis æger,*
*evadet febrem, cui dat lux tertia nomen.*
*Præſtat idem lectum coriandrum mane, priusquam*
*Sol ſurgat, cervicali ſi ſubditur ægri.*

Sed trium iſtorum granorum uſus quod tanta præſtare valeat, nemo facilè ſibi perſuaderi patietur, & potius, ut & cætera, ſuperſtitionem aliquam redolet. Magis ſuperſtitioſa ſunt, quæ de ejusdem vi antifebrili *L. Apulejus cap. 103.* protulit. Majori fide nititur præſens Obſervatio, in qua ſemen coriandri, magnâ doſi adhibitum, partium ſuarum tenuitate aut volatilitate, lympham in acorem vergentem & viſcidam corrigendo, febrem aliquando domare poſſe credibile eſt. Qua etiam ratione *Sim. Setho de aliment. facult. lit. k. 19.* ventriculum roborare, & *Hippocrati* etiam *lib. de affect.* ori ventriculi gratum eſſe dicitur. Quin & *Galenus lib. 8. cap. 4. de comp. med. ſ. l.* ructu acido affectis coriandrum cochlearii menſurâ, ex *Archigene* commendat. Curioſum eſſe videtur, quod in *Jatroſoph. miſcell. Joh. Bapt. Sitoni tract. 25.* invenitur; dum coriandri ſeminis naturam ad aromatis & alexipharmaci prærogativam accedere innuit; per ſemen non externum corticem ſed internum nucleatum, humidi & oleoſi modicum quid habentem, i. e. medullam intelligens; cum illud alterum, putaminis nomine ipſi inſignitum, nullius ex ſe odoris ſit, mentem commoveat, viſcera moleſtet, & homini ferè venenum exſiſtat, cujus ſolius intuitu præparatio illa in pharmacopoliis uſitata præſcribatur. Sed uti medullam illam in coriandro revera aromaticam eſſe, cortice nullo vel exiguo ſapore & virtute prædito, *Sitono* largiamur, propterea tamen hujus corticis tam periculoſum uſum exſiſtere nemo facilè credet, præſertim cum Coriandrum exſiccatum ab omni noxa jamdudum experientiâ vindicaverit.

[*L. Schröck, L. F.*]

OBSER-

## OBSERVATIO LXXXVI.
## D. JOSEPHI LANZONI.
*De*
# Cephalalgia capitis vulnere curata.

FAber lignarius quidam cephalalgia per tres menſes affectus, varia expertus eſt remedia, quæ tamen omnia fruſtranea fuêre. Caſu autem cecidit ſuper caput ejus lapis è feneſtra cujusdam domu, caputque læſit, ſine tamen cranii læſione. Vulnus ordinarâ methodo curatum eſt; ſicque Patiens & à vulnere, & à cephalalgia ſanus evaſit. Sic me legiſſe recordor apud *Adolph. Brachelium in hiſtor. ſui tempor. ad ann. 1635. pag. m. 27.* partis ſecundæ, Adoleſcentem ſtomachi languore ac vomitu affectum fuiſſe, qui, immiſſo per œſophagum in ventriculum cultello, & è ventriculo à perito Chirurgo ope vulneris arte facti, extracto, poſt vulneris ſanationem, etiam à ſtomachi languore ac vomitu convaluit; ſectio autem iſta infra coſtas ſiniſtri lateris facta fuit.

## OBSERVATIO LXXXVII.
## D. JOSEPHI LANZONI.
*De*
# Cœcitate ex adſtricta dyſenteria.

NObilis quidam Vir 38. annum agens, gracilis habitus, ad iram pronus dyſenteria corripitur ſæva, morbo ſcilicet magno, & periculi pleno, longo, laborioſo, & letali ab *Hippocrate* dicto, ſi tertium gradum attigerit. Vocat ipſe turpem pſeudomedicum, qui ut cito ſanaret hunc Illuſtriſſ. virum, ſummè adſtringentia propinat remedia; At ceſſante alvi cruento fluxu, dolores circa articulos inſurgunt; anodynis ungit Medicus affectas partes; & patiens

paucos

paucos poſt dies oculorum afficitur dolore ac inflammatione, quam cœcitas ſequuta eſt, quæ multis adhibitis remediis à doctiſſimis etiam Medicis rectè adminiſtratis adhuc non ceſſat.

## OBSERVATIO LXXXVIII.
## D. JOSEPHI LANZONI.
### *De*
# Vomitu & ſingultu ex Venere.

MIhi retulit Civis quidam Mantuanus, ſe fratrem annorum 30. habere, qui quotiescunque in clinopali ſe exercet, poſt dulces Veneris guſtatus vomitu tentatur, & materias flavas amaricantes ejicit ad pondus unciarum duarum. Et ego olim me vidiſſe Hebræum recordor, poſt coitum ſingultu affectum per ſemihoræ ſpatium durante.

## OBSERVATIO LXXXIX.
## D. JOSEPHI LANZONI.
### *De*
# Muliere gravida epileptica.

UXor Civis cujusdam noſtri Ferrarienſis, annorum 26. temperiei biliosæ, trium filiorum parens, quotiescunque gravida eſt, ſontica paſſione afficitur bis in menſe, transacto autem nono menſe & partu finito, ab epilepſia liberatur, & pro ſigno infallibili (ut ipſa ait) novæ conceptionis ipſi eſt epilepticus inſultus: Modò eſt gravida, & ego obſervavi verè ipſam epilepſia affici, nam levi cauſa in iram erumpit, ex improviſo in terram cadit, ſpuma ex ore exit, violenta concuſſione totum corpus quatitur, membra modò inordinatè retrahuntur, modò diſtenduntur, in ſe autem reverſa non recordatur eorũ quæ ab aſſiſtentibus fuerunt peracta. Multa adhibita fuere remedia, ſed omnia fruſtra; nunc

nunc etiam epileptica & quinquemeſtris gravida vivit, ſemper rubore genarum ac capitis calore moleſtata.

## *SCHOLIUM.*

INfeſtum hoc factæ conceptionis ſignum, ſanguini bilioſô ſive particulis acribus & irritantibus prædito, qui tempore graviditatis per conſuetum menſtruum fluxum non depletur, atque ita epilepticos inſultus, copiâ ſuâ infeſtus, excitat, videtur adſcribendum. Plura alia ſingularia ingravidationis ſigna occurrunt. Prout in *Ann. III. Dec. I. harum Ephem. obſ. 148.* gravida producitur, cui nunquam, niſi cum prægnans eſſet, menſes fluxerunt, ita ut cum hi fluere inciperent, jam certa de impprægnatione eſſet. De ſudore totius corporis, qui aliàs in uno tantùm latere profluere ſolebat, videatur *Ann. II. Dec. II. obſ. 126. Nob. D. Hannemannus in Act. medd. Hafn. Barthol. Vol. 3. obſ. 17.* uxorem ſuam ex ceſſante odontalgia, quâ non gravida plurimum torqueatur, ſimile indicium habere teſtatur; & Exc. *D. Vit. Riedlin obſ. med. 98.* ſomni meridiani mentionem facit, qui certum conceptionis ſignum in quadam fuerit.

[*L. Schröck, L. F.*]

## OBSERVATIO XC.

## D. JOSEPHI LANZONI.

# Mira calculorum excretio.

SUpra laudatus *D. Paul. Mar. Terzagus* mihi nuper per literas communicavit ſequentes de calculis obſervationes: Menſe Julio A. 1691. Monialis annorum 19. intra octo dierum ſpatium 79. calculos depoſuit, quorum aliqui pondus trium denariorum æquabant; duo autem erant longitudinis & latitudinis ungulæ mediani digiti, in quibus lucidæ apparebant atomi; cæteri autem calculi colore variabant, aſt illi, qui milii granum æquabant, non fuere nume-

rati, ſed cum arenulis abjecti. Porrò Concionator quidam totius Quadrageſimæ tempore 50. excluſit calculos, inter quos unus erat curioſæ figuræ; ſceptrum enim Turcicum repræſentabat, in cujus ſummitate ſemiluna conſpiciebatur. Tandem in veſica fellea cujusdam cadaveris humani reperti fuerunt 80. lapilli lucidiſſimi, nigri coloris.

## OBSERVATIO XCI.
## D. JOSEPHI LANZONI.
### *De*
## Puero Diabete laborante.

PUer erat ſeptennis, temperiei calidæ & humidæ, qui poſt ſcabiem, quæ ſponte evanuit, urinæ magnam quantitatem mingere cœpit, ita ut ejus quantitas per multas libras excederet potûs quantitatem; urina verò à Curioſis bis & ter ponderata libr. 20. pondus quotidie æquabat. Attamen lege artis noſtræ curatus in fine menſis convaluit. Sic me legiſſe recordor apud *Schenckium*, *Cardanum*, aliosque, puellam quandam paſſam olim fuiſſe tale urinæ profluvium, ita ut ſingulis diebus libras 36. ejus emingeret, idque ſpatio duorum menſium, & tamen quotidie non aſſumebat pro cibo & potu niſi ad ſummum libras ſeptem. Qua autem ratione urina, ſeu aqua in tanta copia egredi queat, inquirere mihi nunc placet. Cogitavi enim in puero ac puella ſupra dictis, potuiſſe à nimio calore colliquari ſanguinem, ac ſecundum majorem ſui partem in aquoſum laticem verti; Credidi inſuper potuiſſe dilatari vaſa tum emulgentia, tum lymphatica, tum ea quæ ſunt à ventriculo ad renes; Pariter putavi totum ferè potum ac cibum in aqueum humorem potuiſſe reduci. Verùm iſtis omnibus unitis, nec decimam aquæ egredientis partem æquare potui. Inſuper admiſi & intemperiem renum & viſcerum cum Antiquis, & vitriolico-auſtera ac

funden-

fundentia fermenta cum Recentioribus. At hæc omnia convincunt equidem materias, quæ in corpore ſunt, poſſe fundi, colliquari ac egredi, ſed non convincunt id quod non eſt poſſe diffluere. Cùm igitur interior cauſa non ſit demonſtrabilis, ad cauſam exteriorem confugiendum eſt, concludendumque, ab aëre denſo & humido, plurimaque aqua vaporibusque referto, pendere; Aër enim aquoſis illis vaporibus impregnatus, in pulmones delatus, immediatè ſanguini immergebatur, ac nimiam aquæ quantitatem in eo deponebat, ſicq; ad renes delatus ſanguis aquam jam ſuſceptam dimittebat. Cur autem in his potius quàm aliis ibidem degentibus contigerint iſti affectus, recurrendum ad peculiarem iſtorum patientum conſtitutionem. Suſpicari autem quis poteſt, quod cum in hiſce morbis ingens ſitis adſit, patientes iſti ingentem aquæ quantitatem furtim potarint; ſicque hæc promptior cauſa videtur; nam quò plus ſunt potæ, plus ſitiuntur aquæ.

## OBSERVATIO XCII.
## D. JOSEPHI LANZONI.
### *De*
# Fluxu menſtruo imminuto hirudinum appoſitione curato.

FOrmoſa Virgo Bononienſis, annorum 22. parum felici prædita ſanitate, continuo capitis dolore afficiebatur, qui tempore menſtruæ purgationis imminutæ magis exacerbabatur; tandem ſequuta eſt febris lenta cum nauſea & alvi ſtypticitate. Me in conſilium vocaverunt Parentes, & varia medicamina ſecundùm artis leges exhibui, ſed omnia fruſtra. Ultimo propoſui hirudines utero apponendas; quod remedii genus ægrè admiſit patiens, & tamen appoſitis internæ uteri parti duabus hirudinibus, eodem modo, ac eadem arte, quam olim docuit in ſuis Progymnaſmatibus *Hieron.*

*ron. Nigriſolus*, Medicus noſter Ferrar. melius Juvencula ſe habere incepit, paucisque elapſis diebus omnino ſanata fuit. Domeſticos tamen monui ac hortatus fui, ut Virginem ſponſo conjungerent, quò conſtantiori frueretur ſanitate. Et hiſce diebus intellexi, ipſam deſponſatam jam eſſe, imò gravidam, nec unquam amplius paſſam fuiſſe nec minimum quidem capitis dolorem.

## *SCHOLIUM.*

CUm hirudinum morſus non aliud quid præſtet, quàm reliquæ vaſorum ſanguiferorum per ferrum apertiones, quomodo illarum utero adplicatio in fluxu menſtruo imminuto prodeſſe queat, neminem latere poteſt. *Zacutus Luſit. lib.* 1. *de medd. princip. hiſt. obſ.* 4. cum in retentis menſtruis non abs re, ob mutuum inter anum & uterum, ratione viciniæ & vaſorum communionis, conſenſum, hirudines hæmorrhoidalibus vaſis affigi pronunciaſſet (id quod etiam *Hier Fabricius ab Aquapendente* ſingulari obſervatione *tr. de chirurg. operat. p. m.* 113. comprobat) ſequenti *obſerv.* 5. feminam ex menſtruo vel puerperio retento phrenitide periculosè decumbentem, quatuor hirudinibus internæ uteri parti appoſitis, ſe curaſſe ſcribit. Memini tamen *D. Dominū de Marchetis*, Profeſſorem quondam Patavinum in publica lectione dixiſſe, quod in quodam MSto legerit, commendari hirudines cervici uteri in menſium ſuppreſſione adplicitas. Quod tamen ipſi diſplicebat, partim quod una hirudo ultra unciam unam ſanguinis vix evacuet, partim id non fiat ſine exulceratione aut dolore, cum cervix ſpeculo uterino dilatari pro adplicatione debeat. Noſtris in regionibus vix centeſima femina hoc remedii genus præ pudore eſſet in tali morbo admiſſura; ut Medicum de remediis aliis, efficaciter ſatis contra morbum iſtum operantibus, ſollicitum magis eſſe deceat.

## OBSERVATIO XCIII.
## D. JOSEPHI LANZONI.
*De*
# Variolis in Vetula.

ME legiſſe recordor apud *Franc. Ignat. Thiermairium lib. 1. conſil.* Monialem 70. annorum, variolis laboraſſe, cui ſimiles obſervationes etiam leguntur apud Corn. Stalpartum van der Wiel, tom. II. obſervat. Egoque anno 1691. M. Septembri vidi feminam 72. annorum, variolis in magna etiam copia correptam, quæ in ſeptimæ diei principio mortua eſt.

## OBSERVATIO XCIV.
## D. JOSEPHI LANZONI.
*De*
# Remedio Arthritidis prodigioſo.

PEdum Præfectum jam per tres ſeptimanas peſſimè à podagra habitum, ſolâ nive, tam eandem affricando, quàm ſuper eam nudo pede ambulando convaluiſſe refert *D. Jo. Nic. Pechlinus lib. 2. obſerv. med. 28.* Egoque notavi Religioſum quendam maximè podagra affectum, doloribusque ſævis cruciatum, qui deſperatione ductus aquam gelidam poſtulavit; quam famulus cum conceſſiſſet, ipſe pedes affectos unda gelida perfuſit, & paucos poſt horas liber à dolore evaſit, fluxioque podagrica evanuit.

### *SCHOLIUM*

DE aquæ frigidæ in podagra utilitate etiam quædam habet *Anni Ephem. præcedent. obſervatio 176.* Prolixius autem materiam hanc tractat, atque tum authoritate antiquiorum recentiorumque Medicorum, tum rationibus, nivis,

frigidæq́ue in hoc adfectu uſum monſtrat *D. Thom. Bartholinus tract. de nivis uſu cap. 28.*

[*L. Schröck, L. F.*]

## OBSERVATIO XCV.
## D. JOSEPHI LANZONI.
*De*
## Fiſtula curata.

Siſto hîc hiſtoriam curioſam mihi per literas communicatam ab Eruditiſſimo *D. Joh. Coſmo Bonomo*, Sereniſſ. Electricis Palatinæ Archiatro, de fiſtula curata. Literæ autem ipſæ hæc habent: Nel noſtro publico Oſpedal di Livorno queſta ſettimana è occorſo il tirar fuori d'una ferita ſotto l'omoplata nella ſpalla deſtra di un Soldato una candelletta di lunghezza otto deti, che da venti meſi in qua v'era ſtata meſſa, e non piu trovata, ne tanpocho penſata che vi foſſe, ſolo attribuendo la continuatione della fiſtola alla cattiva qualità della ferita, che haveva reſo il patiente quaſi gobbo, mà apena eſtratta la candeletta ò moccolo immediatamente tornò ad alzarſi & à drizzarſi come in tempo di ſalute, & ora à momenti ſi rende guarito.

## OBSERVATIO XCVI.
## D. FRANCISCI JUSTINI.
## Ophthalmiâ nive curata.

JUvenis 25. annum agens, temperamenti calidi & humidi, hyeme transactâ, ophthalmia dextri oculi adeo graviter laborans, ut de viſu periclitaretur, ſævisque etiam ita afficiebatur doloribus, ut diu noctuq; dormire non poſſet; unde cùm me accerſiſſet, exquiſita inſtituta victus ratione, venam ſtatim in cubito dextro incidere, ſequenti autem die aquas ophthalmicas applicare juſſi, ſed magis

magis inde dolores augebantur, & ſic impatiens deſperatusque ob ſuam ſalutem æger, quotidie nova à me petebat remedia; unde permotus illius importunitate, aliquantulum nivis oculo adplicare juſſi, fretus tamen authoritate *Thom. Bartholini, qui libr. de nivis uſu med. cap. 25. dicit: Oculorum inflammationem & exinde exortos dolores nullo alio remediorum genere ſedare nuper potuit vir nive candidior, & illuſtrior M. Eraſmus Pauli f. Windingius, Regius Profeſſor, Affinis & Collega noſter inter primos æſtimandus, quàm nivis globulo quem in horto obambulans applicui.* Applicata igitur nive ſtatim dolores conquieverunt, ophthalmia evanuit, ſanusque æger noſter evaſit.

## OBSERVATIO XCVII.
## D. SALOMONIS REISELII.
# Cornea multiplex.

CORneam oculi tunicam non ſimplicem eſſe, ſed in laminas dividi, plerique Anatomici aſſeruerunt. *Hippocrates Cous* ipſe *lib. de Principiis* (meliùs quam Carnibus) *cap. 18.* poſtquam de cornea locutus eſſet, hæc ſubdit verba. πολλὰ δὲ ταῦτ' ἐςὶ τὰ δέρματα, πρὸ τῦ ὁρέοντος διαφανέος, ὁκοῖόν περ αὐτό ἐςιν. Quæ vertit *Janus Cornarius*, & ex eo *Lindenius; Sunt autem multæ hæ tunicæ præ oculis pellucidæ, quales ipſi exiſtunt:* Sed *Anutius Foëſius* ſic: *quæ oculi pellucido prætenduntur, ipſique ſunt ſimiles.* Quamvis verò ex iſtis verbis *Fortunatus Plempius Ophthalmograph. lib. 1. cap. 9.* audacter ſtatuat, *multas ſive laminas ſive cortices corneæ Hippocrati fuiſſe exploratos;* dubitanter tamen *Foëſius in notis* de ſenſu Hippocratico loquitur ad verba πρὸ τῦ ὁρέοντος διαφανέος. Διαφανέα, inquit, *legunt alia exemplaria, quæ ſecuti ſunt Cornarius & Calvus. Sive igitur de multis tunicis, quæ cryſtallino humori prætenduntur, accipiatur, ſive de cornea tunica, quæ in mul-*

*tas*

*tas veluti laminas ſecatur, eæ omnes ſunt pellucidæ, ὁκοῖόν περ αὐτό ἐστι, quale pellucidum ipſum exiſtit, quanquam illud ad oculos refert Cornarius.* Interim tamen *Foëſius* ipſe expreſsè dicit, *corneam in multas veluti laminas ſecari.*

Quod *Galenus* etiam corneæ tunicas multiplices aſſignarit, ex *F. Plempio l. c.* videtur colligi, nam aſſerit *corneam & ſclerotin differre ſolùm attenuatione atque expoſitione velut adamas politus limatusque à rudi adhuc & ſcabro, ut è fodinis eruitur, aut qualiter ſumma pars bubuli cornu lucens & lævis à baſi ſua corio propinqua aſpera, triſti & luridâ*, inquiens porrò, *A qua opinatione mea non videtur alienus Galenus lib. 10. de off. part. cap. 3. ubi ait ſapientiſſimam naturam anteriore parte limaſſe craſſam denſamque tunicam, feciſſeque qualia ſunt cornua accuratè raſa & attenuata. Quod quanquam ita ſit* (pergit *Plempius*) *non ſimplex tamen hoc ipſo in loco eſt cornea, ſed multiplex: in cortices enim quatuor diviſa alii alium obductos, ſicut in cepullis; quos ſi libet ſeparare, non admodum id fuerit laborioſæ operæ negotium. Illis quatuor laminis, ait Rufus lib. 1. cap. 5. ſuperincumbere epidermida cæteris longè tenuiorem, quem locum miſerè intelligens Placentinus falsò nobis obtrudit, à Rufo hic adnatam tunicam per epidermida deſignari.* Hactenus *Plempius.* Cujus cum *Rufo* ſententiam hic aſſumimus, quia nec in *Galeno* invenimus, nec *Rufum* ad manus habemus (*a*) *Rufum* hunc ſequuntur Moderni Anatomici. *Andreas Veſalius de hum. corp. fabrica lib. 7. c. 12. p. 805.* ſcribit. *Neque hæc præſentis tunicæ pars cornu in luciditate, qua id etiam ſuperat ſolùm reſpondet, verùm & ſubſtantia quoque: eſt enim hæc tunicæ pars cornu modo dura, & cornu inſtar in laminas dividi radique poteſt, perinde ac ſi ex laminis aliquot ſeu ſquamis invicem compactis conſtitueretur. Itaque hinc eſt in oculariorum medicorum cura, quæ ſenibus hanc tunicæ partem attenuari præcipit, quam à tanta cum cornu ſimilitudine κερατοειδῆ Græci, nos verò corneam nominamus.*

*Andr.*

*Andr. Laurentius Hiſt. Anatom. lib. 11. c. 6.* ſimilia habet. *Secunda tunica κερατοειδὴς dicitur & σκληρώδης, cornea & dura, quod duritie & pelluciditate cornu prætenue & accuratè politum ac deraſum referat; vel quod, ut voluit Ruffus, cornu inſtar in laminas diſſolvatur, pluribus enim ceu corticibus conſtare dicitur.*

*Hier. Fabricius ab Aquapendente* audiatur. Is *de Oculo viſus organo part. 1. cap. 2.* ita. *Ruffus hanc tunicam corneam dictam voluit, aut propter firmitatem, aut quoniam interiùs conditus humor per hanc tanquam per corniculum ſeu laternam translucet: aut quod inſtar cornu in corpuſcula ctedonas vocata ſcilicet fibras aut filamenta aut laminas reſolvitur.* Et mox: *Et quamvis tenuis ſit tunica ut diaphana ſit, non tamen ſimplex cenſenda eſt, ſed triplex, quadruplexque conſpicitur, quaſi ex pluribus corticibus conſtare videatur, cum laminæ, quarum una alteri ſuperpoſita eſt valideque adhæret, multæ ſint, quas ſi quis invicem ſeparare velit forficis mucrone, aut exigui cultri acie ad circumferentiam corneam præcidat, poſtea unguibus ſeparet, quatuor enim tunicas non difficulter efficiet: quas etiam cultro acutiſſimo ſeparabit in ſuo ſitu cornea remanente. Quibus omnibus, ut ait Ruffus lib. 1. cap. 5. vocata epidermis ſuperincumbit, cæteris laminis longè tenuior. (b) Hæc eſt illa corneæ cuticula, quam una cum reliqua ſenecta ſerpentes quotannis abjicere, pluries ego oſtendi.* Idem *part. 3. cap. 2. In Corneæ utilitatibus. Eandem ob cauſam etiam multiplex exiſtit, hoc eſt, ex quatuor tunicis conflata, ut cum extra pulveri fumoque ac multis lædentibus eſſet obvia; ſi fortè fortuna aut ab his, aut ab illis, quæ intrinſecus nocere poſſunt, nimirum internis humoribus, una tunica eroſa aut labefactata eſſet, ſecunda & reliquæ ſufficerent ad cryſtallini tutelam.*

*Th. Bartholinus Anatom. Reform. lib. 3. c. 8. Hujus partem anteriorem vocant tunicam corneam, quia eſt ſicut cornu politum & pellucidum: poteſt enim in plures partes diſtrahi (& la-*

*minas quatuor, quibus epidermis imponitur, involvitque totum oculum anteriorem.*)

*Guil. Briggs Ophthalmograph. pag. 15. Cornea è tribus tendinibus ſeu lamellis conſtat, quæ in oculo coſto vel bovino recens extracto facilè ſeparantur.* Denique legatur *Anton. Leevvenhoeck in Epiſtola data 14. Apr. 1684. impreſſaque in Actis Angl. num. 165. cent. 3. Nuper admodum oculi bovini corneam in ſeptem membranas diſtinctas diviſi, ſed extremè tenues, in quarum qualibet multæ fibræ claræ & transparentes erant intertextæ, quarum plurimas vaſa ſanguinea eſſe conjicio, ſed adeo exilia, ut globulos ſanguinis rubedinem cauſantes non admittant.*

Audivimus itaque *Corneæ tunicas* ab *Hippocrate multas*, *à Laurentio*, *Veſalio*, *Plempio*, *Bartholino* cum *Ruffo quatuor*, *à Briggs tres*, *à Leevenhoeck ſeptem* eſſe numeratas. Ego dum oculum bovinum in ſpiritu vini aqua miſto infuſum & ſemicoctum detinerem, ut tunicas alio fini ſpeculari, diutiusque ſervare poſſem, obſervavi 18. Decembr. 1691. corneam ex plurimis laminis ſibi invicem ſuperſtratis compoſitam, earumque tum octo explicavi & numeravi, ſimul animadvertens, plures poſſe inveniri, quod explicationem non tam accuratè adminiſtraverim: cui verò explicationi anſam dedit prima lamina à ſpiritu vini per macerationem facta mollis, tenera, opaca, rupta, & ſponte alicubi ſeparata, poſt quam &c. reliquæ eo magis pellucidiores, donec ultima planè perſpicua fuerit viſa, ſunt obſervatæ. Hinc cum genero meo Dn. D. *Joh. Jacobo Bachmanno*, ne mihi ſolus fiderem, 12. Januar. 1692. diligentius & explicavi, & quatuordecim numeravi.

Quin autem in plures lamellas poſſit ſeparari, nullus dubito, modo quis patientia illa velit uti ad ſeparationem accuratiorem: quod & alio tempore tentabo, & aliis oculationibus examinandum relinquo. Certis tamen circumſtantiis quoad tempus, præparationem, inſtrumenta, repetitisque

que vicibus opus eſt; cum certum ſit aliquando vel obſervari vel non poſſe eundem caſum vel hiſtoriam: nam & in coćto alia res eſt, quam in crudo. *Ita Plempius lib. 1. c. 19.* affirmat, *Optici nervi foramen* (etiam juxta *Galenum*) *non poſſe obſervari, niſi ſit magnum animal, nuper mactatum & clara adſit lux.* Additque adhuc *tria requiſita, ut acutiſſimo cultello diſſecetur nervus, ut ne comprimatur vel extendatur, & ut ultra coitionem dividatur.*

Non poſſum ultimò præterire, quod aliquot dubia mihi occurrant in textus Hippocratici ſupra allegati fere integro capite.

Nam ſi verſus 8. de verbo ad verbum eſt vertendus, ita ſonat. Multæ autem ſunt tunicæ hæ (vel tales) præ oculo (aut oculi) pellucido, quale utique ipſum eſt: ut ſenſus ſit: Sunt autem multæ in cornea tunicæ, quæ ante pellucidum ſitæ ſunt, tam pellucidæ, ita conſtitutæ, tamque multiplices, quale ipſum eſt pellucidum, ſeu cryſtallinus humor; Dato enim, quod per pellucidum cryſtallinus humor ſignificetur, & quod cryſtallinus conſtet ex lamellis ſeu bracteis invicem ſibi impoſitis pluribus, ſequitur Corneæ tunicas æquè pellucidas & multiplices eſſe, ut cryſtallini: quod *Foëſius* non obſcurè videtur ſuſpicari, dum *tunicas, quæ pellucido prætenduntur, ſimiles ipſi eſſe vertit.*

Quod verò de cornea tunica ut antea, ita in his verbis locutus ſit *Hippocrates*, ex deſcriptione patet, quæ eſt, *quod aëri obverſetur, & in quam venti irruunt.* Cornea ſiquidem exterius poſita, & externis aëris atque ventorum injuriis ante pellucidum expoſita eſt. Non enim de iride, quæ quidem cryſtallino prætenditur, ſed non eſt pellucida, nec aëri obverſatur, poteſt dici.

Quod etiam per pellucidum humor cryſtallinus abſolutè intelligatur, vult *Plempius d. l.* ejusque ſententiam confirmare videtur ratio *Hippocratis*, quod in pellucido hoc lumen & ſplendida cuncta relucent, (aut lucem reflectant) quod non

niſi de cryſtallino humore viſionis præcipuo organo dicendum eſt. Quanquam enim per oculi pellucidum non incongruè poſſit comprehendi totum illud intra albuginem è longinquo apparens nigrum, ex cornea exteriori translucida, ſubſtrata iride colorata & pupilla nigra concretum. Imo quamvis non negandum ſit in cornea, aqueo, cryſtallino & vitreo humore ſingulas refractiones fieri radiorum luminoſorum, tamen ea, quæ in cryſtallino fit ut maxima & præcipua ſolum attenditur reliquis & omnibus pro unica numeratis uti *Carteſius* vult. *An verò & qualis ſit in ſingulis oculi partibus diaphanis refractio, inquirit P. Joannes Zahn Oculi artificialis fundam. 1. Syntagm. 1. cap. 5.* qui conſulatur.

In pellucido autem hoc, ſive totum hoc concretum, ſive cryſtallinum ſolum intelligas, lumen & ſplendida ſeu luminoſa omnia reflexa ab objectis illuminatis demum poſt refractionem in pellucido factam in retina relucere & ſentiri hodie ab omnibus Opticis conceditur. Condonandum itaque eſt *Hippocrati* & *Interpretibus* ipſius, quod nondum noverint accuratiùs hodie inventam & demonſtratam viſionis rationem, utut adhuc quæri poſſit, an non per verbum ἀνταυγέει & refractio ſimul & reflexio, ut relucentia intelligi poſſit.

Quod cryſtallinus humor ex innumeris ſibi invicem ſubſtratis bracteis ſeu lamellis, ſeu corticibus compoſitus ſit, iisq; facile ſeparabilibus, velut in cepis, vitro Muſcovitico, lapide bezoardico, aliisq; tam pretioſis quam ignobilibus lapidibus, & cocto ovi vitello, qui tandem in ſuccini egregium ſplendorem exſiccatur & indureſcit, notamus, facile quivis in exſiccata illa gemma ſine vel cum coctione animadvertere poteſt: quam texturam & *Th. Bartholinus*, & *Ant. Leevvenhoeck* obſervarunt. Ille ita deſcribit *Anatom. Ref. l. 3. c. 8. Compoſitus videtur ex ſubtiliſſimis membranulis. Ex αὐτοψία id probat Kolhanſius. Vidi in balænæ cryſtallino exſiccato ſenſim decorticari velut talcum in laminulas ſplendentes. In ſiccis verum id eſſe poteſt,*

*poteſt, & à calore exſiccatis.* Hic multò accuratiùs *in Epiſtola* ſuperiùs citata deſignat: quod *ex pluribus portionibus orbicularibus ſquamoſis ſibi invicem ſuperincumbentibus & à centro initia ſua capientibus conſiſtat, quæ portiones omnes dein ex globulis cryſtallinis conſtent.* Comparat poſtea, *portiones has ſquamoſas cum globo ex pluribus ſchedulis chartæ tenuioris ſibi invicem incumbentibus compoſito, & ita quidem, ut quælibet ſcheda ſeu ſquama dein porrò ex totidem partibus conſtet, quot lineæ in globo ab uno polo verſus alterum tendentes duci poſſunt. Hippocrati* adeoque & hujus texturæ cognitio non eſt detrahenda, præſertim quando *cap. 18. v. 20.* de humore glutinoſo oculi, qui ſanè eſt cryſtallinus ipſe ſcribit. *Siquidem adhuc calidus fuerit, liquidus eſt. Poſtquam verò perfrigeratus eſt, ſiccus evadit, velut thus transparens.* Quod certè quivis & experiri & concedere debet in exſiccata hac gemma, in eaque notare lamellarum ordinem. Immò cum Princeps hic Medicorum hanc glacialis humoris, quo titulo etiam donatur, conſtitutionem & ſplendorem obſervavit, ſine dubio etiam ejus in laminas diſtinctionem vidit.

Si quæritur ubi & quid *Hippocrates* de aliarum tunicarum ratione dixerit, veluti verſu 9. cap. 18. citat; recurrendũ eſt ad priora. Videatur *cap. 2. v. 13.* quando ſcribit. *Ejus frigidi quantum circum circa glutinoſiſſimum erat, à calido exaſſatum, membrana evaſit.* & *cap. 10. v. 21. Cæterum ea gratia plura dixi, ut oſtenderem, quod extremum corporis ad aërem converſum neceſſariò pelliculam inducit, præ frigido & ventis impetentibus.* Hæremus denique in vero ſenſu verborum verſ. ejusd. τὸ πρὸς τȣ̃ ἤερος πρὸς ὅ προσβάλλει τὰ πνεύματα: quæ *Cornarius* vertit; *quod ad aërem vergit, ad quod venti ac flatus irruunt: Foëſius* verò, *quæ aëri obverſatur, & ad quam venti ingruunt,* quærimus enim, an ad τὸ διαφανὲς τȣ̃ ὀφθαλμȣ̃, an ad τὸ δέρμα ſint trahenda? Si ad διαφανὲς, idque vel pro cryſtallino ſolo, vel pro omnibus pellucidis humoribus ſumatur, non convenit ſitui aut ſtructuræ oculi. Si ad τὸ δέρμα, veriſimilius eſt:

Cornea enim aëri & ventis eſt expoſita. Itaque præferenda eſt Foëſiana interpretatio.

[*D. 13. Martii 1692. Stutgardiâ Auguſt. Vind. miſſa.*]

## *SCHOLIUM.*

(*a*) UT voluntati Nobiliſſimi Dn. Autoris ſatisfaciam, pauca quædam ſubjungere liceat; & quidem *Galenum* de quatuor illis corneæ tunicæ laminis nihil tradidiſſe invenio: Quamvis enim *tr. de anat. vivor. cap. 1.* eandem verè ex tunicis quatuor ſubtilibus, quæ ſint cortices ſuperimpoſiti, conſtare, propter firmitudinem & tutelam, ſcribatur; idque *cap. ſeq. de anat. ocul.* repetatur; cùm tamen inter ſpurios ille reponatur liber, huc trahi non poteſt. Apud *Ruffum* pariter tum *lib. 1. de corp. hum. part. appell. cap. 5.* tum *lib. 2. cap. 3.* de quatuor hiſce laminis altum eſt ſilentium; quamvis in plures fibras eam dividi poſſe *cit. lib. 2. c. 3.* doceat, dum corneam vocari ſcribit, aut propter firmitatem, aut quoniam interiùs conditus humor per hanc tanquam per corniculum pelluceat, aut quod inſtar cornuum in corpuſcula κτηδόνας vocata reſolvatur; κτηδόνας enim fibras aut filamenta interpretantur; prout etiam apud *Hippocratem tr. de corde* hac voce valvularum cordis extremitates, in cordis ſubſtantiam implantatæ, verè fibroſæ & filamentoſæ, veniunt.

(*b*) In literis ad me datis Ill. *D. Reiſelius*, de Epidermide quidem adnotare ſe quædam voluiſſe monuit, quia ipſi non placeat nec occurrat, quomodo iſtam in cornea invenire poſſit, *præſertim*, addens, *quando ipſius Ruffi librum non habuerim. Eruitur enim aliquando alia mens ex autore ipſo, quam alii ſumsêre.* Et verè laudatiſſ. Dn. Autor adſenſum meretur. *Ruffus* enim *cit. lib. 1. c. 5.* de prima oculorum tunica verba faciens, eam duabus naturis præditam, duo quoque nomina gerere innuit, ex *Jul. Pauli Craſſi* interpretatione, addens: *κερατοειδὴς cornu formam habens in medio & uſq; ad iridem, (hæc*

*enim*

*enim ejus particula expolitis cornubus aſſimilatur,) candida verò eſt altera pars omnis, qualis & adſpicitur: nihil mediæ* ( i. e. corneæ) *natura neque colore ſimilis;* hinc mox ſubjungit: *ipſi autem vocata* ἐπιδερμὶς *ſuperincumbit;* quod de candida eum intelligi velle, tum connexio cum præcedentibus, tum ſequentia verba fidem faciunt: *qua in juvenibus & ſenioribus, & in affectu qui* χήμωσις, *Unguis dicitur, abſcedente atque elata, rufus color cernitur.* Χήμοσις autem adfectus albugineæ tunicæ vocatur, in quo album oculi intumeſcens nigro, i. e. corneæ, ita ſupereminet, ut hiatus cujusdam ſimilitudo oriatur; Vid. *Joh. Gorræus lib. 22. Definit. medd.*

*[L. Schröck, L. F.]*

## OBSERVATIO XCVIII.
## D. SAMUELIS LEDELII.
## Varia ſcorbuti facies.

NOn pauci inveniuntur, qui in oris hiſce noſtris neminem à ſcorbuto immunem eſſe, aſſerere non erubeſcunt. Hoc uti aſſerentibus relinquo; ita obſervanti occurret, aliâ apparere facie ſcorbutum in hocce, & aliâ in altero loco: hic graviora, illic mitiora ejus eſſe ſymptomata. In confinio Grunbergenſi facilè Medicamentis reperi cedentia ſcorbutica mala, hîc Gorlicii autem, ubi jam dego, obſervavi morbos Chronicos & refractarios, ſcorbuto ortum debentes. An autem ſalubritas aëris, & victus, hic indictus dimittendus ſit, dubito, quanquam falcem in alienam meſſem immittere nolim, quippe qui non civium, ſed Nobilitatis ſum Medicus. Vereor etiam ne vera dicendo irritem eos, qui de re alimentaria victum quærunt, quorum amplus hic numerus exiſtit. Aëri ineſſe ſalubritatem hic loci, non penitus inficior, ſabuleta autem & cautes plurimæ hinc inde ſurgentes, terram hanc noſtram obſident, eapropter non u-

bique

bique ejusdem eſt bonitatis & dulcedinis, uti curioſa examinatio confirmat. Sed manum de hac tabula. Vir 30. annorum ſcorbuto admodùm obnoxius, erroribus in victu nimiũ erat addictus, vinum enim aduſtum manè, & dein cerevisiam triticeam & fæculentam quotidiè ingurgitabat, omnemque ita diem cum ſociis tranſigebat. Quod uti durabile eſſe nequibat, ita pedetentim ægrè habere incipiebat, nec tamen conſvetæ luxuriæ valedicebat. Creſcentibus itaque delictis, creſcebat & pœna, ſubſequente nimirùm invaletudine. Cephalalgia primum erat malum, hanc excipiebat anorexia, ſitis, obſtructio alvi, & augmentum capeſſentibus hiſce malis, tacitè ſeſe immiſcebant deliquia animi, multæque noctes inſumebantur inſomnes cum virium decreſcentia. Dolor capitis hoc & illo die remittebat, ut urgentius tertio & quarto die excruciaret. Conſumit itaque hoc modo aliquot ſeptimanas, & diverſorum implorat conſilium Medicorum. Lenimen tandem quærit in thermis Hirſchbergenſibus, non ritè tamen præparato corpore. Intermittit equidem ab uſu harum capitis dolorificus morbus, ſed vix ſeptimana poſt balneationem elapſa, recrudeſcit, & atrociùs ſævire incipit reliquis ſtipatus ſymptomatibus ut fidis ſatellitibus, eapropter & meum petit auxilium. Interim vehementiora accedunt ſymptomata, viſus nempe obfuſcatio interrupta, ut & aſthma convulſivum cum metu ſuffocationis. Aperientia martialia in liquida & ſolida forma data in principio bona nos ſperare jubebant, ſed ſpes concepta facilè evaneſcebat, dictis ægritudinibus de novo inſurgentibus, quibus ſe aſſociabat tumor pedum cum metu hydropis. Obviam ibam huic malo feliciter, omni tumore diſcuſſo, aſthma tamen ſæpè recrudeſcebat, ut & viſus obſcuritas interpolatè ingruens. Medicaminum pertæſus ſeponebat illa, genio indulgens, & rarò aliquid aſſumebat, niſi ſymptomate id extorquente. Aſthma convulſivum dum ipſum aliquando graviter affligebat, ita etiam ut jam ſuffocandus videretur, en Natura in juvenili hocce corpore ulti-

ultimum veluti conatum monſtratura hæmorrhagia narium copioſiſſima ſe alleviare ſtudet, quæ per trihorium continuò durans nullis cedebat, etiam generoſiſſimis remediis, niſi tædis ſulphureis accenſis, & naribus admotis, **von angezündeten Schwefel-Lichtern.** Confortantibus propinatis ſe admodum benè habere gaudebat, corpusque eſſe levius, ſpiritus agiliores, appetitum vegetum, & noctes quietiores aſſeverabat. Verum poſt quatuordecim dies, eadem aderat morbi facies, cum nova hæmorrhagia quæ neque internis neque externis admotis ſiſti poterat, imò opiata nil valebant, tandem jubebam, ut in ferrum candens guttulas ſanguinis ſtillaret, & ipſe vaporem inde excitatum naribus hauriret, quo ipſo inſtar Circes baculo tacta ſubſiſtebat hæmorrhagia. Hoc exantlato paroxyſmo omnia iterùm leviora. Quia autem latebat anguis in herba, ideo commemorabam periculum, & mortem obambulare ante fores, ſi recidivaret malum, quod & certo certius eſſe ipſi ſeriò per rationes confirmabam, & hinc ad ulteriorem medicamentorum uſum adhortabar. Verum nauſea ob nimium Pharmacorum uſum concepta, & ſanitas ut ſibi imaginabatur, tolerabilis, ipſum detinebat à continuatione curæ, inde ſibi relictus per aliquot dies iterùm placidè & tranquillè, tanquam tutus vivebat. Uti autem ſcintilla latens, ſibi relicta, tandem arrepta occaſione, facilè vires acquirit, & in flammam erumpit ardentem: pari modo hic minera morbifica in viſceribus latens, à cibis diverſi ſucci, nec ubique laudabilis, prunisque tùm temporis maturis in copia aſſumptis excitata & irritata, ex improviſo in perniciem ægroti aſſurgebat, inſultumque epilepticum exprimebat, ſat fortem, intrà horæ quadrantem tragœdiæ huic finem imponentem. Et ita firmum eſt hocce in ſcorbuticis:

*Polypus ut formam, ſcorbutus ſic quoq; verſat.*

# OBSERVATIO XCIX.
## D. SAMUELIS LEDELII.
## Contagium.

COntagii vires non ubique eſſe eaſdem, ſequentia docebunt. Anno 1684. milites Cæſariani, Hungaria relicta, in inferiorem migrabant Sileſiam, noſtramque tum attingebant Grunbergam. Calore hypocauſti, glioreque diæta militum pori aperiebantur, & morbi petechialis fomes, quem ſecum attulerant, ſeſe explicabat & dilatabat, plures internecioni dans incolas utriusque ſexus diverſæque ætatis, ne ullo militum ſuccumbente. Plerique meam petebant curam, & inter hos Comes de Rotthal: huic autem dum præſum curæ, Gorlicii, ut Phthiſicus, obit frater meus medius, Fridericus, SS. Theologiæ Doctor, cujus exequiis me intereſſe jubebat fraternus amor. Abſoluto itinere, noctu domum redux factus, maritam calore ſummo exagitatam in lecto invenio, ibidemque decumbo. Primo diluculo ad tres vocor petechiis laborantes perſonas, quarum duæ obibant, tertiâ convaleſcente. Per tres noctes cum marita in una commoror ſponda, quia malignitas latens non admodum ſeſe exerebat, remediis optimis propinatis, ipſaque morbi cauſam moleſtiis adſcribebat domeſticis, in mea abſentia ab inquilinis excitatis. Quarta aurora maculæ ſubtiliſſimæ in pectore propullulabant, quibus conſpectis ſtragulam muto, nec ullam alterationem ſentio. An variæ curæ me tùm diſtrahentes cum domeſtica ſolicitudine circumſtrepente, impediverint, quo minus in corpore meo contagium animari potuerit, an verò ſingularis DEI gratia me circumſepſerit, hæreo, quia corpus νοσερὸν etiam circumporto. Privignæ maritus, ad uxoris tumulum peregrè accurrens, inficitur & obit: ejus marita & filiola eodem detinentur morbo & evadunt. Mater mea aliundè adveniens etiam corripitur & reſtituitur. Omnes

hi

hi ceremoniis lugubribus intererant, quia corpus jam jam terræ erat mandatum. Ubinam autem contagium hæſerit, aut in quibus moleculis latuerit, ignoro, fortean in conclavi, quo decubuit mortua, & ubi convenimus, probè tamen & diligenter expurgare juſſi, ante acceſſum, omniaque exportare. Obibat Archipresbyter loci, alio tempore febre petechiali, huic cum Pharmacopola dies noctesque eram à miniſterio, ego ſanus evadebam, Pharmacopœo eundem morbum deportante. Puto ergò ex hocce eruendum, Contagium, excepta DEI gratia, corpora tantùm occupare diſpoſita, proportionata, & pro capacitate nidi morbifici, gravius & levius furere, animoſitati item & libero animo multum in hoc paſſu eſſe adſcribendum. Metus pejor eſt peſtilitate, vulgi adagium, & veritati conſonum eſt.

## OBSERVATIO C.
## D. SAMUELIS LEDELII.
# Epilepſia latens.

ANimi pathemata ultimæ caveæ inter ſex res non naturales à Medicis incluſa, ſi non prima, ſecunda tamen aut tertia eſſent locanda ſella. Eorum enim efficaciam deprædicant plures morbi, & inprimis innumerus à morborum contagioſorum vehementiâ enecatorum numerus. Quid tempore belli in obſidione item urbium & fortalitiorum ſequiori ſexui, dum ſarcinam geſtat conjugalem, obveniat mali, loquitur experientia, ſique diligenter annotarentur talia obvenientia, rem Medicam mirè augerent. Incendium Gorlicenſe, panico nos omnes exanimans terrore, aliquot exempla infelicis puerperii fœtuumque mortes exhibuit, ſiquidem & hoc è mea do familia. Uxor, tempore hujus incendii ad octavum erat prægnans menſem, & eundem perferebat terrorem, (licet miſericors DEUS & in Sorano, &

ab hocce me immunem reddiderit infortunio, quod hic omni deprædico laude, & ſumma gratiarum actione) qui paulò poſt, nova excitata flamma refricabatur. Legitimo tempore emenſo, in auras exponebat puellam, ad viſum ſanam, ulla absque labe, radice morbi in cerebri latibulis hærente. Poſt aliquot ſeptimanas dum vegetiorem ſe ſiſtere debebat puella, nil niſi ſtupiditatem oſtendebat, debilitatem item artuum, eorumq; teneritudinem. Præter hoc nil morboſi obſervabatur, niſi tormina intercurrentia, ſomnus brevis & interruptus, cum inquietudine noctium. Curæ domeſticæ & aliquot novæ flammæ terrores, matrem lactantem non uno afficiebant modo, & nutrimentum fœtui ſubminiſtrandum alterabant. Aliquando manè leniſſimus obſervabatur paroxyſmus epilepticus, nec ulli cauſæ prægreſſæ adſcribi poterat, ſiquidem Mater per illos dies hilarioris erat mentis. Terrebat tamen nos, & malum altius hærere indicabat, id quod & ad medicamenta exhibenda me inſtigabat, omnique metu tandem nos exuebat, morbi veſtigiis ſe non amplius prodentibus. Tempore dentitionis lenis de novo ingruebat inſultus epilepticus, quem poſt paucos dies graviores, & numero plures excipiebant paroxyſmi. Spiritus ſalis ammoniaci externè applicatus, primùm prodeſſe videbatur, ulterius autem adhibitus non item: ſubſtituebam tamen cum ſingulari euphoria oleum majoranæ, verùm reiteratus uſus nos etiam derelinquebat, & lapis bezoardicus Orientalis ſolus datus, pauſam paroxyſmo injungebat. Eruptio trium dentium ſubſequebatur, & quia recidivam metuebam, generoſa Epileptica per plures dies continuabam, puellaque alacrior nobis apparebat & vegetior, pedibus tamen adhuc infirma, cum ſomno turbulento. Sudor copioſiſſimus, diurnus & nocturnus aderat, præprimis circa caput, & talis qui ſingulis noctibus tria pulvinaria denſiſſimè ſero imbuebat: corpus tenellum, ob penuriam ſpirituum lucidorum & volatilium, pro ætate nimis erat ponderoſum, caputque indies ferè augmentum capeſ-

ſere

ſere videbatur. Tubercula gingivarum dum eruptionem reliquorum dentium indicabant, & omnia ſalva credebamus, quia per geminum menſem benè vixerat, en derepentè guttulæ aliquot ſanguinis è dextro nare prorumpebant, quod eroſioni vaſculi adſcribebam, & varia interim meditabar: ſubſequens autem dies novam nobis ſiſtebat morbi Herculei invaſionem, levem equidem. Hoc viſo, omnem vitæ ſpem, quam antea conceperam, & ætate & medicamentis omnia ſuperari poſſe mihi perſuaſeram, penitus abjiciebam. Propinabam tamen varia, nihilq́ue intentatum relinquebam, ut ſalvarem Margaretham Theodoram noſtram: cinnabarina hic nihil ferè, unicornu Gronlandicum autem multa præſtabat, in mitigando malo, idq́ue erat trigeſima quinta ſeptimana. Quod in capite moleſtias aleret, ibiq́ue malum hæreret, inde colligebam, quia caput à latere ſæpiſſimè movebat ad latus, manusq́ue frequenter auribus admovebat, & eaſdem fricare intentabat. Per omnem vitam crebriores ſternutationes ipſam etiam exagitabant, quibus ſe interdum jungebat pituitoſus narium fluxus. In ultima invaſione ſummus calor corpuſculum urebat, vociferatio inopinata unico ſono interdum exaudiebatur, reſpiratio aderat anguſtior, lenes in facie convulſiones aliquando obſervabantur, & nondum exacto triduo obibat; ſingultu & convulſivo ventriculi motu ad ultimum mortis articulum continuante, & cum ipſa vita deſinente.

*Sic*

*Semen morbi latuiſſe in corpore, viſum.*

## OBSERVATIO CI.

## D. SAMUELIS LEDELII.

# Ulcus annoſum purgatione ſublatum.

PUrgantia è Medicina relegare, eſt ſanitati compedes injicere. Nimium hac noſtra tempeſtate Medicina reformatur, & quisque pro ſuo genio & ingenio auget & minuit, metuendumque ne dum omnes ferè reformamus, planè eandem deſtruamus. Sed oculus ad metam! Pictor Grunbergæ Sileſiorum ulcus geſtarat in pede per plures annos, & erat conſtitutionis infirmæ nec admodum ſuccoſus, cumq; quodam tempore ægrè haberet, ſumpſerat à Pharmacopola purgans validiſſimum, quod copioſiſſimè corpus commovebat, & ad excluſionem humorum urgebat, cum diſploſione virium; & metu mortis. Meam proinde efflagitabat opem, quam accommodabam, fluxum ſiſtendo, & confortantibus proſpiciendo. Paucos intra dies vires recolligebat, ulcusque erat exſiccatum, per plures annos cum ſanitate durans. Ita fortuitum erat proficuum. Morbos renitentes non ſemel vidi profligatos à vehementia purgationum. Tertio à Grunberga lapide habitabat ruſticus Medicus, quem ut ſemi-Deum vulgus colebat, & in omnibus morbis diuturnis, ad viginti usque milliaria plures, pro conſilio capiendo, adibant. Cura ejus erat evacuatoria, miſcebat Electuaria purgantia cum aquis deſtillatis in ſat larga quantitate: aliquot obſervavi reſtitutos, plures etiam morti traditos, quia una oberrabat chorda, & eadem methodo, & iisdem plerumque medicamentis ægros ſuos tractabat.

*Sic plebs decepta receßit.*

*[ Gorlicio Luſatorum Noribergam die 27. Martii 1692. miſſæ.]*

OBSER-

## OBSERVATIO CII.

## D. JOH. CHRISTIANI MACKII.

# Arteriæ venoſæ particulâ rejectâ magnum Pulmonis Vulnus curatum.

PRæmiſſum in Anno præcedente Octavo, Bohemum natione promiſſus Bohemus Nomine hìc ſequitur, in Medio ſuo, ut ille in Infimo, Ventre monſtroſi quid alens. Apud Practicos pro Regula ſemper eſt habita illa Bartholiniana ἐπίκρισις, quam annexit Cent. 5. Hiſtor. Anatom. Vulnerati Pulmones curari poſſunt, niſi majora Vaſa lædantur, id quod Obſ. Foreſti Hildani, Tulpii, Fontani propriisq; nempe dictâ 96. Cent. 5. & 98. Cent. 3. confirmat, quibus multæ aliæ ſuperadduci poſſent. Aſt Vulnus tantum, poſt tantam ſanguinis excreti copiam, & poſt rejectam tàm notabilem Arteriæ particulam, ſi fuit curatum & curatus tot annos ſupervixit muniaq; ſua obiit, confirmationis locô addi poteſt & debet Hiſtoria ſequens. Statuarii, etiam nunc in Nepote ex Filio altero apud Nos celebratiſſimi, Filius, Annorum XXVI. ejusd. Artis Cultor ſtrenuus, Juvenis robuſtus, magnus & ἐν τῇ εὐεξίᾳ γυμναστικός, Anno M. DC. LXX. mediô Februarii alvum depoſiturus Genubus innixus deſidet & circa Cor ſibi quid rumpi ſentit, ad inſtar fili craſſioris, ſimul exſpuens in Nivem ſanguinem floridiſſimum vidit, valdè commotus ſurgit ocyusq; hypocauſtum repetit, inter ſpem & metum ſanguinis recurſum expectaturus. Poſt triduum & novum ſputum cruentum, me convenit, Venulæ rupturam tacens, ut Ego Juveni Plethorico Venæ Sectionem & Diætam cum Electuario aliquo recommendarem: abit, paret, vivit felix, & poſt aliquot Menſes Sponſalia publica lætus celebrat, interea nunquam non conſciam ſibi rupturam in animo volvens. Indicitur circa finem Octobris Dies Nuptialis & proclamatus Sponſum agere geſtit, interim ædes ut exornentur

&

& Hypocauſtum ſuperius fornace unicè intentus, baſin ferream (eine eiſerne Blatte) ab area ſolus tollit, per aliquot gradus adportat (inde Robur æſtimetur) pedibusque ſive fulcris à figulo firmatis imponit, unde ſanguinem in ore ſentit & in ſcamnum prolapſus exclamat; Proh! Sanguis, ſanguis redit! & dicto citiùs largiter adque leviſſimam Tuſſim largiſſimè profluentem videt. Accerſitus Ego cum Chirurgo, aperimus Venam, interdicimus motum, ligamus, refrigeramus & modis quibus poſſumus omnibus fluxum ſanguinis ſiſtere tentamus, laboramus, non quidem ſine fructu, ſed ſine duratione. Circa Veſperam enim, qui erat dies Saturni, redit malum ſicque inſtitutas proximè inſequente Lunæ Die Nuptias larga hæcce ſanguinis profuſio interrumpit & de Septimana in Menſem & ex hoc in alium ipſas proſcribit. Interim nemo non quæritur in auxilium, conſulitur, rogatur & ad medendum cogitur; Sed omnia fruſtra! Poſt dies enim 3. 5. 8. 14. & plures recrudeſcit malum ſanguisq; recurrit, ubi primò de Dolore gravativo circa Cordis ſcrobiculum & de Calore blando conqueritur Patiens, Vaſculum ſimul arripit & ad faciliorem profuſionem Corpus prædiſponit, Libras 1. 2, 3. pluréſve ad leviſſimam Tuſſim protrudens, unde ad usque novam (ſi ita loqui liceret) bene ſeſe habebat, bene appetebat, ingerebat, digerebat, egerebat, dormiebat & medicamentis præſcriptis ſtatutô horæ momentô utebatur. Die xxv. Jan. Anni M. DC. LXXI. usque quo per intervalla ſanguinis plus minúsve ejecerat & jam per xi. Dies planè reſtitârat, inſurgit Tuſſis gravior crebriorque ſine causa manifeſta, & circa VI. veſpertinam floridi Libram ferme ejicit, reſpirans tantillulum iterum tuſſire coactus ſanguinem profundit &, digitô ſimul monſtrans, infit; jetzt kommet ein Droßeld/nempe Arteriæ venoſæ particulam hancce (*vid. Fig. XVII.*) intendens, quam ℔iij. floridiſſimi ſanguinis ſequebantur cum notabili virium Animique proſtratione, quem tamen aliquot dies reſtitante ſanguine, reſumebat ſervaturus ſemet rebus ſecundis, hinc

hinc Sponſæ vitæ periculum & metum ſemper diffitebatur, & factum quoque eſt, ſingulari DEI auxiliô & Gratiâ, ut poſt jam dictam profuſionem ultimam curatus Die XVI. Septembr. Anni M. DC. LXXII. Nuptias publicè celebraret. Genuit Filios duos & Filiam, omnes nunc ſatis robuſtos & floridos. Ipſe vixit ſanus, niſi quòd labores quosvis ſubire & onera portare novæ hæmorrhagiæ metus prohiberet.

Medicamenta quæ exhibui tàm interna quàm externa enumerare omnia jam non vacat, inter illa tamen recommendanda habeo 1. *Spirit. Vitriol.* illud in Hæmorrhagia quacunque, certiſſimum Remedium. 2. *Pineatum noſtrum*, quod ℞. Turion. Pini tenerr. Miiij. minutiſsimè conciſ. inſperge Crem. Therm. Carol. Sulphur. crud. aa. ℥j. & ſuperinfuſ. Vin. alb. aq. ſcabioſ. ad. ℔vj. coq. in vaſe duplici ad conſumpt. part. trium & colat. factâ leni expreſſione ſervetur: interim ℞. Succ. ex ſeqq. recentibus, np. h. Scabioſ. heder. terr. Tuſſilag. Urtic. min. Sanic. Chelid. min. Auric. Mur. aa. ℥iiij. Tritic. Secal. aa. ℥vj. Rad. fœnic. Enul. Alth. Malv. Torment. aa. ℥j. fl. acac. ℥ij. coq. lentè ad conſumpt. aquoſitatis & depurat. m. c. præced. extr. Pin. & tandem adde fl. Sulphur. ʒiij Croc. ℈iiij. 3. *Electuarium ſeq.* ℞. Conſ. roſ. vet. ℥j. Veronic. Viol. Scabioſ. aa. ʒvj. Diacod. Mont. ℥j. Terr. Sigill. Croc. Mart. adſtr. Lap. hæmat. aa. ℈ij. Ocul. Cancr. bol. arm. Sem. hyoſc. aa. ʒß. c. Syr. papav. rh. miſc. 4. Effumationes Chr. Benedicti in Theatr. Tabidor. præprimis tertiam p. m. 186. cui humidas jam præmiſi, jam interpoſui, per infundibulum (cujus roſtro fiſtula & huic alia usque ad decumbentis fauces imponebatur.) Pulmonibus admiſſam, ad cujus uſum Patiens curioſiſſimus conſtrictionem Vulneris de die in diem deſcribebat, quod ipſum Vulnus poſt ultimam eamque largiſſimam ſanguinis cum Arteriola rejectionem, dicebat longum duos digiti ſui articulos, quô tandem planè conſolidatô Cruſtam etiam venturam nobis prædicebat, quam & ipſam longitudine ferè unius articuli digiti per Tuſſim rejiciebat, ipsâ ſimul remittente & ſub-

ſequente indies magis ſenſibili virium reſtitutione & pro Matrimonio conſummando virtute ſatis felici. Verùm enim verò Charybdin prætervectus incidit in Scyllam, id quod addidiſſe non diſplicebit. Anno M. DC. LXXVIII. die 2. Jan. circa Noctis meridiem bene potus ab alio pedibus conculcatur in ipſo illo latere dextro, ubi graviſſimum illud malum olim fuerat perpeſſus. Inſequitur Dolor, Pectoris anguſtia cum reſpiratione difficili, Tuſſi & febricula, omnibus primùm levibus cum lenta virium proſtratione, nulla tamen ſanguinis excretione, à cujus metu jam ferè exanimabatur. Venæ ſectione eâque non ſemel factâ ſtrenueque oppoſitis Medicamentis neceſſariis, nihil juvantibus, conſpirabant omnia in Ulcus Pulmonum & Viribus magis magisque decreſcentibus increſcebat febris, Tuſſis, Dolor, & Patiens non de æſtu, ſed de flamma, conquerebatur, ita ut ad ejus extinctionem nil niſi inciſionem intra ſextam & ſeptimam Coſtam, urgeret (quam Willis & alii in Vomica ab ægrotis ſuis impetrare non poterant) imò ad ipſam ipſe ſcalpellum præparabat, acuebat & propriâ ſuâ inciſionem facere volebat; aſt nobis contra ſemper dicentibus tàm de Pleuræ (quam Galenus *ἰσχυρὸν καὶ νευρώδην καὶ δυσδιαίρετον* dicit) doloroſa perforatione, quàm fruſtranea, cùm materia purulenta adhuc intra Pulmonis membranam & quantum hariolari ac ex propria ſedis indigitatione colligere licet, in extremitate lobi, ut in ſacculo jaceret: Interim Tuſſi ingraveſcente & ſequente ſputo cruento, purulentoq; mutavit animum & Medicamenta, neſcio quibus herbis pectoralibus, earundem Succis, Decoctis & Pulveribus undiquaque convocatis, Pulmonis reſiduum (totum denique in pus abiiſſe & rejectum fuiſſe firmiter credo) conſervaturus ne dicam redintegraturus: ita ſibi intra dictas Coſtas Fonticulum excitari curavit; ſed quam, locô globuli intrudebat turundam ad Pleuram pertingentem ſtatim rejiciebat, cumque ipſa ſpem vitæ longioris; Animæ igitur Curam inſtituit inque ipſa pergit, Corpus planè exſuccum, exſangue & *σκελε-*

Ἰῶδες circumferens, quod tandem die XXIV. Mart. Anno M.DC.LXXXI. Sepulchro inferebatur.

Fig. XVII.

## OBSERVATIO CIII.

## D. JOH. CHRISTIANI MACKII.

# Poſt Vermem aculeatum Puer, & poſt Lumbricos rejectos alii reviviſcunt.

SEcundus ſupra Trigeſimum Annum hic eſt, quô, ſtudiis Academicis & Peregrinationi Vale dicens, Praxi Medicæ me totum dedi, & ſanctè teſtor, à Vermibus & Lumbricis tot ac tanta provenientia ſymptomata me non audiviſſe vel obſervâſſe, quàm ipsô hocce Anno, forſan quia Hominum Ingluvies tanta nunquam fuit, quippe quæ de die in diem cum Malitia creſcit. Ex innumerabilibus jam duos tantùm vel Tres Caſus, nuper præteritis, Martio & Auguſto, Menſibus notatos adduxiſſe ſufficiat. A. Puer Annorum VIII. qui à Nativitate ſua ſanus, vegetus & alacris vixerat usque ad Annum V. ubi nunc de Capitis Dolore nunc de Ventris torminibus, de Nauſea, de Pedum tremore & motu difficili conqueri cœpit, quæ omnia crevere adeò, ut in Lectulum dejectus vix movere ſeſe, ſurgere autem ſolus non potuerit. Parentes ab initio querelarum harum Cauſam crediderunt Scholam, diu non audientes, præprimis ipsô interdum quaſi reconvaleſcente & excurrente: Sed Symptomatibus hiſce recurrentibus & ſemper ingraveſcentibus, (queîs Convulſiones Epilepticæ haud rarò junctæ) graviùs dolent & de vita Filii deſperare incipiunt: Tandem totque Menſes Mortem præſtolantes fruſtra Sceleton hocce loquens mihi offerunt, non niſi de Doloribus Ventris infimi & de Imbecillitate Motusque Impotentia conquerens. Ergo ab Interprete Matre lachrymante anteacta reſciſcens de Lumbricis cogito & aliquoties repeten-

dum hauſtulum hunc præſcribo, ℞. Syr. de cich. c. rh. de Alth. F. aa. ℥iß extr. fol. Sen. gr. viiij. Troch. alhand. extr. gr. ij. aq. Salv. compoſ. ℥iß. abrotan. Cymin. aa. ℥ij. Alvus bis tervè ſolvitur & ad Doſin ſecundam & tertiam Lumbrici minutuli multi, ipsâ demum vice quintâ exhauſtâ & gran. j. extr. tr. alhand. adauctâ expellitur ipſum hocce(*vid. Fig. XVIII.*) Inſectum monſtroſum & horrendum, cujus Craſſities & Longitudo hæc erat, Cute tenus inſtar Funduli, Caput autem Truttæ non abſimile, Pedibus XVI. inſtructum utrinque octo, munitum in Dorſo Cuſpidibus ſive Aculeis XXVII. eminentioribus, in Ventre autem XXI. minoribus Bombycis ad formam caudatum. Hoc ipſo Mortis Vermiculô abeunte redibat ſtatim Quies, Appetitus, Vigor, Robur & Vita, quam nunc vivit beatiſſimam, hoc eſt, ſanam.

B. Virgo Annorum XXIII. vivens per integrum Annum, & quod excurrit miſerrimè, ob continuas Cardialgias, Lipothymias & Appetitum plane proſtratum, vel, *ut rectiùs dicam*, ob Cibum & Potum, propter ſubſequentes ſtatim Dolores incredibiles, recuſatum, unde Oſſa vix Cuti hærebant: à Lumbricis hæc eſſe quæ pateretur cùm dicerem, oggerebat Patiens ſeſe jam multa abſumſiſſe Medicamenta contra Vermes, nec tamen unicum vidiſſe excretum; Præſcribo ſeq. ℞. Syr. Sceletyrb. F. de Cich. c. rh. aa. ℥vj. aq. Cinam. ℥iij fl. acac. ℥vij. m. pro Doſibus duabus, & die tertio ſumſit ſeq. ℞. Sem. Santon. ℥vj. conquaſſat. coq. in Aq. font. ℥iiij. dein injiciantur Mercurii vivi ℥iiß. coq. iterum & colat. m. c. Syr. de cich. c. rh. ℥vj. Aq. abrot. Cymin. aa. ℥j. hirundin. c. Caſt. ℥vj. ad cujus partem primam rejecit per Gutturem inferiorem Lumbricos V. latos, Spithamam longos: ad partem alteram manè ſequenti exhauſtam vidit quatuor alios, aliquantulum minores, quos non ſine Dolore ſecutus eſt globulus Ovi Columbini magnitudinis ex mille minoribus compactus, cum materia albicante multa, Puris cocti inſtar, quibus remotis & ipſa revivixit, ut, quam ad me duxerant, poſt aliquot Dies viderent, DEO

&

& Medico acturam gratias, Templum Ædesque meas ſolam viſitare.

C. Vir quadragenarius, Sortis Conditionisque inferioris & macræ, circa aliquot Solſtitia retrò graviſſimos Dolores paſſus Ventris infimi, nunc in ſiniſtro, nunc in utroque hypochondrio ſimul, & ſimul ſupra Umbilicum ad Pugni magnitudinem exſurgentem tumorem, & circa Cordis ſcrobiculum ad digiti tactum valde dolentem locum, proſtratô penitùs appetitu ſomnoque fugatô, ita ut dies VI. X. XIV. pluresve ſine omni fere Cibo, Potu contra largiùs infusô, viveret, unde Viribus ita deperditis ſemimortuus quaſi jaceret. Tentârat plurima, tàm externa, quàm interna, Oleum Olivarum, Carvi, Juniperi & alia, item Decocta varia & Potiones longas in magna quantitate abſumſit & exhauſit, ſine ullo tamen fructu, & accuſaverat hic Diætam, alius Colicam, ille Flatus, iſte Lumbricos, & datis helmintagogis hic æquè, ac illi purgantibus, nihil effecit.

Vocatus ego, hæcce audiens & videns, cum Virgine præmiſſa Manes eosdem pati credo, idcirco Potiunculam optimo cum ſucceſſu datam, eidem præſcribo parum mutatam, ℞. Sem. Santon. ʒvij. conquaſſat. coq. in Aq. font. & in Colaturæ ℥iiiiß coq. ſpatulâ continuò agitandi Mercurii viv. ℥iiij. & colat. m. c. Syr. de Cich. c. rh. ʒvij. aq. abrot. ℥j. Carminat. ℥ß. pro Doſibus duabus, ad quarum primam exhauſtam ſentit Tumores conſiſtere & quiddam quaſi deſcendere, *ut ipſe putabat*, ad Veſicam, alvus autem non ſoluta, interim ſæpiùs animum linquens Apoplecticâ reſuſcitari debuit: Sequenti manè ſumſit partem alteram, Symptomata prædicta non ſentit, videt autem Ventrem magis magisque detumuiſſe & globuli majoris inſtar quid in Abdomen devolutum: Poſt meridiem alvus ſolvitur, & poſt dejectionem alteram videt ejectos Lumbricos XI. majores, quos ſecuti alii IX. ita compacti ut manu eorundem egreſſum promovere cogeretur, ſicque innumerabilibus aliis minoribus ſubſecutis & per dejectiones

 plu-

plures à variis illis Potionibus antea exhauſtis Corpore ab hiſce beſtiis lancinantibus purgatô, rejuveneſcere & Macie fugatâ Carnem vireſque reſumere viſus eſt, muniaque ſua lætus obire.

Fig. XVIII.

## OBSERVATIO CIV.

## D. JOH. CHRISTIANI MACKII.

# Lumbricus in ſe ipſum convolutus ſive conſtrictus excernitur.

SEcundô nuper præteriti Menſis Martii die Civis apud nos primarii uxor obeſa & ſana doloribus & Torminibus ventris per aliquot dies vexata, quæ à Lumbricis provenire & excitari experta credebat, idque circa Medicamentum conſuetum, nempe Vini generoſi hauſtum jejuna ebibit idque bis tervé repetit, nullos tamen ut antehac abire videt: Superaddit Semen Santonicum & circa Veſperam pruritum in ano ſentit ſatis moleſtum & quaſi quid ſe proripere tentans, ſecedit in Cameram & prodiiſſe videt Lumbricum vivum, longum & latum ad formam figuræ appoſitæ, qui in ſe ipſum convolutus ſive conſtrictus in area tamdiu hinc inde ſeſe motitans tandem ſe extricavit & proripuit.

Fig. XIX.

OBSER-

## OBSERVATIO CV.

## D. JOH. CHRISTIANI MACKII.

# Funduli umbilico impoſiti depaſcuntur & curant.

DE Fundulis, qui Infantum & Adultorum Umbilicis contra acutisſimos dolores, inquietudines & anxietates, imponi & alligari ſolent, probatum jam eſt experimentum, etiam Vulgo notiſſimum. Ante paucos dies duo exempla ſimul notare nobis hìc dabatur, ubi, variis internis & externis Medicamentis fruſtra exhibitis, imponebantur Puerulo V. annorum, duo; & Adoleſcenti, annorum XIX. tres, quorum carne depaſtâ dolores ceſsârunt & negantes convicêre. Spinæ fundulorum adhuc ante Oculos noſtros verſantur, Ratio autem & Modus, quomodo & à quo Piſciculorum caro abſumatur, latet, idcirco Oculatiores, ſi viderint, ut exponant nosque doceant, rogamus.

## OBSERVATIO CVI.

## D. JOH. CHRISTIANI MACKII.

# Doloroſa & periculoſa deglutitio & deglutiti ſanguinolenta excretio.

PAuperculæ filius unicus, nondum quadrimus, cum Coætaneis ludens, capſulæ ex lamina ferrea ſtannô obducta, operculum, cujus Figuram adjeci, ex improviſo deglutivit vel potiùs deglutire tentavit, in Gula enim reſtitans graviſſimos excitavit dolores, ita ut Parentibus aliisque adcurrentibus Lachrymas extorſerit Puer. Accerſitur Chirurgus, qui inſtrumentô detrudere tentans dolores & ſuffo-

catio,

cationis metum auxit: Infundunt Cereviſiam, oleum & neſcio quid aliud, calidum, frigidum, quæ omnia Puer renuit & rejicit, cùm deglutire videretur impoſſibile. Poſt ſemihorulam renitenti Cereviſiam calidam c. Oleo Olivarum largius iterum infundunt &, quod Parentes non viderant adhuc, delapſum ab ipſo Puero clamante experiuntur in Ventriculum, paſſam poſt levem Lipothymiam & convulſivum motum. De die tertio ad quintum, usque quo deglutiendi difficultas durabat, majores ſemper dolores ſentit in exoneratione alvi, donec ad portam venit operculum ubi valdè validiusq; exclamans Puer Manibus Pedibusque calcitrans propriâ ſe juvare neſciens, matrem vocat, quæ denticulatum illud & acutum digitis tandem comprehendit & extrahit, ſubſequentibus excrementis ſanguinolentis, quæ ad aliquot dies non ſine dolore ita prodiere, per injecta delinientia autem ſphincteris læſio curata & Puer à doloribus vitæque periculo liberatus.

Fig. XX.

[*Schneebergâ Noribergam A. 1692. d. 12. April. miſſæ.*]

## OBSERVATIO CVII.

## D. JOHANNIS de MURALTO.

*De*

# Ulcere poſt Pleuritidem ſpuriam per urinam criticè evacuato.

NObilem quandam ægram, quadrienniô viduam, aňos triginta ſeptem natam, menſe Martio hujus anni invaſit rigor quatuor horarum, quem inſequebatur magnus, pungens, interdum ingraveſcens, lateris dextri ad finem coſtarum notharum, per paroxyſmos repetens, dolor: Huic primò ſe ſocium præbebat vehemens vomitus, impotentiaq; ægræ in partem affectam decumbendi:

die

die morbi tertiâ urinæ & ſudoris evacuatio affatim erat facta, exanthemata in labiis ægræ prorumpebant, excretio ſputi ac ſanguinis menſtrui larga ſe oſtendebat, tuſſis diuturna, dolores permagni, in ſeptimum usque diem perdurabant, ſine tamen delirio, quod primò quidem apparere viſum eſt: Somnus erat paucus, animus quaſi abjectus, nullamque fermè ſpem evadendi habebat patiens: Vehementer ſymptomata hæc affligebant in tertiam uſque ſeptimanam, appetitus cibi proſtratus, membra debilia ac macilenta, dolor lateris punctorius, vagus, magis ſuperiora, minùs verò inferiora petebat, tuſſis ingraveſcebat, uteri ſuffocationes graviſſimas, motibus convulſivis junctas patiebatur, ſitis nulla, alvus adſtricta, pulſus celer & fortis erat: Sedimentum urinæ ſemper album, lentum, viſcidum, parte ſupernâ limpidum & crudum conſpiciebatur.

Quinto denique Aprilis, prægreſsô dolore graviſſimo, per urinam ulcus fuit evacuatum, ſymptomataque, uſu remediorum ſelectiſſimorum, & probatiſſimorũ, ſollicitudine quoque & curâ DD. Cellarii & Nierikeri Medicorum Badenſium, cum quibus quarta vice conſilia captabam, ſenſim evanuêre: Primò enim quæſitum eſt, unde dolor ſit? quid præſagiat? & quomodo auferendus? ne attrahatur nova fluxio, & nova ſeri ac ſanguinis coagulatio.

I. Rigor initiô accedens Signum eſt acidi humoris à cerebro ad partem affectam delapſi, qui in flatus abiens, & ſuis ſpiculis acidis pleuram ac intercoſtalium muſculorum membranam propriam valdè ſenſibilem afficiens, punctorios & acutos perterebrantes dolores cauſatus eſt; quamdiu enim acidum parti affectæ inhæſit, tamdiu dolorem hunc ſenſibus ſubjecit: Acceſſit autem dolor per paroxyſmos, ob retardatum materiæ motum, flatus quoque non perpetuò ſentiebantur, ſed vel naturâ criticè movente, vel medicamentis reſoluti flatus obſervabantur.

II. Prognoſin hanc formavimus; ſi dolor hic diu tam acer-

acerbus perſtiterit, cor & pulmones facilè in conſenſum trahi poterunt, affluxusq; augeri, hanc præcipuè ob rationem, quia, cùm hæc fæmina ante ſeptennium menſtruata, humidâ tempeſtate in rus abiiſſet, tuſſim nacta fuit, quæ etiamnum durat: aliàs niſi urgeant exacerbationes, minùs periculi ſubeſſe, judicandum eſt.

III. Quare naturam nos ſequi oportere judicavimus, eamque in opere cœpto juvare, remediis diſcutientibus, reſolventibus, præcipitantibus intùs exhibitis, quibus Anodyna miſceri poſſunt: carminativis, dolorem ſedantibus & emollientibus foris applicatis, vires roborandas quantùm licet, tum ſomno, tum cordialibus diaphoreticis & cephalicis.

Indicationibus hiſce tali pacto ſatis fecimus, ante omnia imminente nocte ſeq. remedium exhibuimus: ℞. Aq. Jaceæ, Anagallid. Fl. Tiliæ, ãã. ℥jß. Syrup. de Alth. Fernel. ℥jß. Tinct. narcot. gutt. xv. M. & in 5. doſes divide.

Clyſtere ſeq. alvum apertam tenuimus. ℞. Decoct. emoll. & carminant. ℔j. ol. rutæ, chamomill. ãã. ℥ß. mell. anthoſ. ℥j. Spirit. Sal. Armoniac. gutt. xv. M. urgente neceſſitate repetatur.

Pulvere præcipitante diaphoret. & carminat. ad morbi cauſam, ipſumque morbum uſi fuimus. ℞. Diaphor. Jov. Antimon. ãã. ℈j. Pulv. lumbric. ocul. Cancr. crud. contuſ. ãã. ℈ij. mandibul. lucii, ſang. hirc. ãã. ℈iij. manus Chriſti perlat. ʒiij. M. & in Aq. Card. Mariæ exhibeatur.

Pro potu Ordinario ℞. Rad. Chinæ recentis ℔ijß. & jujubar. ℥viij. infundantur in Aq. font. fervent. adde Cinnam. acut. ʒij. ſtent in digeſt.

Aqua Cordialis quoque uſurpata; ℞. Aq. Fl. Tiliæ, jaceæ, anagallid. fl. phœnic. beton. ãã. ℥jß. marg. præp. ℈j. os de cord. Cervi. ℈ij. julep. viol. ℥ß. manus Chriſti perlat. ʒij. Cinnam. ʒijß. M. ſubindè Cochl. ſummatur.

Anacatharticum ſeq. exhibitum fuit: ℞. Succi naſturt. depurat. ℥ij. Syr. papav. rhœad. & de alth. Fernel. ãã. ℥ijß. M.

Dos.

Dos. cochl. j. item Pill. de Cynogloſſa, ſubinde unam hauriendo.

Epithemata parti affectæ externè imponebantur: ℞. Spec. herb. emoll. & carminant. fl. calend. Chamomill. melilot. āā. Mj. Naſturt. virid. conquaſſat. Mjß baccar. lauri, junip. āā. ℥j. Pulv. laud. ℈ij. aniſi, fœnic. āā. ʒij. M. & coque in lacte, benè expreſſa calidè imponantur.

Loco Epithematum quoq; uſurpabat. ol. carminat. cum Tinct. narcot.

Ad capitis dolorem utebatur micâ panis cum cumini & ſalis tantillo, & aq. roſar. irroratis.

Ad excoriationes impediendas Empl. de Sperm. ranar. utebatur.

Lunâ creſcente dum maciem & tuſſim perſeverantem obſervavimus, analeptica exhibuimus, inunctionem dorſi ex oleo violato calente, intùs autem Aq. hepat. vitul. & caudar. cancror. cum Conf. hyacinth.

Uſi fuimus quoque ad matricis ſuffocationes & motus ſpaſticos ſale jovis Anglico & oleo Vitæ Sabaudorum, item Pilulis fœtidis, ſpiritu ſalis armon. & diaphor. Jov. Pro potu ordinario ſuaſimus decoctum Agrimon. Chinæ, paſſular. minor. & aniſi cum infuſis prunis Damaſcenis. Foris Empl. Theriacale cum Ol. Scorpionum impoſuimus, item diachylum cum Gummis. Quibus omnibus uſurpatis derepente & nobis non cogitantibus pus cum lotio, per renes, ureteres & veſicam excretum eſt, omniaque ſymptomata paulatim evanuerunt.

Eſt nunc in Quæſtione, per quasnam vias pus illud à pleuritide ſpuria intrà muſculos intercoſtales collectum, vel ab ipſa pleura decedens, renibus communicatum fuerit, vel ad eos pervenerit?

Ut Quæſtioni huic ſatisfiat ſciendum eſt, pleuritides diverſis ſtabulari in locis, plerumque iis ſe aſſociare inflammationem ipſius pulmonis, in principio pleuritidis ægræ noſtræ inflam-

mationem talem ſe ei ſocium præbuiſſe, nemo non æſtimâſſet, ob ſequentes rationes, quia jamdudum indicia phthiſis oſtendebat, quia tempore novilunii capitis dolor eam variè torſit, per aliquot quoque annos materia vireſcens è nare ejus dextra excreta fuit, nullum odorem ſenſit, vomitu quoque ſubinde rejecit pinguia, gelatinoſa &c. Signa hæc & alia phthiſis quanquam metum nobis principiô incuterent, effectus tamen ſecundus id neutiquam comprobabat. Pleuritis hæc erat notha, ab affluentibus humoribus acidis, intimiùs poſt pleuram affixis, rodentibus, erodentibus, inflammantibus flatusque excitantibus, ortum nacta; nullum eſt dubium quin hic locorum ſint ruptæ plures venulæ intercoſtales, tumor quoque ſenſim inſignis concitatus fuerit, qui ad maturitatem trium vel quatuor hebdomadarum ſpatio deveniens, oſcula vaſorum per ῥῆξιν aut διαπήδησιν hiantium, ſubintrare, abſorberi maſſæque ſanguineæ commiſceri potuerit. Sicut autem unusquisque humor naturaliter è maſſa ſanguinea eliminandus eſt per propria viſcera, locosque publicos, ne κρᾶσις τῆς τροφῆς καὶ τοῦ αἵματος conſpurcetur, ſed purè & ſine offenſa partes alluat & nutriat: Simili quoque modo in ægra noſtra pus hoc à parte affecta ſanguinis maſſæ communicatum, à venis intercoſtalibus in Azygon, hinc in cavam trajectum, per pulmones motum, (ubi ſuffocationis & convulſionum metum concitabat) ulteriusque ad ſiniſtrum cordis ventriculum promotum eſt, vi aëris elaſticâ, quâ datâ portâ ad vias urinarias glandulasq; renales præcipitatum, in ureteres & veſicam miſſum, ſenſimque illud quod ſufficienter excoctum fuerat, foras ſecretum eſt: hinc enim ægra ſe reficere ac melius valere cœpit, natura quoque decoctis traumaticis adjuta reliquum heterogeneum, purulentum quod aderat, à loco affecto eliminavit. Vehemens ergo dubitatio animum meum tenet, num matricis ſuffocationes omnes eæ ſint vocandæ, in quibus ſigna talium ſuffocationum ſenſibus occurrunt, quælibet enim materia cordis anguſtias per-

trans-

transiens, id quod ex urinis conſpicitur, pectoris anguſtiam, palpitationes cæteraque mala cauſatur. Et hinc quoque manifeſtum evadit, quàm ſit difficile ulcera interna diſcernere, eorumque eventum prædicere: niſi enim membrana Pleura tam fortis, nervea, ſequaxque ulceris copiæ ceſſiſſet, procul dubio hæc rupta ſubſequens empyema excitaviſſet, ægramq; vitæ ancipitem reddidiſſet. Fomenta & Emplaſtra parti affectæ impoſita dolorem non ſolùm mitigârunt, ſed ulceris quoque maturationem promoverunt, & facultatem ad interiora vergendi ei non conceſſerunt. Multùm proin juvat, ægrum, ſi nempe poſt rigorem tam vehementem criſis manifeſta, durante adhuc dolore, non ſubſequatur, ad ſecretionem vel per alvum, vel per urinam, vel per ſudorem diſpoſuiſſe; in hoc enim caſu diaphoreticum Antimonii, diaphor. Jov. ſudorifera cordialia, à centro ad circumferentiam pellentia, præ cæteris magni habenda ſunt.

[*Tiguro Auguſtam Vind. A. 1692. M. Aprili miſſa.*]

## OBSERVATIO CVIII.

## D. JOHANNIS JACOBI WAGNERI.

# Solani melanoceraſi ſeu ſylvatici vis ſoporifera ac deleteria.

CUm anno M. DC. XC. die 29. Julii ad Seebachum, vicum ditionis Tigurinæ, unâ leucâ ab urbe diſtantem, mulieres aliquot ruſticæ in evellenda cannabe occupatæ eſſent, circa veſperam muliercula quædam, ex eodem vico, *Regula Meyera*, uxor *Rudolphi Kochii*, inter eundum per vicinum ſaltum, dictum Buſchholtz/ in fruticem perelegantem, baccas atras, ſplendidas atque viſu amœnas proferentem, *Solanum* μελανόκερασ@, *ſylvaticum* & *maniacum* appellatū, ſiniſtro fato, incidit; cùm verò antehac auditu nonnulla percepiſſet de baccis Ebuli, ſibi perſuaſit has ipſas Ebuli

baccas eſſe; itaque magnam earum vim in ventrale ſuum collegit, quò domi Rob Ebuli inde conficeret. Poſtquam verò ad prædictas mulieres ruſticas, circa cannabin occupatas, perveniſſet, ex *Barbara Küßlera*, vidua *Henrici Siberi*, annorum LXII. quæ ipſa ante aliquot annos Rob Sambuci atque Ebuli conficere ſolita fuit, quæſivit, numquid hæ baccæ Ebuli baccæ eſſent, nec ne? Illa imprudens, maximo ſuo & aliorum infortunio affirmando reſpondit, atque de his ipſis baccis comedere incepit, unde & cæteræ mulieres eas deguſtârunt, verùm his eæ minùs gratæ viſæ fuére: ipſa quoque *Regula Meyera* ſex baccas devoravit, verùm cùm & ipſius quoque palato eæ haud acceptæ fuiſſent, nonnullas denuò exſpuit. Cùm autem Socrus hujus *Regulæ*, *Anna Meyera*, vidua *Johannis Kochii*, annorum LXI. & ſupra dicta *Barbara Küßlera* cupiditate ingenti de his baccis comedendi corriperentur, procul dubio fame preſſæ, libenti animo à *Regula* earum eſus illis conceſſus, imò ut de iis commanducarent, ſiquidem ita luberet, eas urſit: hæ itaque pro libitu lubituque de illis comederunt, pauloque poſt ad labores ſuos, evulſionem nempe cannabis, ſeſe receperunt; mox autem ad baccas has denuò advolârunt, iisque ſeſe ingurgitarunt. Sed nondum elapsâ horâ, baccæ hæ virulentiam ſuam occultam, narcoticam atque deleteriam exerere cœperunt, proinde binæ hæ vetulæ viribus deficere, de magna anxietate circa præcordia, atque cardialgia, conqueri, ac ſomno corripi cœpere, quapropter domum contendunt; ſed jam inter eundum lethargus incrementa ſumit, ſtupidæ atque ἄφωνοι fieri incipiunt. Interea verò temporis muliercula illa *Regula* reliquas ſuas baccas domum deportavit, in hypocauſto repoſuit, & mox inde in vicini cujusdam domum, negotiorum quorundam causâ, ſeſe contulit: in abſentia ejus nonnulli infantes, tum in eadem domo cum ea habitantes, tum etiam vicinorum aliquot, hypocauſtum ingreſſi, in baccas has irruerunt: ex domeſticis alii, ceraſa eas eſſe arbitrati, comederunt; alii verò eas tantùm

tùm deguſtârunt, & tanquam inſipidas denuò exſpuerunt: vicinorum autem infantes, cùm de iis comediſſent, è domo mox ſeſe ſubduxêre, timentes ne à muliercula illa malè tractarentur, ſi ea redux nil amplius baccarum offenderet. Inter infantes hos erat puella XI. annorum, quæ quinque baccas aſſumſit, neque quicquam adverſi inde percepit: puer autem novennis etiam decem devoravit; atque hic ſtuporem ſaltem quendam & tormina ventris ſenſit: magnam autem earum copiam ſequentes pueri devorârunt, nempe *Johannes Conradus Brunnerus*, *Abrahami* filius, ſeptennis, *Conradus Kochius*, quadriennis, mulierculæ illius Regulæ proprius filius, & *Johannis* Klein: Peter Schmids filiolus, bimus & octimeſtris. Pueruli hi paucis abhinc horis penes ſuos animo atque corpore, languere cœperunt, diriſque cruciatibus circa præcordia, ſtupore quin etiam ac convulſionibus epilepticis ſæviſſimis corripiebantur, unde & bini minorennes pueruli apoplecticorum inſtar, alter circa mediam noctem, alter verò ſequenti luce, extincti, & miſeram ſuam vitam finiêre: ignari erant parentes, undenam hoc mali infantes hi ſibi contraxiſſent, prout ſunt innumeræ infortunii viæ. Cùm verò pater majorennis pueri, *Joh. Conr. Brunneri*, in rem præſentem iviſſet, atque exploratum haberet quid cum filio ſuo actum eſſet, ſubito ad vicinum quendam Medicaſtrum ſeſe contulit, qui ſuaſit ut aquam tepidam puero per os infunderet, quò baccas ingeſtas regurgitaret; ſed cùm hoc minùs ſuccderet, poſt infuſam Theriacam in aqua quadam ſtillatitia, baccas revomuit, ſimulque per nares ac os ſanguinem reddidit, ac brevi priſtinam ſanitatem recuperavit. Sed binæ, jam ſupra commemoratæ vetulæ domi jam lethargo correptæ, velut apoplecticæ ſine ullo motu membrorum jacebant; ſique ab adſtantibus vellicabantur, oculos quidem aperiebant, ſed ne gry quidem proferebant, atque in eodem ſtatu ſequenti etiam die permanebant; circa horam autem octavam veſpertinam, *Barbara Küßlera*, cùm priùs comeſas baccas revomuiſſet, vitam

cum

cùm morte commutavit; altera verò, *Anna Meyera*, ſubſequenti demum die 31. Julii, ſummo mane, in Libitinæ rationes adſcripta fuit: cùm autem baccas ingeſtas in ventriculo retinuiſſet, poſt obitum corpus ejus mirum in modum intumuit. Eodem autem die quaterna hæc cadavera in eodem ſepulchro recondita fuerunt.

## OBSERVATIO CIX.

## D. JOHANNIS JACOBI WAGNERI.

# Vis Imaginationis ex intuitu inciſionis Tumoris.

IMaginationis, quæ circa ſpecies objecta ſenſibilia repræſentativas eſt occupata, in Phyſicorum pariter atque Medicorũ ſcriptis, mirandæ prædicantur vires, non modò in ſtatu morboſo, verùm etiam ſano, unde ſtupendæ operationes proficiſcuntur: hanc in rem multa exempla in medium proferri poſſent; ſed jam unicum idque recens recenſere lubet. Anno M. DC. XCI. in Martio *Maria Reutlingera* puella X. annorum, cacochymica, Febre continua corripiebatur; Medicamenta lege artis convenientia ei præſcripta fuerunt, unde febris quidem ceſſavit, ſed materia morbifica per *μέταςασιν* ad glandulas axillares, ſiniſtri lateris, deferebatur; unde ob materiæ aciditatem, coagulatio lymphæ in glandulis extitit, indeque tumor ingens atque durus obortus: diaphoretica internè, nec non diſcutientia externè primùm applicita fuêre, ſed incaſſum omnia; proinde ad emollientia & ſuppurantia progrediendum erat. Tumore autem emollito, Chirurgus eum lanceolâ aperuit, adſtante *Margarethâ Locherâ* puellâ XXV. annorum, ſanâ, alterique inſerviente: hæc metu, terrore ac imaginatione aperti tumoris validè mota, mox de dolore quoque ſub ſiniſtra axilla, conqueri cœpit, ac paulò pòſt tumor quoque ingens cum inflammatione obortus eſt;

ſed

ſed brevi quoque tempore inde curata fuit. Mirum illius Tumoris ſimulacrum non tantùm in adſtantis puellæ penu memoriæ, verùm etiam in ea corporis parte, quam ſpecies connexa ſignavit, inſculptum fuiſſe.

## OBSERVATIO CX.

## D. JOHANNIS JACOBI WAGNERI.

# Cochlearum uſus inſignis diſcutiendi ac attenuandi lympham coagulatam circa juncturas articulorum, ac in genere nervoſo.

PUer nobilis octennis Petrus B. de dolore vehementi Inguinis dextri lateris, abſque tamen ulla glandularum ejus intumeſcentia, nec non circa Os Iſchii conqueri cœpit, mox quoque ibidem motus cruris periit: inde concluſum, ſerum quoddam acidum ad perioſteum, tendines, caput Femoris & acetabulum Oſſis Iſchii decubuiſſe, quod cauſa ſit cùm diri hujus doloris, tum motus illius membri deperditi. Præmiſſo Cathartico in remedii ſubſidium Cochleæ majores, unà cum teſtis ſuis adhibitæ, quæ probè contuſæ, in patella ſupra prunas calefactæ, ac inſtar Cataplaſmatis linteo extenſæ, partique affectæ appoſitæ, ac ſæpiùs reiteratæ fuêre. Cataplaſmata hæc efficaciter ſalſas ſeroſitates coagulatas, attenuabant, reſolvebant, ex profundo alliciebant, doloremque diſſipabant, ope ſalis volatilis alcalini ipſis commiſti.

Hoc ipſo medicamento etiam, in muliere quadam, ſimili affectu correpta, magni nominis Medicum, maximo cum fructu poſtea uſum fuiſſe, quatenus ſal acido-fixum in ea parte hærens, à talibus Cataplaſmatibus adhibitis, ſimili modo diſcuſſum atque abſorptum fuit, mihi conſtat.

Hoc ipſo menſe Aprili, anni hujus M. DC. XCII. Matrona

quædam honeſta de ingenti dolore circa Oſſis humeri, dextri lateris, partem inferiorem, & quidem apophyſin ejus extremam conqueſta eſt, ubi paulatim tuberculum quoque durum inſtar Ganglii excrevit; multa equidem ad ſopiendum hunc dolorem adhibuit, ſed fruſtraneo conatu: itaq; ex meo conſilio Cochleas majores contuſas manè ac veſperi ſimiliter applicuit, atque hinc intra biduum ab omni dolore liberata fuit, ipſum quoque tuberculum evanuit.

## OBSERVATIO CXI.
## D. JOHANNIS JACOBI WAGNERI.
## Cephalalgia Scorbutica intermittens, à Glandulis in Cerebro prognatis, ac inde ſubſecuto Hydrope Capitis, orta.

JOhannes Oberdörſter/ puer XIV. annorum, in Orphanotrophio Tigurino degens, antehac Scorbuto laborans, totoque corpore minutis maculis rubris ſcatens, anno M. DC. XC. ineunte æſtate de laſſitudine totius corporis, dolore capitis obtuſo, atque appetitu proſtrato conqueri cœpit, quæ virium debilitas corporisque atrophia, tanquam umbra corpus, paulatim ſubſecuta. Circa initium Julii, Cephalalgia partiali acutiſſima corripiebatur, cumprimis in ſincipite circa dextram frontis partem, latitudine unius Imperialis; in occipite verò circa initium ſpinæ dorſi; unde crebro conquerebatur ſe caput tollere vix poſſe. Paroxyſmus ſua intervalla, nulla periodo certa obſervata, habebat; neq; priùs ceſſavit, quàm Vomitus ſubſecutus fuerit.

Contra rarum hunc affectum variis medicamentis pugnatum eſt; ita ut Cephalalgia omnimodè remiſerit, obambulârit, bene comederit, per XVI. dies de nullo amplius incommodo conqueſtus fuerit, unde ſpes bonæ valetudinis affulſit.

Circa medium autem Auguſti frequenter ſub fervenri Solis æſtu degit, ac fructibus crudis ventriculum aliquoties replevit, unde Febris acuta oborta, Cephalalgia totius capitis refricata, cibi inappetentia, dolores quoque axillarum atque orificii ſuperioris ventriculi excitati, vires indies conſumptæ, medicamenta incaſſum omnia fuêre; tandem etiam Convulſiones Epilepticæ ſupervenêre, ac die XI. Septembris vitam hanc miſeram finiit.

Apertô Craniô, Cerebrique involucris remotis, oculis ſeſe noſtris objecerunt ſequentia. *Cranium* juxta ſincipitis elevationes, ſeu verticem, utrinque pertenue erat, quod etiam ab *arteriola* juxta ſagittalem ſuturam perforatum fuit; vaſculum hoc in Capitis cutem deſinebat. *Pia mater* ſub ſincipite corroſa fuit, ipſumque Cerebrum ibidem loci aliquantùm protuberabat. *Subſtantia* Cerebri ſolidior fœtebat. *Ventriculi* copioſiore & acriore lympha turgebant, adeò ut circiter unciæ decem quantitate effluxerint. *Plexus Choroidæus* ab hac lympha flaccidus, & dilutis glandulis ſolito pallidior erat. *Glandula pinealis* admodum parva, flaccida, in extremitate lacera fuit. Sub hac glandula in ipſa ſubſtantia Cerebri medullari juxta Occiput præternaturalis *Glandula ſebacea* durior friabilis occurrebat, qualis quoque in fine Cerebelli loco *Calami ſcriptorii*, juglandis magnitudine, ut & à parte anteriore intra plicas Cerebri *inſignes duæ Glandulæ* reperiebantur: juxta quartum Ventriculum plures pori ſanguinem fundentes in ipſa medullari ſubſtantia erant: in extremitate Cerebelli, parte dextra, *glandula* quoque Duræ matri adhærebat, ſicut & in parte, anteriore intra Cerebri plicas. *Rete mirabile Galeni* aſperum, & intricatis vaſculis ad *Sellam Turcicam* obſervatum fuit. Supra oculos in fronte inter utrumque Cranii tabulatum lympha flaveſcens craſſior præternaturalis erat. Cætera bene conſtituta fuêre.

Ex his palam fit lymphæ impurioris collectione, obſtructiones in Cerebro, hinc duras glandulas præter naturam ori-

ginem traxiſſe, ſecretionem impeditam eſſe; morâ autem acrimoniam induiſſe, membranas ſenſibiles & laceratas & compunctas ſeu eroſas eſſe, hinc ingentem dolorem, per paroxyſmos urgentem initium ſuum duxiſſe; affectis nervis & variis protuberantiis medullaribus epilepticos motus & ipſam mortem ſubſecutam.

[*A. 1692. M. Aprili Tiguro Auguſtam Vind. miſſæ.*]

## OBSERVATIO CXII.

## Dn. JOH. CONRADI MURALTI, Johann. Fil. Lutræ maſculi Anatome.

LUtra maſculus (cujus Anatomen fruſtra hactenus in Blaſio aliisque Auctoribus quæſivi) inter naſſam & gurguſtia à piſcatoribus in Lacu Tigurino captus, mihique ut Anatomico cultro ſubjiceretur allatus erat. Antequam verò ejus internæ viſcerum fabricæ conſtitutionem, ut mihi apparuit, ſiſtam, exteriora ejus paucis deſcribam; nimirum Lutræ hujus magnitudo, canis magnitudine minor erat, crura nimium curta, pedes in omnibus plani, membranis (inſtar anatum) cincti & inveſtiti, caput canino magis depreſſum, dentes quoque tantùm non canum venaticorum ſimiles, aures inſtar Caſtoris, pili molliſſimi ſplendentes, caſtanei coloris; cauda prælonga itidem piloſa: Interiora dehinc dum luſtrarem, detractâ cute, muſculoſa caro elegantiſſimè undique rubra apparebat: Separatis verò, diſſectis, & ad latera ſepoſitis muſculis abdominis cum peritonæo, in conſpectum veniebat Omentum inſigne, ad hepar usque pertingens, à ſtomachi fundo enatum, inſtar retis affabrè conſtructum copioſa pinguedine perſperſum, duplicatum, & inteſtinorum anfractibus immerſum, lieni, pancreatique annexum; Pancreas magnum ſatis, ad lienem usque transverſim ſub ſtomacho ſitum pertingebat. Ventriculi contenta, nihil niſi

ſpinæ

ſpinæ piſcium & humor quidam bilioſus flavus erat; Inteſtina caninis ſimilia glandulis ſolitariis & ſociis D. D. Peyeri, ubique erant perſperſa, inter alia tamen hoc ſingulare, & notatu præ reliquis digniſſimum apparuit, quòd ad finem inteſtini recti, intra ſphincteris carnem foris ſpectabiles adfuerint duæ veſiculæ oblongæ, humore caſeoſo, acerrimè nares feriente, inſtar putridi & aceſcentis caſei turgidulæ, porrò interius hæ veſiculæ, ſeu receptacula, pellicula duriore punicei coloris, ad ſimilitudinem ejus, quæ in ventriculo gallinarum conſpicitur, incruſtabantur, idq; nę fermentum illud acerrimum & fœtidiſſimum, receptacula penetret & erodat; Quin & præter caſeoſam hancce materiam albicantem, humiditas quædam intùs erat recondita, quæ preſſis veſiculis, ex plurimis foraminulis, versùs recti inteſtini concavitatem proſiliebat; Veſiculas autem exemptas & à ſphinctere totaliter ſeparatas, poſtquàm ad exſiccandum aêri expoſuiſſem, materia eorum trium menſium ſpatio, & colore & conſiſtentia, & odore penetrantiſſimo, Zibetho haud abſimilis evaſit. De uſu verò harum veſicularũ & materiæ intus contentæ, haud certi adhuc quidpiam aſſerere licèt, niſi forte Lutra eâ ad piſces alliciendos, dum illam de ſe ſpargit, utatur, prout graveolentia, in paſtis halieuticis præcipuum contribuunt, ut copioſè piſces ad eſcam accurrant, ſicque capiantur. Sic namque paſtarum ejusmodi ingrediens eſt caſeus, prout & liquor hic lutræ, putridum & aceſcentem caſeum redolebat: Accedit quòd Lutra circa ripas aquarum præcipuè degat, nec in medium aquarum facilè ſe immittat, ad perſequendos piſces, unde hi taliter ad ripam alliciendi ſunt, ut in eſcam ejus cedere poſſint. Porrò Hepar è ſeptem lobis magnitudinis diverſæ, ventriculum ambientibus, conſtabat, inibique vaſa merè purpureum & aqueum ſanguinem fundebant. Lien canino lieni ſimilis erat: Renes autem in plures carunculas, racemorum inſtar, ut in renibus vitulinis conſpicitur, interpoſitis venis ſeparati & connexi apparebant: Ex his ureteres non ex medio

ſed ab extremitate eorum enati & producti, & ad veſicam urinariam, quæ figurâ & magnitudine felinam veſicam æquabat, erant protenſi. Juxta os pubis, ad latera prædictæ veſicæ urinariæ, internâ muſculi transverſalis parte, â venis Iliacis ramificationes conſpicuæ erant; Quod ad Teſtes, illi extra abdomen ſicuti in canibus oblongi cum paraſtatis, propendebant, penisque abdomini ad nexus, ſimiliter oſſeusque conſpiciebatur, aderant etiam utroque in latere copioſæ glandulæ inguinales, cum teſtibus mediante membranâ connexæ, in quæ venæ abdominis pinguedinem pertranseuntes inſerebantur; hæc de Abdominis contentis. Sequuntur Contenta pectoris, ſeu thoracis, dehinc adaperti, perluſtrati; ubi ante omnia Diaphragma ſatis validum & muſculoſum conſpiciebatur, cui erat adnexum Pericardium, Lympha cruenta copioſa dotatum, Cor verò inſtar reliquorum animalium ſine foramine ovali, quod adeſſe in vanum ſuſpicabar, totidemque valvulis & vaſis præditam: Supra cor emicuit Thymus inſignis, in quo hactenus fruſtra ductum ut in pancreate inquiſivi. Pulmonis lobi quatuor in dextro, tres verò in ſiniſtro latere apparuerunt, optime ſani & aſperâ arteriâ undiq; perſperſi. Caput, ut ſupra jam dictum, velut piſcium depreſſum & prominens erat.

Sceleton poſtea ex eo â me confectum, capite depreſſo, ſeptem colli vertebris, quatuordecim dorſi, ſeptem Lumborum & octodecim caudæ vertebris cæteriſque oſſibus conſtabat.

[*Tiguro d. 10. Maji 1692. Auguſtam Vind. miſſa.*]

OBSER-

## OBSERVATIO CXIII.

## D. EMANUELIS KöNIG.

# Urina non niſi emulgendo per urethram reddita.

PHarmacopolii Jeſuitarum Monſpelienſium Director in vario de Rebus Medicis Diſcurſu nobis retulit quod quidam Patrum ejus Collegii, conſtitutionis atrabilariæ, ſedentariam agens vitam, inſigni cum dolore & diſtenſione hypogaſtrii divexatus fuerit cùm ad urinæ excretionem à Naturâ ſollicitaretur, ſcilicet non prius urina liberè emingi potuit, quin prius virga virilis inſtar uberum Vaccarum emulgeretur illaque rigidior nonnihil redderetur, concitatis ad muſculos penis erectores ſanguine & ſpiritibus meatum obſtructum aperientibus; Ubi inſimul illud ſe obſervaſſe retulit circa Urinam emictam, quòd ſi illa fuerit reddita in matulam cruſtâ tartareâ obductam mox fuerit ita viſcida reddita, craſſa & ductilis, non ſecus ac id notatur in Vino pendulo, contrarium verò hoc acciderit ſi in vitrum urinarium cruſtâ ejusmodi non fœdatum minxerit. Hujus verò ut manifeſta cauſa reddi potuit ex acido & terrâ quæ ſuam vim coagulantem in urinam exeruerunt, ita alterius, cur ſcilicet non niſi prius emulgendo velut, Urina exiverit, non niſi Mors carnificinæ hujus finis, detexit; ſcilicet cadaver hujus demortui à laudato Patre Directore diſſectum, circa collum veſicam carne velut glandulosâ incraſſatam monſtravit, ſubſtantiam ſcilicet ubera brutorum albicantia glanduloſa referentem, qualis inſuper in urethram uſque excrevit & initium ejus obduxit, manifeſta remoræ hujus cauſa.

OBSER-

## OBSERVATIO CXIV.

## D. EMANUELIS KöNIG.

# Proceſſus cornuformis digiti longitudine è pollice pedis enaſcens.

COntigit hoc Genevæ Viro cuidam quadraginta circiter annorum, ut poſt unguium pedum abſciſſionem nimis propinquam verſus dorſum ſeu baſin, dein ex ſubſequente nova unguium protruſione & augmentatione, ex uno latere in longum magis unguem excreſcere animadverteret, dehinc, quia ex attactu ſæviſſimus dolor ingruebat, ita relinquebat, donec tandem manifeſtè unguis incurvatus fuerit & verè cornu quoddam parvum repræſentarit. Notandum ſcilicet quod Perilluſtris Pontificis Romani Medicus Marcellus Malpighius in Epiſtolâ ad Celeberr. p. m. D. Sponium (qui dum Lugduni degerem ex ſingulari erga me amore illam deſcribendam dedit) de Cornu illo inſigni Bovis in Muſeo Aldrovandino Bononiæ â me perluſtrato refert, â corio nimirum oſſeam ſubſtantiam inveſtiente & in baſi craſſiori emergentes tactûs papillas ita proceras reddi, ut inclinatæ verſus apicem ſimulque reticulari corpori unitæ tot corpora conica efficiant & ex horum unione (quaſi tot lamellis ceparum inſtar intra ſe poſitis) ſolidum cornu corpus efficiatur: pariter namque ex papillis nerveis circa ungvium radices (ubi hinc dolor exquiſitiſſimus eſt & juxta Hon. Fabrum è nervis alimentum apportatur) fibrillæ variæ intortæ colliguntur in craſſiorem viſcidiorem quandam ſubſtantiam quæ Baſin conſtituit unguium, ut ex ejus læſione & perverſione deſtructioneq; aliquali pororum ſuccus nutritius irregulariter colligatur & inæqualiter etiam pro unguis nutrimento diſtribuatur, ſic nempe ut uno in loco copioſius â ſpiritibus ſic magis incitatis protrudatur. Quàm ſævos excitent dolores ejusmodi radicum Unguium læſiones expertus

rus eſt ante aliquot annos heic Baſileæ Typographus quidam, qui variis applicitis remediis, tantùm abeſt ut ullum ſolatium receperit, quin dolor ſemper magis exaſperatus fuerit, uſque dum tandem ſigna Lunæ, ſuaſu cujusdam obſervarit, præſcindendo particulam leniter de ungue, Lunâ in ſignis adſcendentibus, maximè in Tauro exiſtente, unde annon ſimiliter error quidam in primâ abſciſſione, præter læſionem à cultro obtigerit, ſuſpicari quis poſſet?

## OBSERVATIO CXV.

## D. EMANUELIS KöNIG.

# Novæ Radicis exoticæ, Hipepocoanna dictæ Virtus antidyſenterica.

VIr Celeberrimus Dn. Godefridus Guilhelmus Leibnitius ex itinere ſuo redux in Epiſtolâ ad Ampliſſim. & Graviſſim. DN. Joh. Georg. Volckamerum, Præſidem Illuſtris Societatis Leopoldinæ Excellentiſſ. tomo præcedenti Miſcell. impreſsâ & adnexâ, refert Celeberrimum Virum DN. Henricum Juſtellum, Regis Magnæ Britanniæ Bibliothecarium ad ipſum perſcripſiſſe, in Galliâ nuper radicem ſatis uſualem factam eſſe præſentanei uſûs contra Dyſenteriam; Quod cùm ſummæ certè humanitatis nec minoris rerum notitiæ Viro Antonio Magliabecchio nunciaſſet, atque is porrò quendam completiſſimæ ex ſcriptis doctrinæ Gallum amicum ſuum conſuluiſſet, reſponſum eſt; rem non de nihilo eſſe, & Marchionem Louvoiſium ſeriò curaſſe, ut Medici ac Chirurgi militares per omnes exercitus tam utili remedio non carerent. Hinc ut tantò certior fierem de præſentaneâ radicis hujus exoticæ vi medicinali, ſcripſi eam ob cauſam Viro Nobiliſſ. Excellentiſſ. DN. D. Nicol. Grojean Senatori Priennenſi Prudentiſſ. & Medico Gubernatoris Neoburgici in Helvetia Experientiſſ. qui ſequentia reſponſi loco re-

ponere dignatus eſt: Apres mon retour d' une 12. des jours, je puis dire que la poudre de la Racine exotique de Hipepocoanna à fait merveille dans ces Dyſenteries, non ſeulement recentes, mais de meme dans ceux qui ſembloient eſtre deseſperées, operant trois ou quatre fois par vomiſſement & cauſant quelques ſelles plus frequentes que la Dyſenterie produit; Vos jugerés par cette portion de racine que je vous envoye cyjoint, ſi c' eſt bien celle dont vous faites mention dans votre derniere; Je vous puis aſſurer que ce remede eſt infaillible, & par ainſi d' autant plus curieux & à eſtimer. Je ſuis ſur le point d' en faire l' analyſe, j' en attends de Paris d' ou j' eſpere d' en avoir ſans etre falſifié, à quel inconvenient le prix exceſſiv le rend ſujet, la priſe venant à un Louys d'or dés que' j'en auray reçû, je vous en feray part. Saporem fruſtuli radicis transmiſſæ dum ore deguſtarem, inſignem acrimoniam diu perſiſtentem animadverti, unde quamvis aſſumpta ſedes aliquot moveat inſtar rhabarbari, tamen non videtur ad hoc accedere, radix enim hæc albicat intus & exterius ſtrias habet velut radix biſtortæ, forſan Pyrethri vel Naſturtii exotici genus eſt, prout jam olim ſemen naſturtii remediis contra dyſenteriam admiſcebatur.

## OBSERVATIO CXVI.
## D. EMANUELIS KöNIG.
## Calculus ſub linguá exciſus.

MErcator quidam Genevenſis carnoſi craſſique habitûs, piger ſomnolentusque paulatim volubilitatem linguæ in ore diminutam obſervavit tumoremque ſibi ſub linguâ enaſci ſucceſſivè, adeò ut tandem linguam non niſi maximâ cum difficultate volutare potuerit, & verba eloqui, ſic etiam ut non niſi ranarum ad inſtar coaxare, dum animi ſenſa exprimere vellet, cogeretur; Hinc quia

quia ex paulatina tumoris auctione ſuffocationis metum incurrere ſe tandem metueret, Inciſionem artificioſam, ad evitandam læſionem ductuum ſalivalium inferiorum, ſibi fieri paſſus eſt, quâ calculus olivæ majoris magnitudine fuit exciſus & extractus, ut dein, conſolidatione cum aq. ſanicul. & mell. roſac. & abſterſione inſtituta, priſtinam articulatam loquelam recuperarit. Magnus quondam Platerus noſter in Annotat. MS. ſuper D. Kentmanni Calculor. in corpore innaſcent. gener. XII. Obſerv. III. ſimilem caſum his verbis refert: Dominus Bernhardus Brandt Baſilienſis poſt ſimilem linguæ tumorem, calculum ejecit oblongum nucleo corni fructûs non abſimilem, quem adhuc ſervat: nimirum cit. loco Kentmannus notat de Tubicine, cui tuberculum ſub linguâ ſurgit duriuſculum & diuturnum, ſed doloris prorſus expers, quod ipſe & quos conſulebat, ex flatu vehementi ſic intumuiſſe opinabatur; ſed cum paulatim accreſceret & buccinanti impedimento eſſe cœpiſſet, Chirurgus malagmatis foris appoſitis inciſioneque decenter inſtitutâ Calculum extraxit cum arefactâ & excorticatâ lauri baccâ ſimilitudinem habentem, colore ſpadiceũ & juſtæ gravitatis; Vulnus deinde ſanatum integrè fuit & tumor evanuit, nec tibiâ canenti amplius moleſtè obſtitit.

## OBSERVATIO CXVII.

## D. EMANUELIS KöNIG.

# Apoſtema Hepatis diarrhœâ ſanatum.

VIrgo quædam Baſilienſis annorum viginti ſex per integrum annum Tumorem quendam in dextro hypochondrio ſub coſtis nothis cum diſpnœâ perſenſit, item cum appetitu proſtrato & tuſſi, quibus tandem ſuperacceſſit inſignis dolor & calor in eadem parte, ita ut etiam digiti vel levem impreſſionem reformidaret; Vocatus

hinc Medicus eam maximè debilem reperit, & quia moleſtiſſimus erat lateris dolor, ſitis item vehemens aderat cum vigiliis, calore intenſo, appetitu proſtrato, colligebatur apoſtema in hepate ad maturitatem tendere, quare maturantia in uſum tracta, præmiſſo ante omnia, quia clyſterem reformidabat, ſequente Purgante; ℞. Rhabarb. opt. ℈ij. Crem. Tart. ℈ß. Magiſt. Jalapp. gr. iij. ſpec. diatrion ſant. gr. iiij. Ms. f. pulv. Dein aliquoties ipſi dabatur portio ſequentis Mixturæ: ℞. Aq. cichor. ℥iij. veronic. agrim. ãã. ℥iß. Ocul. cancr. Antimon. diaphor. ãã. ʒj. Syr. violar. purpur. ℥iß citri Julep. roſat. ãã. ʒvj. MS. Inde aliquoties ſumpſit. Decoctum pro Potu ordinario ſequens parabatur: ℞. Rad. gramin. cichor. aa. ℥iß Herb. agrimon. mi. Paſſul. minor. mundat. ℥ß. Coq. ad Menſur. unam pro potu. Suppurantia quæ interea extus lateri affecto applicabantur ſequentia erant: ℞. Cerat. ſantalin. ℥ß. Ung. de alth. ʒii. Trochiſc. de abſynth. ʒß. Ol. de capparib. q. s. M. f. Linimentum quo inungebatur hypochondrium dextrum; parti dein inunctæ ſequens Emplaſtrum applicabatur: ℞. Empl. diachyl. compoſ. melilot. Cerat. ſantalin. a. q. s. cum Ol. cappar. fiat ſcutum hepaticum. Hiſce per aliquot dies continuatis, loco Emplaſtri ſæpius Cataplaſma ſequens in uſum veniebat: ℞. Rad. alth. ℥j. Herb. malv. min. ſem. lini ℥ß Coq. in lacte ad conſiſt. pultis, addendo Ung. reſumptiv. ʒiij. Croc. ʒß F. Cataplaſm. Interdum matutinis horis alternis diebus Decocto prædicto miſcebantur Spiritus Tartari guttæ novem. Tandem his continuatis ſupervenit Diarrhœa ita, ut ter dies noctesque excreverit, materia autem ejecta copioſa & purulenta fuit cum fœtore, liberius reſpiravit, febriſque remittebat: abſterſionis gratiâ ordinatum Decoctum hordei; Quodam die urina ſimul purulenta conſpiciebatur; Dehinc omnis dolor ceſſavit & ægra perfectè convaluit.

[*Baſileâ Auguſtam Vind. d. 13. Maji, A. 1692. miſſæ.*]

OBSER-

## OBSERVATIO CXVIII.

## D. MICHAELIS BERNHARDI VALENTINI.

# Mania ab eſu belladonæ pro myrtillis.

Puella Ruſtica Diœceſeos Kônigsbergenſis prope Giſſam eô tempore, quô

*Alba liguſtra cadunt, vaccinia nigra leguntur*

Menſe ſc. Auguſto anni M. DC. XCI. in vicino nobis monte Dyni vulgo Diensberg baccas ſolani ſomniferi pro myrtillis legit, & non obſtante Pharmacopœi monitô pro veris vacciniis venum exponit, & ut cautiùs mercetur, ſive dolo malo, ſive merâ ſimplicitate alios perſuadet, fructus illos hoc anni curſu pinguiores & ſucculentiores eſſe: Nec emptoribus deſtituitur, quibus in tantâ fructuum horæorum infrequentia ſalivam movebant bellaria viſui non ingrata, eaque plus minus devorabant. Quid fieret? vix elapſa hora ſubitaneis phlogoſibus perfunduntur homines, cum ſomnolentiâ quadam turbulenta, ex qua emergendo titubant & ebriorum more fatiſcunt, vomunt nonnulli, inſaniunt & ſuſpiriis in tripudia mutatis inſolitum rident, furunt & in adſtantium crines involant. Accedunt convulſiones epilepticæ, quibus teneriores & infantum quidam correpti exſpirabant. Patribus loci conſcriptis de ſalute civium ſollicitis & in cauſam rei inſolitæ inquirentibus innoteſcit demum ægros illos baccas ſolani furioſi pro myrtillis comediſſe eaque de causâ Medicos ordinant, qui miſeris illis ocius ſuccurrant, quorum maxima pars præmiſſis Vomitoriis bezoardicis conſuetis in uſum vocatis evaſerunt, ſicut totam caſus reſolutionem paulò pòſt in *Diſp. ſua inaugurali* dedit Lic. Mardorffius Practicus Frizlarienſis.

*Baccæ hæ cum ſuperioris Obſervationis CVIII. Solani melanoceraſi fructu conveniunt.*

## OBSERVATIO CXIX.

## D. MICHAELIS BERNHARDI VALENTINI.

# Vermis latus in Studioſo per intervalla rejectus.

QUod Celeberrimus Practicus D. D. MICHAELIS teſte Dn. ETTMüLLERO in fæmina quadam ſcorbutica obſervavit, quòd appetentia ſubinde caninâ laboraverit â lumbrico (qui ab illa depulſus eſt) lato & longiſſimo illatâ, hoc in Studioſo quodam Juris heîc Giſſæ videre licuit. Livonius erat natione isque ultra modum vorax, ita ut victu ordinario non contentus jentaculis & merendis uteretur largiſſimis, vix dum ceſſante appetitu. Cumque ſimul torminibus ſubinde abdominis cruciaretur eaque de cauſa pilulæ quædam Mercuriales ipſi diverſis vicibus præſcriptæ fuiſſent, aliquoties ab illarum uſu lumbrici lati fruſta ſatis procera & ulnas aliquot adæquantia excrevit, quæ dubio procul appetitus illius p. n. aucti fuêre cauſæ.

## OBSERVATIO CXX.

## D. MICH. BERNHARDI VALENTINI.

# Infauſtus Spiritus Salis Ammoniaci abuſus.

QUantoperè Salia volatilia à Modernis ad curandos morbos extollantur, nemini, qui vel obiter in ſcriptis illorum verſatus eſt, ignotum erit; neque ſine cauſa extolluntur, quum præſentaneo ſuo levamine illis ſæpe malis ociùs ſuccurrant, quæ blandioribus tractata ne latum quidem unguem de violentia ſua remittunt. Interim ut nusquam tuta fides, ita nec ſalibus ejusmodi volatilibus nimium & plus quam decet tribuendum eſt, cum, ut

omnia

omnia medicamenta draſtica ſiniſtrè uſurpata gladius ſint in manu furioſi; id quod triſti experientia aliquoties nimius Spir. Salis armoniaci uſus comprobavit, qui vel majori quàm decet quantitate adhibitus vel diutius continuatus ſanguinem nimis rarefaciendo hæmorrhagias periculoſas ciere ſolet; Novi ſanè Virgini difficulter menſtruanti ab exceſſivo Spirit. Sal. Ammoniaci uſu hæmoptyſin periculoſam accidiſſe; In ſene verò ab uſu ejus nimium adaucto fluxum hæmorrhoidalem incoercibilem obſervavi, in alio verò narium ſtillicidium acidis ſedatum, ſicut ſimilem quoque narium hæmorrhagiam à Sal. Vol. Oleoſi abuſu notat *D. JACOBÆUS Vol. I. Act. Haffn. Obſ. CXIII. pag. 208.* Quemadmodum igitur Antiquiores herbam ſuam hæmagogam datâ opera celabant, ita vis hæc hæmagoga Sal. vol. econtra cuivis Practico revelanda eſt, ut his ſit modus in rebus, nec exceſſivam eorum doſin ſanguine luat Proximus.

## OBSERVATIO CXXI.

## D. MICH. BERNHARDI VALENTINI.

## Pruna Damaſcena ſubventanea.

OCcaſione ſeminum ſubventaneorum in morô ab Excell. Dn. Camerario inventorum & in *Obſerv. CXXII. Anni IX. Dec. II. Miſcell. Acad. Nat. Cur.* annotatorum, non poſſum non pruna ſimul ſubventanea hornô tempore hinc inde reperta adjicere, quæ vivis & ut ita loquar fœcundis triplo majora erant & pelliculâ craſſiſſimâ ſubviridi circumdata absque ullo nucleô intus reperiendo. Tunc temporis autem, ex vulgi relatione occurrunt, quô præmaturum veris calorem frigus excipit intenſius, quô fieri ſolet, ut nuclei teneriores intùs frigore aduſti concidant, extimæ verò pelliculæ frigori mage reſiſtentes tubulis ſuis ſuccos circulantes recipiendo creſcant aereque gravidæ ad tempus pendulæ arboribus inhæreant.

OBSER-

## OBSERVATIO CXXII.

## D. MICH. BERNHARDI VALENTINI.

# Vagitus Uterinus in mure minore.

FOetus quosdam in utero materno vagitum ſæpe edere nota ſatis vulgi eſt traditio, quam in dubium tamen vocant tantum non omnes Anatomici. Ridiculum verò ejus rei exemplum nuper obſervavit Affinis meus Dn. HEERIUS Supremus Butisbacenſium Præfectus, qui muſcipulam ſibi parari juſſerat ſimilem illi machinæ, quâ Martes atque glires vulgò capi ſolent, cujus delineationem & effigiem habent Authores libri Gallici *de là Maiſon Ruſtique*. Accidit autem ut eam mediante murem utero gerentem ita prehenderit, ut ore, tantùm ſubitò compreſſo machinæ adhæſerit, quô factô fœtus intus contenti non tantùm vehementer ſe movere & latera undique pulſantes exitum moliri inceperunt, ſed & ſibilos vagitusque omnibus clarè ſatis perceptibiles ediderunt interceptô fortè aêre reſpirationem illorum inchoante.

*[A. 1692. 21. Martii Noribergam miſſa.]*

## OBSERVATIO CXXIII.

## D. CAROLI PATINI.

# Hydrops lethalis ex nimio vini potu, vacuatâ primùm vi naturæ totâ ſeroſâ colluvie.

LYmphaticæ venæ licet tantæ ſint ſubtilitatis, ut facillimè ſenſuum ſubterfugiant aciem, tanta tamen firmitudine à benevola natura ſunt donatæ validiſque fulcris ſuffultæ, ut haud facilè niſi iis ſum̃a inferatur vio-

lentia

lentia, rumpi & dilacerari queant; Nihilominus tamen eas ſæpè diſcontinuari, contentumque ſuum laticem effundendo, hydropem cauſare, triſtes naturæ teſtantur tragœdiæ; imò experientia comprobat mox immodico ſanguinis profluvio, ruptâque vomicâ hepatis, mox crebrâ diurnâ & copiosâ narium hæmorrhagiâ, mox pertinaci hepatis ſcirrho, ſcirrhoſoque crurum tumore, imò & mictu ſanguinis diuturno, animalia facta fuiſſe hydropica. Alias innumeras cauſarum hydropiſeωs ſpecies ut taceam, hac vice novam quandam & lethalem à nimio vini potu ſubortam in ſcenam ſum producturus.

Occaſionem ſuppeditavit Carolus Bettini, Venetus, Vicentiæ famulans, vinumque ad hoſpitium *del Capello* nominatum diſtribuens. Annorum natus erat quadraginta quinque, quod tempus ferme omne vinum emendo & vendendo conſumpſerat. Tanta ſæpè mortalium eſt perverſitas, ut bonorum fruendorum occaſionem ſine judicio & moderamine ita arripiant, ut pro uſu abuſus irrumpens, iis tandem pro bonis mala tribuat. Hoc & huic obtigit; Licitum enim erat ei dulcem Bacchi Vicentini potionem pro ſuarum cupidinum ſatietate uſurpare, modò illud monitum; omne nimium in ſævum verti vitium prudenter obſervaret. Quod factum tamen ab eo neutiquam; hauſit enim vinum quotidie in tanta quantitate ut ejus animales ſpiritus non modò ſuavem refocillationem, ſed inopinatam perverſionem ſæpiſſimè ſentire oportuerit. Admonitus non rarò fuit ab amicis ut ſibi parceret, malamque hanc conſuetudinem abdicaret; verùm nectaris ſuavitas aures obtundebat, donec tandem vires Patientis decreſcerent, ſeri in dies aucti collectionem ulterius perferre nullo modo potentes. Morbo oppreſſus, macilento corpore, facie palleſcente, omnibuſque partibus hydropicè tumentibus, ad me Patavium acceſſit, conſilium implorans. Triſte mihi viſum eſt ſpectaculum, & peſſimi ominis, quo declarato manus auxiliatrices admovens, id primùm præſcripſi,

quotidianum vini potum intermitteret, quod etiam ſe factu-rum eſſe quodammodo pollicitus eſt. Quæ convenire pu-tabam propinavi; ſerum & convenientibus hydragogis & appropriatis diaphoreticis diureticiſq; evacuari ſtudui, minùs tamen quam par erat efficiebant, non medicamentorum qui-dem ſed propria inobedientis patientis culpa, quippe qui po-tiùs mortem experiri, quàm nimium potum intermittere volebat. Poſt aliquot menſes ab ægrotante iterum accerſi-tus, familiam cum ipſo valde hilarem animadverti, ob eva-cuatum derepente totum per inteſtina atque veſicam ſerum quo turgebat abdomen, ut patiens ſceleto quàm homini vi-deretur ſimillimus: At riſus in lacrymas brevi verſus eſt. Mor-tem quam jamdiu prædixeram in propinquo eſſe pronuncia-vi, ob proſtratum planè nectaris vivifici fontem viſcerum-que officium, nulla prorſus ſalutis ſpe relicta, nec nos fefellit eventus: Non ſe permittat itaque medicus plebi ἐπινίκιον ante victoriam canenti, ſed attentè vires naturæ malique compa-ret, ut prognoſticon inde pronuntiet, integramque ſibi ſer-vet famam quolibet theſauro pretioſiorem.

*[A. 1692. d. 16. Jun. Patav. Auguſtam Vind. allata.]*

## OBSERVATIO CXXIV.

## D. JOSEPHI LANZONI.

*De*

# Ulcere in inguine, alvi fæcibus tranſitum concedente, ſanato.

Mulier annorum 47. poſt herniam inteſtinalem ab-ſceſſu in inguine laborabat, cui tam alta ſucceſſit putredo, ut portio inteſtini, longitudine duorum digitorum transverſorum, ad omnimodam ſuppu-rationem fuerit deducta, & in toto curæ curriculo fæces per ulcus prodierint. At præter ſpem ſalutis, multi enim impoſ-

ſibilem

ſibilem talem curationem ajebant, balſamicis adhibitis remediis, intra 20. dies ſucceſſit conſolidatio, indeque cicatriſatio; hodie excrementa per alvum excernuntur, nec ullum patiens ſentit in parte affecta dolorem.

## OBSERVATIO CXXV.
## D. JOSEPHI LANZONI.
# Mors à narium hæmorrhagia ſuppreſſa.

JUvenis quidam annorum 19. temperiei calidæ & ſiccæ, habitus corporis macilenti, gulæ delitiis valde deditus, conqueritur derepentè de magna corporis laſſitudine, cui ſuccedit horror & rigor maximus, poſtea calor cum ſiti, capitis dolore & vigilia; pulſus eſt languidus, cæterùm naturalis ferè; urinæ boni coloris; deliquia & ſyncopæ ſuperveniunt, diarrhœa bilioſa. Acceſſi & maligna illum febri affici judicavi; die ſexta non pauca ſanguinis quantitas per nares exit, ita ut hoc videntes Adſtantes, de vitæ periculo timerent, ſtatimque ideo ad Barbitonſorem currerent, ut hæmorrhagiam ſiſteret. Ille ſine meo juſſu, turundis ovi albumine imbibitis, ac adſtringentibus pulveribus inſperſis cruorem ſupprimit. Poſt hæc ſomnus ſupervenit lethargicus, & æger in fine diei ſeptimæ moritur.

## OBSERVATIO CXXVI.
## D. JOSEPHI LANZONI.
# Mania ex amore nimio.

ADoleſcentula, Mercatoris cujusdam noſtratis filia, vitam ducens otioſam, annorum 17. honeſto pulchri Adoleſcentis amore capta, nil niſi matrimonium cum ipſo optabat; Amantes ambo ad colloquia venerunt, & noctibus integris nihili pendentes & æſtivum calorem, ac hyemis frigus, aſſiduè vigilando, inter dulces amoris ſermo-

nes delectabantur. Creſcit tali via amor, & Adoleſcentula ſuppreſſione menſium afficitur, color faciei mutatur, & pallet, ſicut ait Poëta:

*Palleat omnis amans, color hic eſt aptus amanti.*

Febres ſuccedunt nocturnæ, & obſtructiones viſcerum fiunt. Vocatus à Patre, ſolus in cubiculo interrogo Juvenculam de morbi origine; amorem accuſat; ad curam me compono, febres ſequentes fiunt exiguæ, tamen delirare incipit, & fit maniaca; à quo tamen affectu ſecundùm Artis noſtræ regulas curata, libera evaſit, ac fluxus menſium ordinarius rediit; nunc ſana vivit, ac ſe ad matrimonium optatum citò ineundum accommodat.

## OBSERVATIO CXXVII.

## D. JOSEPHI LANZONI.

# Epilepſia per ſubſequens matrimonium curata.

Vidua quædam annorum 31. temperie calida ac ſicca donata, vitæ ſedentariæ dedita, rarum fluxum menſium experta, vinumque in quantitate potans, ex improviſo in terram cecidit, ſpumâ ex ore prodeunte, totum corpus violenter concuſſum, & membra retracta fuerunt. In ſe reverſa horum non recordatur, & bis ſaltem in menſe hoc affectu corripitur. Plura medicamina exhibeo; at omnia ſunt fruſtranea. Unde conſului, ut ſecundas accedat ad nuptias. Quo conſilio uſa, ſequenti menſe ſecundum amplectitur maritum, civem ſcilicet Ferrarienſem, Amicum meum, annorum 28. optimâ temperie præditum; primo ſtatim menſe imprægnatur, & nullas amplius patitur epilepticos inſultus, imò gratias Altiſſimo DEO agens nunc ſana vivit, & jamjam ſe accingit ad partum.

OBSER-

## OBSERVATIO CXXVIII.
## D. JOSEPHI LANZONI.
# Quartana Venere curata.

MUltos à quartana febri fuiſſe liberatos timore, lætitiâ, ebrietate &c. adnotaverunt Doctores, & ſcripſi ego de hac re in mea Diſſertatione de hac febre. Verùm hiſtoriolam curioſam de quartana fugata in Amico meo narrare nunc volo, ut pateat, aliquando erroribus edomari morbos pertinaces. Juvenis annorum 27. quartana trium menſium ſpatio laboravit, bis pulveris chinæ chin. ℥ij. in Vino Malvatico ante acceſſionem aſſumſit, ſed fruſtra. Multa Amuleta ac remedia, quæ ipſi porrigebant quoque Agyrtæ & mulierculæ, pari ſucceſſu adhibuit. At Studioſus quidam Rhetoricæ eum docet Venerem optimum eſſe remedium. Juvenis quartanarius ut remedium probet, meretricem invenit, cum ea rem habet, nec amplius quartana afficitur. Nuper etiam alium juvenem, ignei temperamenti, ad iram maximè pronum, & in victu intemperantem, fruſtra adhibitis per annum ferè aliis, aſſumtis die paroxyſmi, ante acceſſionem, jejuno ſtomacho unciis quinque Spiritus vini optimi, à febre liberum evaſiſſe obſervavi.

## OBSERVATIO CXXIX.
## D. JOSEPHI LANZONI.
# Uſus Aquæ Tettucianæ in Dyſenteria.

DUos ego dyſentericos liberavi uſu Aquæ Tettucianæ, imò celebrem eſſe hanc aquam in hoc morbo non miror, ſiquidem cum uniformes ſint Autores in aſſignanda humorum acredine (adderem ego nimiam fluiditatem) pro cauſa interna dyſenteriæ, rationi congruum videtur poſſe notabile derivari beneficium ab aliquo

 medi-

medicamento promovente expulſionem per urinæ vias materiæ pravæ aut ſudorem, refermentando, ſimulque inteſtina detergendo & exſiccando, cujusmodi eſſe autumo aquam hanc; unde & in potu & in clyſteribus uſurpari poteſt cum utilitate; quod verò talem uſum præſtet hæc aqua, legiſſe me olim memini apud Nicol. Cæſium in lib. 5. Andr. Baccii de Therm. aquam eſſe exquiſitè ſalſam & ſiccantem guſtu.

## OBSERVATIO CXXX.
## D. JOSEPHI LANZONI.
## Dyſenteria ſcabie ſoluta.

ANni præteriti æſtivis menſibus hîc Ferrariæ Diarrhœæ ac Dyſenteriæ plurimæ occurrerunt, pertinaces adeo, ut fruſtranea fuerint remedia, licet Artis lege exhibita. Duas tamen obſervavi ego dyſenterias, quæ poſt decimum quartum diem ſuccedente ſcabie ſanatæ ſunt; imò cum miles dyſentericus ita liber à morbo evaſiſſet, & unguentis ac lotionibus ad ſcabiem abigendam uſus fuiſſet, dyſenteriâ ipſum denuò correptum fuiſſe vidi.

## OBSERVATIO CXXXI.
## D. JOSEPHI LANZONI.
## Coma ſomnolentum ex nimio pulveris Tabaci uſu.

CIvis quidam Ferrarienſis ex nimia quantitate pulveris Nicotianæ aſſumpta, comate ſomnolento detinebatur, ut neque ab acclamantibus Domeſticis expergiſceretur, ac in Cubili ſedens ſtupidus & immotus maneret; quem proximum eſſe apoplexiæ prædixi; nec mea me fefellit ſuſpicio, nam poſt ſeptimam morbi diem eâ extinctus eſt. Simile quid à nimio vini uſu legiſſe me recordor apud

P. Fo-

P. Foreſtum; & ſatellitem novi, qui ob continuam tabaci pulveris ac vini aſſumptionem immani phrenitide mortuus fuit; unde Poëta Italicus cecinit: *Molto Bacco e Tabacco uccide un huomo.*

## OBSERVATIO CXXXII.
## D. JOSEPHI LANZONI.
# Pleuritis ſpiritus vini potu fugata.

MIles quidam noſter Ferrarienſis, temperamenti calidi & ſicci, ætatis annor. 34. in hyemis principio valde frigido poſt exercitium violentum, ac nimium, & multos in re venerea errores, conqueri cepit de dolore ſub mamma ſiniſtra, & die ſeq. febre cum dolore, tuſſi ſicca, reſpiratione difficili, omniaque aderant ſigna quæ veram pleuritidem denotant. Urinæ autem erant veluti aqueæ. Vocatus ſtatim juſſi educi è ſiniſtro cubito ſanguinis uncias decem, oleo cucurbit. calido latus affectum inungi; pulverem etiam dent. apri, mandib. lucii &c. cum Aqua papav. rhæad. exhibui. Die quarta morbi iterum ſanguinis miſſionem celebravi in ſalvatella manus ſiniſtræ. Dolor tamen non ceſſabat, ſputa pauca erant, tuſſis moleſta, ſomnus pauciſſimus. Sexta die æger è cubili ſurgit, & cum nullum domeſticum in cubiculo obſervaſſet, arculam aperit, in qua erat vaſculum vitreum, non exigua quantitate ſpiritus vini plenum, cujus ad quantitatem libræ unius bibit, ad cubile denuo redit atque ad ſoporem ſe componit; in ſomno nonnihil delirat, ac varia incomptè loquitur; expergefactus ſudore eximio perfuſus invenitur, dolorem non amplius ſentit, ceſſant omnia ſymptomata, & ita ſeptima die liber à febre evadit. Sic multa in Praxi accidunt omnino contraria rectè curationi morborum, & ſæpe ægri erroribus ſuis, *al diſpetto de' Medici e della Medicina*, ut ipſi dicunt, ſanantur.

[*A. 1692. d. 16. Junij Ferraria Auguſtam Vind. miſſæ.*]

OBSER-

## OBSERVATIO CXXXIII.

## D. JOSEPHI LANZONI.

# Uſus Euphraſiæ in oculi caligine.

VIr quadragenarius oculorum caligine laborabat. At cum multis, & diverſis remediis fruſtra uſus fuiſſet, me tandem vocari juſſit; Imperavi ut è cephalica dextri brachii ſanguinis miſſio fieret ad ℥. x. cruoris exhauriendas, inde vinum aſſiduè bibendum euphraſia medicatum exhibui; ſicque convaluit.

Univerſa ferè Botanicorum cohors in oculorum caligine euphraſiæ uſum extollit, & vinum in quo macerata ſit hæc herba propinant; verùm cum euphraſia manifeſtè ſit calida ut ejus ſapor ſubacris indicat,ideo non omni oculorum caligini convenit, ſed tantum illam fugat, quæ à frigiditate provenit, non verò à calore, in hac enim produceret ſpirituum inopiam, & ſic officeret diſſipando; cavere ergo in tali adhibendo remedio debet Practicus, ne plus noceat ægro, quam proſit, memor ejus, quod obſervavit *Lobelius*, qui teſtatur ex trimeſtri vini euphraſiati potu, ſocium ſuum pene ambobus oculis orbatum fuiſſe, quod idem etiam confirmat *Sim. Pauli. Quadrip. botanic. Claſſ. 3. cum Theophilo Boneto in Mercur. compitalit. lib. 13.*

Hinc ergo eruditè poſt *Camerarium Hofmannus* defendit, Euphraſiam non quamvis oculorum caliginem fugare, ſed illam, quæ eſt à frigiditate; in hac enim euphraſiæ uſus tam internus quàm externus optimus eſt; Idcircò, ut paulo antè dicebam, meritò in oculi caligine fuganda adhibetur à Medicis vinum euphraſiatum, quod fit monente Clariſſ. ETTMüLLERO, infundendo ſcilicet euphraſiam in Muſtum efferveſcens, ut unà quaſi ebulliat.

## OBSERVATIO CXXXIV.
## D. JOSEPHI LANZONI.
*De*
# Vulnere Aqua Vitæ curato.

MIles quidam præſidii noſtri Ferrarienſis Annorum 32. patria Forolivenſis, vulneratus eſt ab alio milite in brachio dextro; à quo vulnere ipſe ſine ulla Chirurgi ope, aut unguentorum appoſitione, ſola Aquæ vitæ applicatione intra octo dies ſanus evaſit; Hinc me quoque legiſſe recordor in libro cui titul. *Acquiſti del Moroſini pag. 231. part. 1.* Turcas etiam vulnera ſua Aqua Vitæ curare; absque longo medicamentorum apparatu; quod ego verò tantùm feliciter accidere puto in ſimplicibus vulneribus.

### *SCHOLIUM.*

QUa ratione ſpiritus vini externè adhibitus in hæmorrhagiis ſiſtendis utilis eſſe queat, fibras nempe vaſorum conſtringendo, elegans legi meretur diſcurſus in *Ephemer. Erudit. Lipſienſ. Ann. 1683. Menſ. April. pag. 154. &c.*

*[L. Schröck, L. F.]*

## OBSERVATIO CXXXV.
## D. JOSEPHI LANZONI.
*De*
# Vagitu Uterino.

UTerinum vagitum multi annotarunt, uti *Mart. Wenrichius lib. de Monſtr. Sennertus in Prax. Andr. Libavius, Sitonus Jatroſoph. Miſcell. Thom. Bartholinus hiſt. rar. & Chriſtian. Voaterus in Miſcell. Curioſ. Ann. 1689.* Idem elapſis ego diebus obſervavi in Muliere Annorum 33. quæ ſecunda vice gravida menſe octavo, ſentiebat maximas fœtus

commotiones, poſt quas vagitus triplicatus ſecutus eſt, quem, & maritus, & ſoror ejus audivêre;

## OBSERVATIO CXXXVI.

## D. JOSEPHI LANZONI.

# De Narium hæmorrhagia ſola aqua ſimplici curata.

ADoleſcens quidam robuſtus cum in cœna largiùs bibiſſet correptus eſt immodica narium hæmorrhagia ut vires dejiceret; ad ipſam cohibendam multa adhibita fuére præſidia; verùm hoc unum profuiſſe expertus eſt, nempe aquam ſimplicem fontis frigidam per nares frequenter attractam, quà ſtatim cohibitus eſt cruoris fluxus.

Non tantùm verò narium hæmorrhagiam, verùm alias quoque ſanguinis effuſſiones cohibere poſſe aquam ſimplicem monet *Doctiſſ. Joſeph. Cignocius Florentinus Chirurgus in ſuis notis ad libr. de Ulcerib. Hippocr. pag. 21.* cujus verba hæc ſunt.

" Jo sò di certa ſcienza, che il Sigr. Franceſco Redi, che "qui nomino per apportar luſtro & onoreuolezza non ordina-"ria à queſta mia ſcrittura, sò dico di certa ſcienza, ch' egli in "alcune ſue eſperienze, che fece per rinvenire la virtù d'una "cert' aqua medicata chiara, e limpida, che gli anni adjetro ve-"niva altamenté predicata per un certo ſicuro rimedio à "guarire tuttè quante le piaghe, e tuttèle ferite, e per iſtagna-"re ſubitamente ogni più ruuinoſo fluſſo d' ſangue che dalle "vene, e dalle arterie ſgorgaſſe, ritrovo il citato Signore, & "aſſicurò con indubitabile evidenza che l' aqua ſemplice d' "Pozzo, e di Fontána di Fiume, o Piovana, produceva ime-"demi buoni effetti di guariggione, che produr ſoleva quel-"la ſopradetta tanto celebre aqua medicinale, è pure eſſo Si-

gnore

"gnore Redi adoprava l'aqua naturale non in què ſemplici "tagli di lanzeta, che ſi fanno nelle flebotomie, mà coman-"dava, che nel collo delle pecore, e de Cani fuſſe aperto un "largo, e profondiſſimo sdruſcio &c.

De hac re vid. etiam Ephemerid. Eruditorum Romæ impreſſ. Ann. 1670. & Joſeph. Zambeccar. in ſuis experiment. impreſſ. Florentiæ Anno 1680.

## *SCHOLIUM.*

EAdem Experimenta Rediana prolixè deſcripta dedit in *Exercitat. miſcell. 7. D. Caſp. Bartholinus Th. f.*

*[L. Schröck, L. F.]*

## OBSERVATIO CXXXVII.

## D. JOSEPHI LANZONI.

# Diarrhœa ſolo plantaginis ſucco curata.

NObilis quædam Mulier gracilis complexionis, quæ proxima præterita æſtate febrem tertianam duplicem experta eſt, Autumno autem adveniente, eo morbi genere perturbata eſt, in quo liquidiora excrementa, & frequentiora per alvum dejiciuntur quàm inſtituto naturæ conveniat, quæ quidem excrementa flava bile perfuſa apparebant; multa adhibita fuere remedia; verùm omnia fruſtranea; hinc muliercula nobilis patientis famula non exiguam plantaginis foliorũ copiam recipit, ſuccumq; exprimit, quem expreſſum, & depuratum manè jejuno ſtomacho aſſumendum porrigit ad uncias quatuor; & hoc per trium dierum ſpatium; A quo remedio non tantùm diarrhœa ceſſavit, verùm omninò evanuit, ac perfectè ægra ſanata evaſit; Sic de ruſtico etiam recordor, qui à Diarrhœa blioſa liberatus fuit, ſola juſculi potatione, in quô bullita fuerunt plantaginis folia.

## OBSERVATIO CXXXVIII.
## D. JOSEPHI LANZONI.
*De*
# Papillis duabus in unica mamma.

MUlierem vidi ex Romandiola Annorum 33. Lauram nuncupatam, quæ binas papillas in una tantum mamma habebat, nec multum inter ſe diſtantes; cui ſimilem obſervationem refert *Clariſſ. D. Petr. Borellus centur. 1. obſervat. medic. rar. 69. pag. mihi 55. Confer. Eph. har. Dec. I. Ann. II. Obſ. 72.*

## OBSERVATIO CXXXIX.
## D. JOSEPHI LANZONI.
# Colica bilioſa uſu aquæ frigidæ curata.

FRigidæ aquæ uſum in bilioſa colica commendat *Thom. Burnetus in ſuo theſaur. med. pract. tom. 1. lib. 3.* maximè in iis quorum vires robuſtæ, & partes principes illeſæ ſunt; ſic *Amatus cent. 1. curat. 2.* hiſtoriam notat de Muliere colica ex cauſa calida laborante, quæ ex potu aquæ frigidæ ſubitò incantamenti inſtar dolore eſt levata non amplius redeunte; Ad cujus hiſtoriæ confirmationem ſequens à me elapſa æſtate viſa obſervatio facit, de Ruſtico Annorum 40. colica bilioſa laborante, ſolo aquæ frigidæ uſu ſanato; non tantum enim frigidam intrò ſuſcepit undam, verum etiam lineum pannum aqua gelida madidum umbilici regioni feliciter admovit.

OBSER-

## OBSERVATIO CXL.
## D. JOSEPHI LANZONI.
*De*
# Uſu Chinæ Chinæ ad fugandos Vermes.

USum Chinæ Chinæ valdè proficuum ad necandos vermes eſſe, docuit jam in ſua Diſſertat. de Epidem. Anni M. DC. XC. *pag. mihi 45. n. 49. Clariſſ. Romazzinus* Medicus Mutinenſis Præſtantiſſimus, ac Amicus meus in æternum colendus; Quod idem ego bis feliciter eveniſſe obſervavi. Primò in Puero Annor. 6. magna vermium copia laborante, qui uſu Chinæ Chinæ ſaluti fuit reſtitutus; Secundò in Adoleſcentula Annor. 16. quæ per multos dies vexata eſt alvi fluxu, & nauſea, cum febre, quæ omnia à lumbricis in inteſtinis, ac ventriculo contentis naſci videbantur; Poſt varia fruſtrà adhibita medicamina, cùm jam jam ægra in ſummo vitæ periculo verſaretur; ipſi exhibui vinum chinatum, in quo ſcilicet infuſa fuerat China Chinæ; Hinc vomitus, & alvi fluxus excitati ſunt, quibus mediantibus ab ingenti vermium ſarcina, ſe feliciter liberavit, ac ſana evaſit.

## OBSERVATIO CXLI.
## D. JOSEPHI LANZONI.
*De*
# Veneris ſtimulo, ex aſſumpto Pharmaco purgante.

ASſumpta medicamina anſam veneri dare, ſcribit *Doctiſſ. Chriſtian. Frideric. Garmann. Academ. curioſ. in ſuo de Miracul. Mortuor. libro tit. XI. §. 12, pag. 105.* & de hoc cum eo mentionem faciunt *Foreſtus, Sinibaldus, & Platerus;* idem quoque confirmat ſequens hiſtoria à me nuper obſervata:

Civis eſt Ferrarienſis, qui ut à Vertiginoſo affectu ſe liberaret, pilulas Agregativ. & de Agarico à Medico præſcriptas aſſumpſit, verùm nullam ab illis ſenſit per alvum evacuationem, ſed tantummodò ſtimulos venereos, à quibus tota die divexatus eſt, adeò ut pruritum ægrè ferens, talem expertus eſt ad venerem impulſum, ut bis Uxorem compreſſerit, nec ullam quidem ſentiendo alvi ſolutionem.

## OBSERVATIO CXLII.

## D. JOSEPHI LANZONI.

## Præſervatio à calculis.

SAcerdotem noſco ſæpe calculoſam affectionem expertum, qui nunc ſanus vivit, & immunis à calculi doloribus, ob ſolum, ut ait ipſe, baccarum juniperi decorticatarum & ſingulis diebus jejuno Ventriculo deglutitarum, uſum; ſic edoctus à quodam Empirico Hiſpano.

Hoc autem remedium etiam commendatur *à Clariſſ. Nicolao Francimont à Franckenfeld in Lithotomia Medica*, aliiſque.

## OBSERVATIO CXLIII.

## D. JOSEPHI LANZONI.

## Abortus ex Teneſmo.

MUlier quædam Ferrarienſis annorum 27. uxor cujuſdam Fabri Lignarii, duorum filiorum mater, gravida, jam quintum tangebat menſem tertiæ ſuæ prægnationis, cum aſſidua, crudeli, & præacerba deſidendi cupiditate, eaque fruſtranea affecta eſt, quæ ſeptem dierum ſpatio perduravit, eique ſucceſſit Abortus cum doloribus maximis; quod etiam monuit *Hippocrates* in aphoriſm. dum ſcripſit *Mulieri utero gerenti, ſi crebra, & inanis deſidendi voluntas acceſſerit, abortum facit*; idemque confirmat *Paul. Zachias*

*chias lib. 1. quæſt. Med. Legal.* Hinc docemur abſtinere nos debere in curandis Gravidis à purgantibus remediis, faciliter enim ex his abortus cauſari poteſt, quemadmodum ex teneſmo accidit.

## OBSERVATIO CXLIV.
## D. JOSEPHI LANZONI.
## Lac in Infante.

IN Infantulis recenter natis ex uberibus Lac effluxiſſe ait *Clariſſ. Jo. de Muralto Medicus Famigeratiſſimus Academ. Curioſ. atque Patronus, & Amicus meus magnus, in ſuo Vade mec. Anatom. pag. 15.* Quod quoque nuper mihi confirmavit Obſtetrix quædam noſtra, quæ faſſa eſt, ſe bis vidiſſe, infantes recenter editos exiguam Lactis quantitatem ex uberibus emittentes; Non ergo Mulieres tantum ſunt lactantes, ſed, & Pueri, & Viri; qua de re vid. *Borell. Cardan. Alex. Benedict. meæ Animadverſiones &c.*

## OBSERVATIO CXLV.
## D. JOSEPHI LANZONI.
## Dolor capitis à ſolo odore ſulfuris.

DE Generoſo quodam ſexagenario refert *Clariſſ: Nathan. Highmorus in exercit. de affectione hyſterica,* qui ex moſchi, & ambræ, aut hujusmodi, vel levi odore, ſtatim de dolore capitis inſigni conquerebatur; Egoque obſervavi elapſis diebus in muliere capitis dolorem ex ſolo ſulfuris odore oriri, quæ poſtea mihi faſſa eſt, ſe ſemper ex tali odore capitis dolorem perſentire, at æſtatis tempore vehementiorem.

*[Ferrariâ Noribergam d. 8. Maji, A. 1692. miſſæ.]*

OBSER-

## OBSERVATIO CXLVI.
## D. JOSEPHI LANZONI.
*De*
# Remedio ad Tremorem.

AD Tremorem egregiè conferre urinam propriam ait Petrus Foreſtus in Schol. obſ. 5. lib. 8. referente & confirmante Thom. Burneto in Theſauro med. pract. lib. 17. ſect. 14. quod remedium optimum eſſe notavi ego elapſis diebus in famulo cujusdam Civis Ferrarienſis magno correpto tremore, ex nimia Venere nato; Ruſticumque olim vidiſſe me recordor, qui tremores partium corporis humani curabat applicatione urinæ pueri calidæ; imò tantam eſſe putabat hic ruſticus urinæ pueri virtutem, ut eam poſſe hydropem ſanare crederet; quocirca ruſtico aſcitico ter calentem urinam infantis propinavit, verùm fruſtrà, paucos enim poſt dies hydropicus mortuus eſt, licet nauſeabundam hanc ingurgitaverit potionem, oſtendendo, quid non mortalia pectora cogat ſpes quoque vana ſalutis.

*[Ferrariâ Auguſtam Vind. d. 28. Maji 1692. miſſa.]*

*SCHOLIUM.*

QUamvis Ruſtici hujus ſpem in prædicto aſcitico urinæ uſus deſtituerit, id quod ob varias cauſas probatiſſimis etiam reliquis antihydropicis medicamentis aliquando accidere nemo ignorat, poſſe tamen hydropi interdum mederi, dum ſalinis ſuis volatilibus particulis penetrando, ſeri viſciditatem & ſtagnationem reſolvere, illudque per urinarias vias educere apta eſt, rationi non eſt contrarium. Quin & antiquitus jam hujus uſus *Dioſcoridi* notus fuit, qui *lib. 2. de mat. med. cap. 74.* humanam urinam contra incipientem aquam intercutem prodeſſe ſcripſit, *& Petrus Hiſpanus in lib. Theſaur. pauper. cap. de hydr.* urinam propriam multum juvare ex quodam Gilberto innuit; ſic quoque *Joh. Anglicus in prax med.*

*p. m.*

*p. m. 417.* ſi patiens pauper fuerit, eundem quotidiè manè urinâ propriâ uti debere conſulit. Et curam hanc feliciter quibusdam ceſſiſſe, *Guil. Fabricius Hildanus cent. 3. Obſerv. chirurg. 51.* nec non *Jacob. Theodorus Tabernæmontanus lib. 1. thes. aquar. cap. 8.* teſtantur.

[*L. Schröck, L. F.*]

## OBSERVATIO CXLVII.
## D. JOSEPHI M. ZAMPERII.
# Magna hæmorrhagia narium curata.

JAm diù decumbebat ſeptuagenarius Vir febre tertiana duplici, ac lenta correptus, variisq; remediis parùm appropriatis à juveni Medico quotidiè, ſed incaſsùm onerabatur. Aderant tenſiones, ac dolores in Hypochondriis, vigiliæ urgebant, nec non immanis cephalæa modò ſiniſtram capitis partem, modò ſyncipuc, modò occiput afficiebat. His ſupervenit elapſis duobus menſibus larga narium hæmorrhagia, quæ per integrum diem, & ampliùs emanabat; ſed Medicus aſſiſtens inconſultò illi modum afferre non dubitavit, & proptereà phlebotomiam in manu præſcripſit, ſuaque medicamenta incraſſantia adhibuit. Morbo deindè invaleſcente accerſitus ego fui, ubi percepta ſymptomatum ſyndrome, morbique progreſſu, tùm præterita, cùm præſentia ſedulò conſideravi locumque eſſe dubitandi, an dicta hæmorrhagia narium vera ac legitima criſis dicenda foret, velut quidam Naturæ motus objectum morboſum expellentis, an pro ſymptomatica habenda eſſet, quaſi motus eſſet objecti peccantis copia, aliovè modo Naturam irritantis: verùm cum invenirem Patientem longo licèt morbo confectum ſatis viribus conſtare, pulſus plenus eſſet, ac durus, pariter urinæ coctionis ſigna patefacerent, facilè inducere in animum potui, quod illa hæmorrhagia ad legitimam criſim referenda foret, quodque à præpollenti tantùm, non devicta morbo Natura ſequuta eſ-

ſet; unde ſpe ſalutis concepta curationem meam dirigebam, ut illum Naturæ motum adjuvarem: neque enim ætas Patientis mihi timorem incutere poterat, quòd ſcilicet ſenex ille in hocce ſanguinis è naribus profluvio ſpiritum ſimul emitteret, occurrebat ſiquidem menti Celſi dogma, à quo ſenes robuſtos tutò phlebotomizari obſervatum fuit. Sed quo remedio uſus ſum? Legeram Hippocratem in ſimili prorsùs caſu Methoni caput aqua tepida lavaſſe, indeque ſanguine uberiùs è naribus effluente ægrum brevi ſanitati reſtituiſſe. Id ego periculum facere volui, & ſanè votis meis correſpondit; namque dolorem capitis evaneſcere, vigilias remittere, ac unà adhibitis aliis remediis obſtructiones, ventris ſenſim reſolvi, nec non febrem mitigari obſervatum eſt.

[*A. 1692. d. 16. Junii Auguſtam Vind. allata.*]

## OBSERVATIO CXLVIII.

## D. GEORGII HANNÆI.

# Lepuſculus, in Alvo Matris petrefactus.

DAri varias in Regno Vegetabili ſpecies, quæ aliquandò in lapideam abierunt duritiem, notum jam pridem fecit Beatiſſimus Sachſius, in ſua doctiſſima Epiſtola, de Miranda Lapidum Natura. Recenſet, inter Scotiæ rariora, Experientiſſimus Sibbaldus, Lignum petrifactum, & Lapidem Muſciformem, Scotiæ Illuſt. Part. 2. Lib. IV. Cap. 2. p. m 46. Utrumque Cimelium mea ſervat Phyſicotheca, imò, quod præponderat, monſtrare poſſum veriſſimum Muſcum, jam lapidem factum omnimodè, niſi quod in altera parte ſuperficiei ſuæ adhuc dum molliculâ, & planè herbidi coloris ſuperbiat portiuncula. Vidi quoque Pyrum, in lapidem converſum, cujus petioli dimidia pars, & quidem extrema, vegeta adhuc erat atque fiſſilis, rigeſcente licet, cum ipſo Pyro, ſuperiore ſui parte media. At rarius eſt hoc,

in Regno Animali, phænomenon, & pauciſſimis modò confirmatum exemplis. Dabit tamen hæc mea Patria geminum, hac ſcena dignum, ludibundæ Naturæ opificium.

Capiebatur Annô Superiore, in venatu, Lepus, pulpamentum daturus, ſed pedum velocitate ſupra modum pollens. E ventre fiſſo confeſtim protractus eſt, unà cum exenteratis viſceribus, Catulus Leporinus, ſiliceus planiſſimè, & tantæ magnitudinis, quantam vix abſolviſſet, ſi duos menſes extra clauſtra vixiſſet materna. Obſtupuit Venator ad obtutum inſolitum, atque novum heic mimum daturus Anatomicum, ſaxo impoſitum Lepuſculum ferreo quodam comminuebat volgiolo, ferociâ tanta, ut ſpargerentur per campum membra diſtracta. Sic lapis ſuper lapidem confractus! Ego hanc victimam lapideam, incudi ſubductam, Aurô redemiſſem; ſi flectere temporiùs potuiſſem nimium feſtinantes hujus Popæ manus, gratuitò malas.

Sic retinent ſæpè Partus remoræ inuſitatiores, infelicium nodorum callidiſſimè celantes nexus! cujus rei & novum documentum dabit ſecutura Obſervatio.

## OBSERVATIO CXLIX.
## D. GEORGII HANNÆI.
# Uterus Ovis, lapideſcens.

NE pigeat nos itineris, ſi Ovile ingredimur Ovem viſuri, quam fœtam noverat Opilio, ſed parientem vidit nunquam. Dederat hæc certiſſima graviditatis indicia, at partus tempus tranſiliit levipes, quaſi aliud aliquid actura, ringentibus veterinariis omnibus, & quid de ipſa futurum eſſet neſcientibus. Trahitur poſt menſem menſis, ſine ullo pinguitudinis, nedum ſanitatis, diſpendio. interea præter exſpectatum impinguit ita, ut inhabilis crederetur ad ſuſtinendum injurias Hyemis, dignior quæ co-

quin.rum in cenſum veniret. Sic ſuæ ſorti relinquebatur Ovis, donec mactatori in prædam cederet, tanto inſpiciendi ventrem ardore detento, ut apud ſe vix eſſe videretur. Haud benè palpitare deſierant mactatæ præcordia, antequam Extiſpicinæ huic intentus lanio obſervat ſiniſtro Hypogaſtrii lateri adhærentem, prout ille ſuſpicabatur, Tumorem cyſticum, prout autem revera erat, Uterum ipſiſſimum, lævem equidem, ſed ſaxeum adeò, ut quosvis cultros hebetaret facillimè, Næviana cote obfirmatior longè. Tandem in auxilium evocabatur ſecuris, ad cujus repetitos, ut id reſonaret, inflictus, prodiit in conſpectum Agnellus albus, mortuus quidem, ſed omni vel tenuiſſima putredinis, ſive urgentis, ſive imminentis, ſuſpicione ſe exſolvens. Utrum in eandem, quod veriſimile eſt, lapideam duritiem, cum Continente converſum fuerit hocce Contentum, (ut cum Philoſophis loquar,) nec ne; ignorare cogor: cum, non ſine inſigni indignatione, apud me conqueſtus fuerit ejusdem Ovis poſſeſſor, idemque Muſarum cultor indefeſſus, abſente ſe hanc actam fuiſſe Comœdiam, nec citiùs hoc Oſtento ignaros ſuos oculos paviſſe Corydones, quàm in fimetum merſiſſent Agnellum, Muſeo digniſſimum.

## OBSERVATIO CL.
## D. GEORGII HANNÆI.
# Vomitus ſtercoreus, ſine diuturna præcedente, aut ſequente inexorabili, Obſtructione alvina.

INter illa mala quæ inteſtinis humanis ſua tyrannide incumbunt gravia, nullum crudelius eſt Paſſione Iliaca, non de nihilo dicta, Miſerere mei! tot enim ſymptomatibus comitata incedit hæc Furia, potiſſimùm inferioris gutturis occluſione irreſolubili, ſuperiorisque eructatione abomi-

rabili

nabili; ut triplici ære munita habiturus ſit præcordia, cui horrorem non injiciat tam ferale Gymnaſium Morboniæ. Litigent inter ſe Medici de Cauſa χορδάψε proximiore, & litem ſub Judice, in bivio ac trivio, quod dicitur, conſtituto, relinquant! ego, quod mihi in Heroina Nobiliſſima obſervare contigit, bona fide memorabo.

Hæc, Annis quinquagenis major, parùm providè ſuum in Diæta curans Ventriculum, tandem proſtratîs ſenſim viribus, ab Humoribus Pituitoſis in Femoris dextri depluentibus mæandris, lecto affigebatur. Interea diſparet Appetitus, urget Sitis, frigent externa membra, Venter quotidie ſe exonerat liberaliùs. In hoc cardine verſabantur ipſius res, per aliquot ſeptimanas; donec juſtò obſtinatior factus Ventriculus cœpiſſet non modò cibum potumque faſtidire, verùm & aſſumpta actutum revomere. Poſt hæc præludia urgebant per octiduum enormia ventris tormina, quæ tamen, ut potuit, pertulit, levamen promittente Alvo ſat obſequibili, licet ne tantillum præſtante, ferociusque inſtantibus Femoris doloribus. Dum jam deliberare videbantur Fata, quid de ægrota decernerent; ſenſit cum Femore tranſigi, ſibique de Induciis pactis non modò gratulari abundè cœpit, ſed & venturam commodùm Pacem ſalutiferam hinc interpretari firmiſſimè. At citò periit hoc gaudium! cum ab eo tempore obſervaret ſedem ignavam, ſuique immemorem officii. Proximo die, qui 24. Septembris erat, Anni M. DC. XCI, Patroclianas bis ſollicitabat ſellas, ſarcinam deoneratura, verùm, moleſtiùs longè, quàm feliciùs, intus quippe ſæviens Æolus, obſervans occluſam ſibi iſtam corporis partem, quâ loqui ſolitus fuerat faciliùs, raptas ſecum eluvies Ventris per poſticam portam everrendas, quaſi renitente alveo, per anticam egeſſit januam, non una, ſed gemina, vice. Tunc primùm ego vocabar! ſed, aliorum diſtractus ægrotorum curationibus, venire non potui, ante diem tertium. Interea canebatur aliquoties idem melos tragicum, haudquaquam ſuaviore modulamine. Quanto gau-

dio me exceperit triſtiſſimam ſuam ſortem deplorans Heroina, & ſingula ordine enarrans, literis ſignare non poſſum: doluit autem inprimis, poſt Vomitus abominabiles, moleſtiam faucium, quas Odor Saporque mephiticus indeſinenter & exaſperabat, & inquietabat. Cum jam per quatriduum immane quantum obmutuiſſet ſeſſilis iſta pars corporis, quam Natura elinguem voluit; vocalem eandem reddere conatus ſum, Clyſtere ex Oleo Lini, per Ancillam applicato, nec mora! affatim ſermocinari incipiens, copioſo divæ Cloacinæ parentabat proluvio. Mox Gargariſatione conveniente adjutis Tonſillis, Stomacho, Lictibus atque Emplaſtro ferruminante, ſuccurrens, millenas ab ægrota retuli gratias. Poſtero die, conveniente Cathartico, Auro Fulminante (cujus admirandam opem in Colica conſummatiſſima aliquoties expertus ſum,) ſtimulato, excutiebam Ilia, odioſiſſimam amoliturus humoris obſcœni ruminationem. Quod exſpectabam, aſſecutus fuiſſem, ſingularem præ ſe ferentibus Inteſtinis Modeſtiam, jam penè exorato Ventriculô! ni fraudi fuiſſet deſidioſiſſimus, in ſpecula inferiore conſtitutus, janitor, in commune non conſulens; licet novo vel excitatus, vel commitigatus, injecti Olei unguine, requiſita Naturæ per ſuos, ſine naulo, transmiſerit poſtes, quibus reddi ciborum onera maximè ſalubre eſt. Neque tamen ab eo tempore ſursùm unquam tetenderunt ſordidiora inquinamenta; ſed, quoties memoratô prolectarentur Enemate, ſonuerunt deorsùm. Mirum! Nulla heic aderat, ſive longiùs protracta, ſive peſſulo irreduci obducta, Obſtructio; quibûs bigîs funeſtis rapi aliàs ad hunc carnificem conſueverunt tam truculentæ ſortis Candidati. Mihi veriſimile eſt, Humores acido-acres, Femori antea moleſtos, ad Muſculos Ani clanculum non ſurrepſiſſe modò, ſed & eosdem inauſpicatò quaſi contabulaſſe; unde ita inverſus eſt Naturalis Inteſtinorum Motus, Periſtalticus dictus, ut fœtida atque immunda effuſa, Cancrorum æmulantia greſſus, Os, ſuis ingratiis, rejectare coactum fuerit. Vixiſſet hactenus,

nus, ni vires prorſus collapſæ fuiſſent, verùm ab his deſtituta, rebus humanis ſe brevi poſt eripuit.

## OBSERVATIO CLI.
## D. GEORGII HANNÆI.
# Aquula, curata.

SEmel tantùm obſervare mihi contigit illam (non quidem leviculam & citò evaneſcentem, ſed benè & gnaviter conſummatam,) Palpebrarum Intemperiem humidam, Aquulam Latinis, Græcis Ὑδάτιδα, nuncupatam; quâ ita deprimitur intumeſcens Palpebra Superior, ab incumbente humore ſeroſo, ut attolli nequaquam poſſit. En miſſam in compendium Hiſtoriam! Cephalalgiâ corripiebatur Vir juvenis & ſatis robuſtus, quæ ipſum aliquot dies vexabat egregiè. Hâc diſcedente, acceſſit Tumor Superioris Palpebræ Oculi dextri, quem ſponte diſperiturum, ſibi promiſit. Dum autem brevi ſe ſubducturum Tumorem ſomniat, augetur quotidie incrementô tantô ut magnitudine infauſta, impenſiusque rubente, Ovum gallinaceum non æquaret modò, ſed ſuperaret. Sic elapſo ſeſquimenſe, ad me confugit mœſtus, & Oculo peſſimè affecto timens, mihique (ſi in re tam ſeria jocari liceat,) luſtrandum offerens.

Monſtrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum; non enim disjunxerat tantummodò Oculorum Concordiam (quâ conjungitur amborum luminum viſus,) tumens horrendum in modum Palpebra, rupturam minitata; ſed & metum augebat per angulum Oculi utrumque exſudans pus, adeò acre, ut genam exulceraret.

Ego ab hoc Purgante, ſaturitatem quinquies everrente, Curationem exorſus, (℞. Pulver. Jalap. ſcrup. 1. Antim. Diaphor. gran. jv. M. è veſiculis, pone Aurem Cantharidibus excitatis, lympham extraxi copioſam. Tandemque hoc ἐν θέματι, vino incoctum, Oculo Frontique applicandum curavi:

ravi: ℞. Herb. Roriſmarin. M. ij. Melilot. Roſar. rubr. Furfur. Tritic. aa. M. j. Flor. Anthos, Pugill. iij. Betonic. Chamomill. Salvi. Stœchad. aa. P. j. Miſc. Nobilitabat hoc Epithema ſperatus eventus! cujus divinos effectus, in abſorbendo commodiſſimè variorum membrorum Tumores Hydropicos, ipſe cum voluptate, non ſine tripudio afflictorum, aliquoties expertus ſum.

## OBSERVATIO CLII.
## D. GEORGII HANNÆI.
# Inſomnium, Mortem accelerans.

QUantas valeant ciere turbas Res Non-Naturales dictæ Medentibus (quod mediæ quaſi ſint inter Naturales, ſeu conſtituentes, & Præter-naturales, ſeu Deſtruentes,) quales ſunt: Aêr, Cibus & Potus, Motus & Quies, Excreta & Retenta, Somnus & Vigilia, Pathemata Animi; heic recenſere non convenit, egi quippe de his fuſiùs in meæ Aphonologiæ Cap. III. Nunc meas ad ſe pellicit curas Inſomnium, modò ſuave dormientium delirium, modò grave eorundem deliquium. Quod homines per quietem ſæpe macerent Inſomnia, ad laſſitudinem usque, cognitiſſimum eſt omnibus; quod verò Fati diem occupaverint Inſomnia, ne milleſimus quisque obſervavit unquam. Cùm autem huc quadrans exemplum adduxerit noviſſimè Illuſtris & Experientiſſ. Dn. D. PAULLINI, grande Amicorum meorum *Decus*, *Ephemer. noſtr. Decur. II. An. IX. p. 356* non ingratum futurum ſpero, ſi & ego heic memoravero, quod me non ita pridem docuit Praxis.

Subcenturio, Virtute & Genere Nobilis, ſed Famam ac Fidem ſanctiùs, quam Sanitatem, conſervans, lentè flacceſcere cœpit, donec lecto teneri neceſſe haberet planiſſimè langueſcens, ab Appetitu, à Somno, à Viribus omnibus deſti-

tutus.

tutus. Sopiebam nihilominus hæc litigia, Divâ ægroto patrocinante Hygieiâ, modò parciùs non diſpenſaſſet Vires collapſas. Poſt trium ſeptimanarum decubitum, bellè redire ad ſe videbatur, verùm, circa veſperam diei 29. Januar. obdormiens ſomniabat, ſe, cum quodam hoſtiliter congredientem, non modò latera adverſarii ſuo hauſiſſe mucrone, ſed & fodicaſſe Ilia, prorſusque è vivorum expuliſſe eundem conſortio. Evigilans, feralem queſtus eſt & Animi & Corporis laſſitudinem, exitium ſibi imminere certiſſimum prædicens, ſtatimque Amicorum cuidam turbas haſce ordine enarrans, (non ut per ſomnum ipſi hæc obverſata fuiſſent, ſed quaſi re vera ita geſta eſſent omnia, præſidium ipſius imploravit. Cùm autem ille vanitatem tumultuoſi hujus Somnii eluderet; (quaſi comprobaturus Gallorum illud: Songes ſont menſonges.) Hic, ſe proditum planiſſimè clamitans, iteratis gemitibus tulit aſperrimè, HANNÆUM, cui ſuam, poſt Deum, Sanitatem debuit, ſibi, fugâ ſalutem jam quæſituro, ereptum iri, ni ipſemet carceris incola fieri mallet! Hoc ubi obſervaſſet ſtupefactus Amicus, promptiſſimam ſuam operam ſimulatè condixit, & latebras apud ſe tutiſſimas. Traxit ita noctem moleſtiſſimam, haudquaquam cum umbra ſua luctari deſinens, donec ego, ſub Auroram ſequentis diei accerſitus, monerem ipſum ad extremam, nullique evitandam properare metam, cui & ipſum adſtituit hora nona veſpertina. Id quod, ante biduum, nemo noſtrûm cogitaverat.

## OBSERVATIO CLIII.

## D. GEORGII HANNÆI.

# Aurum Fulminans, ſine igne accenſum.

CAutè tractari, propinari cautiùs debent Medicamenta Chemica; ni in illos malis incidere errores, quorum non erit niſi probroſa peccanti, ipſique, qui ſe tandem ſen-

ſerit, periiſſe, prorſus inutilis, pœnitentia. Leniſſimè exſiccari debere Aurum Fulminans, nuper præparatum, norunt pulcherrimè per ignem Philoſophi; aliàs enim horribili ſe ſtrepitu ulciſcitur, & obvia quævis cum adſtantium proſternit periculo. Addo æquè circumſpectè comminui debet, in tenuiſſimum redigendum Alkohol, quod meo non ita pridem didici periculo. Parabam ægroto Medicinam, cui aliquot Auri Fulminantis grana addere placuit. Dum autem eſſet in mora periculum, nudum Solem fulmineum, aliis poſtea addendum, trivi in mortario vitreo, qua par erat alacritate, ut eò citiùs in pulviſculum fatiſceret. Sed ecce! cum attritu rapidiſſimo, præter exſpectatum, incaluiſſet Phœbus, ignem concipiens Sulphur ſolare (ſtimulantibus ſimul ſolventis Acidi Nitroſi, & præcipitantis Salſi Tartarei particulis adſcititiis,) non ſolummodò mortarium, unà cum piſtillo, inter meas manus attrivit minutiſſimè, ſed & tam horrendo fragore detonuit, ut perſonaret eodem tota domus, mugientibus parietibus, ac reboantibus feneſtris. Non levi certè aut vano documento demonſtrat fortuitum hoc Experimentum, quomodo concitentur in Nubibus & Fulmina & Tonitrua, ubi, ſcilicet, Motus velocior, mutuo preſſu atque attritu compactas, Exhalationum particulas Sulphureo-Tartareo-Nitroſás, incenderit; unde in ſe agentes non poſſunt non ferocire actutum, ſuique genii diverſitatem, reſonîs mugitibus, efferveſcendô teſtari.

*[Othiniâ Noribergam d. 29. Maji 1692. miſſæ.]*

OBSER-

BRITISH MUSEUM
NATURAL HISTORY


Fig. 21.
p. 243.
Fig. 19.
p. 190.
Fig. 20.
p. 192.
Fig. 18.
p. 190.
Operculum deglutitum.

Dec. II

## OBSERVATIO CLIV.
## D. ADAMI à LEBENWALDT.
# Folia Alni ſerpentum charactere tincta.

ANte annum circiter in inferiori Styria pluvia vehemens cadens, omnia folia in integra alnorum ſylvula, tinxit ſerpentum charactere, ut in delineatione hîc videre eſt; paulò poſt maleficus captus in omni magiæ genere exercitatus, qui faſſus eſt ſe hanc pluviam cum magiſtro ſuo cacodæmone produxiſſe, eum in finem, ut peſtis ſerpentifero veneno ferox & ferax in vicinis territoriis oriretur; DEUS tamen hoc malum impedivit, & maleficus rogo adjudicatus fuit. Fig. XXI.

## OBSERVATIO CLV.
## D ADAMI à LEBENWALDT.
# Mirabilis Diabetes.

PUer 16. annorum, Sartoris filius, cum parente celeri greſſu aliquot milliaria peragrans, in æſtate, tam ingentem ſitim incurrit, ut obvium quemcunque rivum ſitibundo ore aggreſſus, hauſerit aquam copioſiſſimam, quæ tamen ſtatim ad mare microcoſmicum derivata per canalem urinarium foras amandata fuit; quod negotium durabat per aliquot ſeptimanas diu noctuque, ita ut aliquando una nocte quindecim menſuras frigidæ eminxerit, quamprimum ingeſta fuiſſet, ſitim tamen non levabat; imò tantus ardor aliquando in pectore ortus, ut appoſitâ nive & glacie pro refrigerio opus habuerit. An hæc aquæ copia per ſolitas circulantis ſanguinis vias ad veſicam delata fuerit, valdè dubito; cur enim cor non fuit refrigeratum in illius tranſitu? Curavi illum per adſtringentia & ſitim extingentia.

[*Leobio Auguſtam Vind. d. 21. Junii A. 1692. miſſæ.*]

# OBSERVATIO CLVI.
## D. PHILIPPI JACOBI HARTMANNI.
## Oſcheo-didymo-hydro-ſarco-cele.

A*Nn. M. DC. LXXXIX. M. Jun.* Vir clarè doctus, Mathematicus ſtudiis invigilans, ante annum noctu aſtra ſpeculatus, in lectum ubi ſe recipit, alterum teſticulum allidit, doloremque manu demulcens, ſomno corripitur; ſequenti die blando contactu manûs inſurgentem dolorem denuò compeſcit; atque ubi dolor tolerabilior aſſuetudine obvenit, præ verecundia malè occultans morbum, fecit ut teſticulus oblæſus in magnitudinem capitis excreſceret: Tunc demum me accedens medicum conſilium rogavit. Judicavi non niſi chirurgicâ ope huic malo conſuli poſſe: ægrè aſſenſus eſt, & ab extirpatione primum abhorruit: Tentavit Chirurgus Emplaſtris Mercurialibus, inciſioni itidem ac putrefactioni an tumor eſſet conceſſurus; ſed fruſtra fuit: aliquot patellas quidem ſerum ex inciſo ſcroto impleverat, aſt nullo notabili tumoris decremento. Languere interea æger animo, atque mœrore contabeſcere, lentâ febriculâ vires conficiente. Unicam itaque in extirpando teſticulo ſpem illamque dubiam adhuc ſupereſſe, mecum Exc. D. Lepnerus & Chirurgi obteſtati ſunt. Confugit itaque ad hanc ſacram anchoram. Operatio feliciter peracta, neque niſi ad ligaturam ſupra Epididymidem indoluit, vaſis oblongis quibus facilè vincula erat injicere, exiguâ ſanguinis jacturâ. Inciſum ſcrotum magnam vim aquæ effudit, tumorque infra mediam quantitatem molis ſubſedit. *Teſticulus extirpatus duabus* integris *tunicis* erat involutus: *Altera*, propria, glabra erat, nullibi connexa, ut citra ullam difficultatem aut lacerationem cum ipſa, tanquam è vagina, teſticulus educeretur, craſſitie ad anatis pennam accedente: Craſſior erat *elythroides*, interiori facie lævi, exteriori verò aſperâ, & laciniis hinc inde conſutâ,

in qui-

in quibus puto aqua ſtagnavit. *Caput teſticuli*, quo epididymidi annectitur, avellanæ magnitudine, ſanguinolentum erat. *Subſtantia teſticuli* purulenta per omnia, alibi tamen duriùs, alicubi molliùs pure concreto: in cartilaginem nullibi abierat, utut anno 1679. Pariſiis totum cartilagineum à contuſione ex auriga exectum teſticulum viderim: *Ovum ſtruthionis* modicum & ille & hic noſter æquabat. Cæterum utut æger urinam liberè redderet, & omnis dolor ſextâ ab operatione horâ ceſſaret, viribus tamen proſtratis, æſtuque invaleſcente, atque animi inquietudine urgente, fatis poſt aliquot dies placidè conceſſit.

## Uſus ex Oſcheo-didymo-hydro-ſarco-cele.

I. Chirurgorum *ἀπαιδευσία in cumulandis ſpeciebus* morborum meritò notatur. *Quoad Hernias* hoc exemplum docet, ex loci & materiæ contentæ ratione ipſas rectè diſtingui. Ita in Noſtro ratione loci, quoad Scrotum dicenda Oſcheocele; quoad teſticulum vero didymocele: ratione materiæ, ob aquam in Scroto hydrocele; ob pus concretum in teſticulo ſarcocele; ad ſarcocelen enim purulentam & cartilagineam conſtipationem referendam cenſeo.

II. *Cur in quibusdam Regionibus operationes Chirurgicæ felicius*, in aliis minus ſuccedant, non in aëris benignitatem aut injuriam, nec in Chirurgorum peritiam imperitiamve æquè rejiciendum puto, ac in ægrorum & aſſiſtentium perverſos mores. In Helvetia, Gallia, &c. ad extirpationes membrorum, exciſiones fœtuum, minimè ægri & aſſiſtentes exhorrent, quæ remedia in Pruſſia morte graviora vulgò judicantur; unde rariſſimè in tempore ad eas venire datur, quod tamen rerum omnium eſt primum; illumque errorem non pauci vitæ jacturâ luunt.

# OBSERVATIO CLVII.
## D. PHILIPPI JACOBI HARTMANNI.
## Abortus & Molæ.

SÆpius Matronas de abortu conqueſtas contigit, aſt incuriâ Obſtetricum adſtantiumve evenit, ut conjecturis ſolum locus fuerit relictus, quum excreta aut abjecta aut corrupta temerè deprehenderim: Quare quæ proprio obtutu & experimento dignovi paucis conſignabo. Aliquoties *molæ carneæ* mihi exhibitæ fuerunt, quas imperitæ mulierculæ fœtibus deputarant, cultro anatomico autem ſubjectæ, concretum polypoſum, in carneum aut gelatinoſum vergentem, ſanguinem demonſtrarunt; quin ſalvo fœtu iſtiusmodi molas excretas memini; in aliis tamen prægnatio irrita ab excretione talium animadverſa. Aliquando verò *molæ veſiculares* oblatæ, aliis aquâ adhuc diſtentis ac integris, aliis exinanitis & diruptis. Quondam me bona fortuna duxit, ut ſtatim ab abortu advocarer & adeſſem, atque in mola tali veſiculari cum chorio, amnio, & placenta, *omnia nativitatis noſtræ rudimenta* integra accepi; quæ etiamnum Curioſis Spectatoribus intuenda ſiſto, ut oſtendam, quàm ab intemerato hoc autographo *Cl. Kerckringii* exemplaria *in Anthropogenia* longiſſimè abludant: hiſtoriam & delineationem *Tractatui de generatione Viviparorum ex ovo* ſervo. *Ad Veſiculares* autem *molas illuſtrandas* ſequens Obſervatio facit; *An. 1689. M. Jun.* Maritus novè nuptæ *geminas molas veſiculares* afferebat, *alteram* ruptam, *alteram* integram: *In dirupta*, quam per omnia integræ ſimilem affirmabat, fruſtra fœtum indagavi, contrectata enim manibus plurium lacerataq; erat: *integram* itaque majori cura aggrediens, adverto *craſſiorem partem eminentioremque* ſugillatam, cruore quaſi in ſuperficie adhærente; conjecique ex obtuſo acumine minori Uteri collo hanc partem fuiſſe propiùs annexam: Inciſo acumine *aqua* effluebat,

bat, qualem ex alterâ Veſiculari mola effluxiſſe Maritus oculatus teſtis aſſerebat; ego intentis oculis omnia luſtrans, in oppoſito fundo mucoſum quidpiam adverto, quod ubi blandè diduco, apparuit *filum*, *ex quo mucoſum corpuſculum* dependebat; aquæ hinc adminiculo *articulata fœtûs membra*, prout Natura primas lineas ducere ſuevit, adumbrata diſcerno: *Cranium* veſiculare erat perforatum, *facies* compreſſa, *collum* prolongatum; quippe quod non ſpontè excreta, ſed vi manuum obſtetricantium hæc mola educta, & per diem neglecta fuerat. *Hiatus* tamen *oris*, & *naſi clivus* lineis, *oculi* punctis, erant notabiles: *bregma*, veſicæ lacinia arguebat: *artus* adſtricti erant trunco, *ut quadrupes videretur; per abdomen inteſtina tranſparebant*; *penis* indicium apex ad funiculum excurrens præbebat: erat autem *funiculus umbilicalis* tenuis fili craſſitie: *oſſis coccygis* memorabilis *eminentia*, ut caudatus compareret, ſervo adhuc liquore conditum corpuſculum capite minutum. *Altero die* demum *ab Abortiente* laceræ quædam particulæ in lucem prodierunt, ſuccedente ſanguinis profluvio; quas quidem *partes chorii & placentæ rudioris* fuiſſe arbitror: Siquidem in veſiculari noſtra mola *nulla ſigna cotyledonum*, quibus rudimenta placentæ humanæ exſurgere ſuperioris abortûs hiſtoria docebit: *tunica craſſa*, ut divellendo geminam experirer, quamvis multis fibris arctè ſibi invicem eſſent connexæ, ut intimioris aſpera ſuperficies pateret. *Eadem Matrona* primis à Nuptiis menſibus itidem *molam veſicularem* ejiciebat, quam pariter incidi; verum pura aqua exibat, *minimo muco albo* intus ſubſidente, ex quo tunc temporis nulla fœtûs articulati indicia in conſpectum prodiêre.

## Uſus ex Abortibus & Molis.

I. *Ovi nomine* iſtiusmodi veſiculares molas vulgò dictas venire poſſe non nego; revera ſunt tunicæ cum liquore & embryo: Idque *Veſiculas ejusmodi aquâ repletas prægnationem arguere* autumo:

II. Li-

II. Licet enim in altero ovo corpus embryi diſtinguere non valuerim, fortè cauſa ſubfuerit, quod *primum rudimentum fœtûs* ſit *quaſi mucoſum aut gelatinoſum*, uti in forda obſervavi: Atque ovum hoc ad magnitudinem *ſecundæ Fig. ap. Cl. Kerckr.* accedebat. Tempus autem conceptionis Maritus divinare nequibat, quum incertum, quis primus novè nuptorum congreſſus prolificus.

III. Noſtrum embryon longius illo *Fig. IV. ap. Cl. Kerckring.* & alterum, cujus hiſtoriam necdum edo, *Fig. V.* longitudinem æquat: *In neutro* tamen *pedum talis eſt ſitus, ut erectum animal hominem oſtenderent*, ſed uti *in Fig. III. Cl. Kerckr.* manus inſtar appendicum thoraci, ita pedes curti loborum inſtar abdomini obliquè ſunt adnexi, ut *quadrupedis figuram ambo repræſentent*, *capite* itidem in altero, quod integrum ſervo, *in pectus prono.*

IV. Rudimenta generationis; Nihil ſimul cœpit & perfectum eſt: an ex illo *ſucceſſiva generatio*?

V. *Molas* concreti ſanguinis *polypoſas*, *ſalvâ prægnatione excerni poſſe.*

## OBSERVATIO CLVIII.

## D. PHILIPPI JACOBI HARTMANNI.

## Pueri ferâ tuſſi laborantis viſcera.

QUinquennis erat, atque per errorem diætæ, quum frigido aëri nudum caput exponere, aſperrimâ hieme; pedibuſque manibuſque nives contrectare ſueverat, feralis tuſſis inceſſit, à qua perverſi mores eum liberari non ſinebant, quod vitæ ſtatum commutatum ferre non poſſet, atque obſtinato animo medicamenta reſpueret. Viſcera à Chirurgo educta *An. 1689. M. Jun.* inſpexi. *Pulmo* quantus quantus ſcirrhoſus erat; puſtulis hinc inde diſtinctus, ex quibus velut ulceribus pus flavum minus fœtens prodibat: ponderoſus valdè; luridus aſpectu; liber tamen, nullibi

pleuræ

pleuræ ſuccinctus; Intus ut extus meris grandinibus confertus, ad extremas loborum crepidines uſque. *Cor* ſ. n. *Hepar* denſum, grandinibus, licet paucioribus minusque extantibus, hinc inde obſitum; diſſectum flavi coloris. *Fellis veſicula* tumida, liquidâ bile. *Lien* ovi anſerini magnitudine. *Inteſtina* à Diarrhœa ſpontanea, ſi non medicamento agyrtæ nequiſſimi iſta adſcribenda, inania, flatu diſtenta, nullis vermibus obviis, quum triduo ante quosdam dejecerat. Illud memorabile, quod *Puer*, ut erat ferox, *pulmonibus peſſimè affectis, ſtentorio clamore ad mortis punctum uſque gravis fuerit.*

## Uſus ex Viſceribus Pueri ferinâ tuſſi laborantis.

I. *Cauſam Tuſſis ferinæ in obſtructione Pulmonum* quærendam; atque ut obſtructio gravior, ita medicina tuſſim tollere neſciet.

II. *Non propter facultatem clamandi*, nedum reſpirandi, *Pulmones vitii immunes cenſendi.*

III. *Clamandi facultatem* in Puero noſtro illæſam, obſtructo licet Pulmonum parenchymate, non tam reliquorum viſcerum viribus, quàm *lobis Pulmonum nullibi ullâ annexione coarctatis vindico*; quum hâc ratione bronchialia vaſa, ſuperante robore, quomodocunque ad inſpirationem & exſpirationem extendi contrahive potuerint.

## OBSERVATIO CLIX.
## D. PHILIPPI JACOBI HARTMANNI.
## Atreta.

A*N. M. DC. LXXXIX. M. Septembr.* In ædibus Chirurgi Prudentiſſimi & peritiſſimi *Dn. à Sæſten Puellula* ſemeſtris *ano imperforato* exhibita, mirabili tamen ingenio *officium ani labiis pudendi* Natura crediderat: ubi enim, ſubtus vaginam, labiorum ambitus coit, inibi orifici-

um inteſtini recti deliteſcebat. Nutrix primùm vitium ignoraverat; quando autem feces anteriori parti induſio adhærere ſubinde advertit, intentior tandem ex vulva prodiiſſe deprehendit. Pudenda & reliqua omnia integerrimæ erant ſanitatis, ipſaque infans ſucciplena & vegeta.

### Uſus ex Atreta.

I. *Quàm facile conformatio partium* in prægnantibus *obladi queat.*

II. *Singularis Atretarum ſpecies,* quum non ſimpliciter, ſed ſecundum quid noſtra habenda atreta; quod juſto loco non ſit perforata in alvi obſequia.

## OBSERVATIO CLX.

## D. PHILIPPI JACOBI HARTMANNI.

## Anatome Nephriticæ, & Picrocholæ κάτω.

ANn. *M. DC. XC. M. Auguſt.* Mercatoris cujusdam Uxor 53. circiter annorum, ex perturbatione animi deſubitò in febrem continentem incidit: cum anguſtiis & doloribus Cordis, inquietudo, ſitis, vigiliæ: altero antequam moreretur die advocatus alexipharmaca præſcripſi; ex vena etiam modicè ſanguis emiſſus; nil quicquam mitigato paroxyſmo: proximo die hæmoptoe malum auxit, & veſperi tres fermè libras ſanguinis evomuit; adſtantes bilem volebant, quum ſanguinem defenderem; & quod nulla ab hæmoptoe euphoria, febre continuò urgente, mortem imminentem prædixi, quâ ſequenti manè placidè defuncta eſt.

*Anatome Omphalo-Epiplocelen* detexit, parvi pomi magnitudine; atque inciſo ritè abdomine vidimus alveo umbilici omentum inſidere, ut marginem tenuibus fibris & membranu-

branulis undique ſuccingeret: particulam tamen educere licebat.

*Omentum* ipſum ſ. n. denſum & continuum; ultra umbilicalem regionem excurrens, omnia inteſtina complectebatur involvebatque.

*Inteſtina* ſ. n. *cæcum* contortum, pinguedine obtectum, ultra craſſitiem pennæ olorinæ: *Colon* in dextro hypochondrio amplius quam in ſiniſtro protuberabat.

*Ventriculus* patefactus, ſi qua ex illo ſanguis emanaſſet; verùm nil ſanguinis, nil ſanguine tincti in Ventriculo, colluvies ex cibis erat reliqua.

*Colon* autem *dextri hypochondrii* quum ſepararemus, *ſimæ parti majoris lobi hepatici* arctiſſimè iſtud connexum deprehendimus, interjecto nodo quaſi, aut *glandulâ pinguedine obtectâ:*

Quam glandulam ut aperio, *ductum ab hepate ad ipſam decurrentem* obſervo; hunc indagaturus, ſtilum verſus colon dirigo, cui ubi obicem poſitum ſentio, ferro viam facio, *exemptoque calculo flavo piſi magnitudine, cui alter minor adhærebat,* ſtilum *in cavitatem quandam* illapſum proſequor, apertamque cavitatem *intus inſtar crumenæ rugoſam* manifeſto, amplam ut quæ nucem moſchatam caperet, *inſigni ductu, qui* digiti minoris apicem admitteret, & *in ipſiſſimum colon rectà duceret*, orificii ſingularis ambitu non minori, uti colo aperto ob oculos Diſcipulis poſui.

Admiratur *ductûs hujus hepatici in Colon inſertionem, in Veſiculam fellis* inquiro; verum illa nulla & nuſquam fuit: *Ductûs* vero *noſtri reliquum*, quo ſimâ parte hepatis exibat, ſub albo compacto panniculo latebat, exili trunco hepati immerſum.

Nec tamen à ſcrutando deſtitimus, quin invertendo hepar omnes partes luſtrantes, *de Cholidochico communi* ſoliciti, qui ad duodenum duceret, & hic fruſtra fuimus, nullo ductûs iſtius cholidochici indicio prodeunte.

*Hepar* ingrati coloris lutei extus atque intus; ſanguine in vaſis minus fluido & ſubnigricante.

*Lien* circum circa pluribus fiſſis inciſus erat, ςρογγυλώδης, non rhomboides; Vaſtus; ex inciſis vaſis cruor tetricus ater & lentus exſtillabat.

*Pancreas* ſ. n. ex quadam parte inciſa aliquid albi muci dimanabat.

In *Renes* intenti, quod Nephritica fuerat, *faſciam* pinguedine flaccidâ, minus ſolidâ, multâ tamen inveſtitam offendimus; latam ac depreſſam placentæ faciem præ ſe ferebat; itidem ad parenchyma renum uſque pinguedo hæc penetrat, illoque lævorem renalis tunicæ corruperat, quod & *in Arthritico præ pinguedine mortuo* obſervavimus. *Dec. II. Anni IX. Obſerv. XIII.*

Cæterùm *intus dextri Renis mira ſpecies:* totus enim cavernoſus; quot carunculæ aut canales tot altæ cavernæ, pollicisque capaces, albis calculis innumeris iisque diverſiſſimarum figurarum, majoribus, minoribus, ſuffertæ erant.

*Ureter* calculis obſtructus in tantum, ut cultro diſſecandus eſſet, quo ſtilo aditus daretur: amplus, ut digitus intraret; diſſecti interior tunica lineas quasdam elatas cum parvis carunculis commonſtrabat.

*Siniſtri Renis faſcia* parilis; *parenchyma* denſum, minimè cavernoſum; *Pelvim* totam nigricans calculus, magnitudine & figura radicis Zingiberis, ramis undique protenſis obſederat, craſſiori parte in Ureterem propendulâ.

Ex *Pericardio* nulla aqua.

*Cor* flaccidum, compreſſum; *in dextro ventriculo* ater cruor; *in ſiniſtro* polypus tenuis at latus, ſubruber, imis apicibus albis, ex columellis ſuſpenſus, venas Pulmonales verſus, plures protendens ramos quàm polypus quidem habet pedes, itidem tenues & latos; cum lato iſto, cordis ventriculum inveſtiente, firmiter cohærebant, ut unâ eâdemque opera omnes evellerentur.

Ex

*Ex Pulmonum inciſorum* aliis *lobis* ſpumantem liquorem cum ſibilo exire advertimus, ex aliis vero lentum & atrum cruorem, qualis & Lienis erat, ægrè expreſſimus.

Quoad *Genitales Partes*; *Uterus* grandis & latus; *orificium* aperto hiatu, qui digitum intromittebat; *in diſſecto collo minori* glabra omnia, nullis ſulcis; *in receſſibus Uteri* verſus tubas Fallopianas aliquid muci; *Per receſſus ad tubas* modico ſtilo facilis tranſitus, ut in hoc ſubjecto ſatis pervias fuiſſe conſtet; *Foliaceum ornamentum carneum orificii* Tubarum oculis omnium Spectatorum patuit: *Teſtes* rugosâ anfractuosâve albâ cute anatinæ pennæ craſſitie obvelati; diviſi merum membraneo-grandinoſum *parenchyma* oſtentabant, veſiculis vacuum; Dorſo Tubæ alterius duæ *veſiculæ* piſorum minorum ſpecie incumbebant; in alis vero veſpertilionum complures minores, papaveraceæ: Per easdem alas inſignia *vaſa ſanguinea* Tubis adrepebant.

## Uſus ex Anatome Nephriticæ & Picrocholæ κάτω.

I. *Epiplocele malè* à quopiam Herniæ ſpecies iſta *definitur*, quà omentum in ſcroti tunicas & cavitatem prolabitur; quum & in Umbilici tunicas ac cavitatem omentum prolabi contingit: Rectius itaque & *à loco & à materia contenta Herniæ ſpecies denominationem ſortientur.*

II. *Picrocholos κάτω propriè eſſe*, quibus bilis in infima inteſtina exoneratur; uti huic noſtræ in colon.

III. *Conformationem peculiarem viſcerum quoſdam peculiaribus morbis magis obnoxios reddere*; hæc noſtra flatibus ſ. paſſionibus hypochondriacis, vulgò hyſtericis creditis, ſæpius infeſtata fuit.

IV. *Biliarii ductus inſertioni*, atque hinc bilis ipſius exundationi *protuberantiam coli in dextro hypochondrio adſigno*, quum utplurimum ſiniſtri hypochondrii colon vaſtius obſervarim.

V. Miti animo fuit Beata: an *fellis vacuitati* ſ. n. illud

adſcribendum? fortè *indicio* foret *exigua burſa loco veſiculæ fellis*, non ſ. n. felle abundaſſe.

VI. *Fallax ſignum calculi veſicæ albor;* quum & in renibus albâ ſpecie concreti occurrant.

VII. *Lienis moles* an ex defectu pororum biliariorum qualicunque in hepate? atque *ſuccenturiatum hepar lien* fuerit? videbatur enim bilis ex vaſis lienis non ſatis expurgata, ut feculentus reſtitans ſanguis hoc viſcus in iſtam molem elevarit.

VIII. *Teter ſanguinis in Liene color Veterum Melancholiæ* p. n. *argumentum* ſuppeditat.

IX. *Pallidus & luteus hepatis aſpectus*, non rectè ſanguinem Venarum Portæ bile purgatum arguit;

X. Id quod *calculi in ductu felleo* confirmant.

XI. *In Pancreate albus mucus* animadverſus, munus hujus viſceris ſ. n. ſegregandi quodammodo innuit.

XII. *Vera Cardialgia*, ſ. *Syncopa* à Polypo in Corde.

XIII. Ab obſtipatione ſanguinis in vaſis Pulmonalibus *hæmoptoe & motus convulſivus;* Circuitu enim à craſſo ſanguine impedito, tenuior in aliis vaſis ſpumeſcere, per alia vaſa in arterias bronchiales vi perrumpere cœpit.

XIV. *Ureteris dextri lineæ carneæ, & caruncùlæ,* citra dubium à dilaceratione, quam acutorum calculorum tranſitus intulit.

## OBSERVATIO CLXI.

## D. PHILIPPI JACOBI HARTMANNI.

## Anatome Apoplectici.

Tinctor in ſuburbiorum aliquo, 50. ferè annorum, homo vitæ diſſolutæ, *cremato* uti vocant, & *tobaco* nimium quantum *indulgens*, ebrius prolapſus tempore hiberno, frigore in via obriguerat, ſemivivusq; domum

mum delatus ad ſe demum rediit; *elapſo* autem *octiduo veluti maniacus*, deformi & horrendo obtutu, ſtridore dentium, manuum concuſſione, mutus, ac ſurdus, mentis nequicquam compos; tunc quando rogatus, volatiles liquores cum decocto purgante præſcripſi, inquirens ſimul ſi qua caput eſſet læſum: licet nullum ſeſe offerret indicium, veſicatoria tamen nuchæ applicanda imperavi, quæ tamen ex imprudentia Chirurgi ſtudioſi minus fuerunt efficacia: ſuccedente vero uſu medicamentorum, Deo propitio, ſibi redditus ſacrâ ſynaxi eſt uſus. Verum quod ad ingenium rediret, ſuetiſque potationibus & fumis ſe oblectaret illico, mutatio hæc repentina domeſticis & familiaribus ſuſpicionem fraudis ſuggeſſit, quum antea ad fallendam Uxorem ſimulando morbum varios ludos ſæpiuſculè dederat. *Interjectis* autem *octo diebus* in lethargum incidit, atque in conſilium adhibitus lethalem ſomnum prædixi, qui omnem ſimulationem ignoraret, fidemque fecit mors ſomni frater, altero die peremptorio.

*Anatome: Cuticula, cutis, pinguedo, panniculus carnoſus* in abdomine ſ. n. *Pinguedo* ſubflava: *Peritonæum* craſſum, quod facili operâ in tres membranas diſſolvi poterat.

*Omentum* parvum & luridum.

*Inteſtinorum Craſſorum ſitus* p. n. quippe reduplicatio *Coli*, quæ ad ſiniſtrum hypochondrium ſolet obſervari, hic ad regionem pubis, ubi colon in rectum exit, occurrebat: *Rectum* quoque tam amplum quam colon ubi erat ampliſſimum.

*Hepar* ſubpallidum; minimè vaſtum; *fiſſum* pinguedo lurida obſepſerat, cum qua Vena Portæ arctè concreverat; *Crepido cum parte globi majoris* diaphragmati adhærebat.

*Lien* ſpecie externâ. ſ. n. ad levem autem contactum diffluebat, aterrimâ ſanie exſtillante: *Infra Lienem propè adſitum erat corpuſculum globoſum* ceraſi magnitudine, quod *ſuccenturiati lienis* imaginem gerebat; vaſa ab hoc extantia ad magnum

gnum Lienem abibant; diſſecti verò parenchyma ſolidius, texturâ lieniformi, atro pariter intus per omnia liquore.

*Renes* ſ. n. *faſciâ* macrâ.

*In Ventriculo* aqua ſordida & feculenta; interiorque tunica prope pylorum flavedine â bile tincta erat; Cholericus enim fuit.

*Veſica fellis* Hepatis & inteſtinorum adjacentes partes omnes infecerat: atque ex turgida fluida bilis ad inciſuram profluebat.

*Pancreas* ſ. n. *inſertione ductûs memorabili* quod quum in dorſo viſceris ipſum manifeſtaſſem, ſtiloque adacto orificium anquirerem, parvo foramine, in margine cholidochici ductûs duodeno inſerti, illud in inteſtinum hiſcere deprehendi; quod foramen diſſecto cholidochico ductu egregiè ante oculos poſui.

*Cordis ſiniſter Ventriculus* æquè amplus ac dexter; hærebatque in ipſo polypus albus pennæ olorinæ latitudine, articulorum duorum longitudine: *Cor* parvum, non multâ pinguedine luxurians.

*Pulmones* cætera ſ. n. niſi quod imis lobis Diaphragmati annexi, quodque paſſim in illis puncta nigricantia obvia: *In ſuperiori lobo ſiniſtri* ad palmæ latitudinem durities; exemtâ parte ac diſciſsâ cartilagines bronchiorum in oſſeum rigorem obduruiſſe inſpeximus, nullo intus pure aut calculo; difficilius autem reſpirarat, & de ſiniſtra parte thoracis conqueſtus fuerat.

Quoad *Capitis Partes*: Exterius in detonſo nihil vitii comparuit; Ubi vero *Cranium* ſatis craſſum diducebamus multum ſanioſi ſanguinis ex ſiniſtro latere diffluere; *materque dura* cum ſanguine concreto ut coaluerat cranio firmiſſimè adhærere: *Per ſuturam temporalem* inter ſecandum mador quidam ſanguineus exſudare, nullâ fiſſurâ, nullâ fracturâ intus aut extus obviâ.

Dex-

*Dextrum Hemiſphærium* illæſum erat.

*Sinus falcatus* ſugillatus; cruorem continebat; obliti autem eramus ipſum diſſecare.

*Siniſtrum Hemiſphærium* depreſſum erat ac inæquale, dextro comparatum; *matre piâ* ſugillatâ undique.

Præcidi *corticem* utriuſque hemiſphærii, *ventriculoſque* geminos puriſſimâ lymphâ ſtagnantes conſpiciendos dedi: Lymphâ decurrente *ſeptum lucidum* patuit, atque ſimul *Plexuum Choroideorum* connexionem inter ſe, expanſionemque per ventriculos, cohæſionemque cum falcato ſinu commonſtravi.

Inque illis *glandulam Pinealem* quærendam ubi oſtendi, totam Plexuum Choroideorum compagem ex vaſis conſtare monſtravi, utut ſæpius glandulas mentiatur, quemadmodum cirſoidei ad Teſtes: Mox *in utroque plexu corpuſculum* quod maximi melonis ſemen adæquabat, durum, coarctatum, oblongum, planius quodammodo, ut tamen glandulam præ ſe ferret, exemtum & luci obverſum merum vaſorum eſſe contextum dilucidè probavi.

*Nervi Optici* craſſi, pennæ anſerinæ majuſculæ latitudine; ubi conjuncti duabus olorinis non cedebant.

*Cerebelli* ſectio ex methodo CL. Williſii arbuſculum ſpecioſè exhibuit.

*Rete mirabile* nullum ad ſellam Turcicam.

## Uſus ex Anatome Apoplectici.

I. *Trepanationis* ſumma *neceſſitas & generoſus uſus* ad omnem graviorem caſum, vel nullo fracturæ aut fiſſuræ indicio, modo ſymptomata urgeant.

II. Ex *vulgo* adſtantes magno deſiderio aperturam cranii præſtolabantur, quum *propter tabaci fumum cerebrum exſiccatum atque imminutum* crederent.

III. *An* verò *à tabaci fumo durities iſta oſſea in ſuperiori ſiniſtri pulmonis parte*, an ab alio quopiam caſu?

IV. *Quod Pulmonum* cum Diaphragmate aut pleura *connexio difficultatem reſpirandi in homine cauſetur*, contra *Helmontium*.

V. *Lien geminus*.

VI. *Quantum* viribus integris, uti ſunt in hominibus vitæ diſſolutæ, aut aliis robuſtis, *caput ſufferre valeat*, quum *Hic* dies lethales evaſerit, non obſtantibus, erroribus Diætæ, incuriâ ac neglectu remediorum in tempore, quod poſt octiduum demum ſim conſultus; nullusque ex ſecti Cerebri cruore fœtor exhalabat: Quæ omnia *in Obductionibus obſervanda*, uti Ampliſſima Facultas Medica Regiomontana vel nuperrimè ad eadem attendit.

VII. *Apoplexia & lethargus* à ſtagnante in ventriculis Cerebri ſero.

VIII. *Furoris cauſa* in Cholerico hoc ex Polypo Cordis ſi non etiam ſinûs Falcati.

IX. *Glandula Pinealis* non niſi denſior pars plexuum Choroideorum, quam ex idioſyncraſia ſubjectorum variare contingit, ut glandulam molliorem, duriorem, lapideam denique æmuletur; aliquando nullam ſpeciem glandulæ relinquat; ita ego quidem, ſalvo aliorum judicio.

## OBSERVATIO CLXII.

## D. PHILIPPI JACOBI HARTMANNI.

## Anatome Monſtri.

A*N. 1691. inter d. 14. & 15. Sept.* noctu circa duodecimam gregarii militis Uxor *ſiniſtro pede mancum*, *anticâ & poſticâ parte imperforatum*, *nullô ſexûs manifeſto diſcrimine*, *partum* enixa eſt: Parochus rogatus ut ſacro lavacro tingeret de monſtri habitu, & de cognomenti ratione, incerto ſexu, ſolicitus, dum à ſuperiori conſilium expetit, occaſionem baptizandi amittit, ad nonam enim an

teme-

temeridianam pulticulæ tantillo aſſumto, vitam vagitibus protraxit, nec ultra. Miles *matrem*, ante hunc fœtum, quatuor liberos ſanos & integerrimos ediſſe, nec lapſu conflictuve tempore Prægnationis offenſam; *Perturbationibus* tamen *animi obnoxiam* quâcumque re viſa facilè commoveri & terrore perſtringi; Gravidamque (quo menſe à Conceptione & vir & uxor ignorabant) æſtuantem adhuc à jurgiis, quibus cum vicina contenderat, domum redeuntem *mure improvisò obvio graviſſimè exterritam;*

*Exterius* umbilico tenus corpus *ſ. n.* vitalem fœtum commonſtrabat; *Papillæ* expreſſo orbiculi majoris ſigno femellam ſubinnuebant; nec minus è regione pubis *appendicula* lata idem arguebat.

*Quibus* vero *Exterior forma reliqua à ſueta Naturæ fabrica aberraverat* iſta erant; *Umbilicus* à cartilagine enſiformi juſto longius diſtans, & nimis propè regioni pubis adſitus; *Appendicula* iſta ſubrubicunda, plicis quaſi interſecta, ſemiunciali longitudine; interſectiones quaſi circulares, quibus ab abdomine *Pes unicus* diſcernebatur; *Pedis illius Planta inverſa* retrò; *Unicus Pedis digitus cum unguiculo* ſimilem in modum inverſus; Nihil *tarſi*; *Metatarſi* oſſiculum unicum; duo *condyli*, *femur* magis latum vel planum, quàm oblongum ac rotundum; *os* craſſum ac latum judice tactu; *Genu* duæ *molæ*, parallelo ſitu, motu & tactu agnitæ; *Tibiæ & fibulæ coalitio*, uno cruris oſſe lato & craſſo; *Oſſium Iſchiorum coalitio* itidem deprehendi poterat, nullo interſtitio; *Os coccygis* occuparat locum ani imperforati; *in appendicula* & circumcirca *anticum foramen* fruſtrà quæſivimus.

*Interius*, epigaſtrio inciſo, quod ob accuratiorem genitalium indaginem inferiora intacta vellemus, *Glandulæ Pinguedinis* ſub cute, expanſio *muſculorum abdominis*, *peritonæi*, omnia ſ. n. *Omenti* nullum veſtigium; *Hepar* grande cum ſuſpenſorio, & *venâ Umbilicali perviâ*; *Ventriculus* albus pulticula plenus; *Lien* vertebris dorſi incumbens; *Meſenterium*

hinc inde glandulis conſperſum; & hæc ſ. n. *Inteſtina tenuia* flatu turgida; *Craſſa, cæcum & colon* totum, meconio referta; inprimis *colon* fecibus tumens *duobus pyris ſub ſiniſtro hypochondrio* ſe abdiderat; *Meconium* nigrum, viſcidum admodum ac lentum: *Inteſtinum Rectum* à Colo annulo quaſi aut circulo ſeparabatur, ad quem ſtilus immiſſus offendebat; nullæque feces in Recto, idque album apparebat, præterquam quod *nulla ejus proportio ad Colon*, cum pennæ olorinæ craſſitiem tantum adæquaret, & quaſi ligamentum colo annexum præ ſe ferret; intentos in *exitum Recti*, & ſtilus & tubulus *ad Umbilicum* deduxit; Huic enim cum Vaſis Umbilicalibus Rectum inteſtinum inſertum erat, ſtiluſque & flatus per Umbilicum erumpebat, *eaque propter Anus imperforatus* manſit. Converſi ad indagandam *Veſicam*, nullam deprehendimus; *Arteria Umbilicalis*, quæ ſ. n. gemella, ad pennæ Perdicis magnitudinem, in embryis & infantibus tenellis latera veſicæ claudere ſolet, *unica* pennam anſerinam craſſitie ſuperans, ſpecie veſicæ oblongæ fallebat, quum talis ſit embryorum & recens natorum, aſt ſtilo intruſo & flatu immiſſo ſanguis prodidit arteriam, quæ ad Umbilicum, Venæ Cavæ inſtrata, eâdem amplitudine contendebat. *Vena Cava* ſanguine turgida, manifeſtis *divaricationibus*, ſed ramo, qui ad ſiniſtrum, admodum exili, grandiori longè qui ad dextrum latus vergebat, ad quod & *unica illa* inſignis *arteria* tendebat. *Renes* indagaturi, in utroque latere ipſorum locum *Capſulas atrabiliarias* occupaſſe vidimus; Unciam fermè latæ erant, planæ, manifeſtis, ampliſque cavitatibus: *Renes nulli; nulli Ureteres, Hepar* ſ. n. *folliculus fellis* inciſus viſcidam & ſubfuſcam bilem dimittebat. *Pancreas* exile. Supererat diſpicere, ubi *Genitalia* latitarent: Atque altius juſto, propè hepar in dextro latere magnitudine piſi oblongi *Unicus Teſticulus* in conſpectum prodit, cui *Tuba Fallopiana* ſuperimpoſita membranulis ita erat implicita ut explicari non poſſet, *Progreſſum* autem *Tubæ ad Uterum* perſequentes, in ligamentum gracileſcere advertimus; *nullo*

*fundo*

*fundo Uteri, nedum collo, aut vaginâ: Teſtis inciſus* ſolidam carunculam præſentabat. *In ſiniſtro latere* non minus omnia ſolicitè excuſſimus, verum *nullum Teſtis, Tubæ, Uterive veſtigium.* Neque neglex imus tentare, ſi qua nos via duceret ad *appendiculam*, ex qua muliebrem naturam intus Opifex formaturus videri poterat; verum omni aditu excluſa fuit noſtra diligentia; ipſa *appendicula inciſa* ex laciniis & vaſis contextum dabat, pomittebatque quandam cavitatem, ſed quæ nullo ductu pervia erat; *Thoracem* & *Caput* non diſſecuimus quod omnia ſ. n. ſpondebant, uti etiam Curioſiſſimus Chirurgus *Dn. Wagener*, qui balſamo hoc monſtrum condidit, noſtroque Muſæo in ornamentum obtulit, poſtea, hujus rei fidem fecit.

## Uſus ex Anatome Monſtri.

I. *Terrorem*, tenello adhuc fœtu, ſub primordiis Prægnationis, *præturbato ſanguinis curſu, poſſe corpuſculum corrumpere ac mutilare*, an verò etiam adultâ prægnatione fœtuq; maturiori?

II. Quum Omentum in tenerrimis ſ. n. deeſſe contingat numquid hoc *ſimultaneæ partium generationi* derogabit? puncta pinguedinis rudimenta adverſus eandem quoque militabunt.

III. Optimè *Viſcerum ſitus & conformatio in embryis & tenellis ſ. n.* dignoſcitur.

IV. *Quod partes, internæ imprimis, ceſſante functione obliterentur*, plura in hoc monſtro confirmant: Anus imperforatus; defectus Pudendi, Uteri, Colli, vaginæ; Defectus Renum, Ureterum, Veſicæ; præter divaricationem Cruralium Vaſorum in ſiniſtro latere deficientem.

V. *Excrementa per Umblicum* ab animalibus oblæſis excreta Villici referunt, & monſtrum atteſtatur.

Fig. XXII. & XXIII.

 Expli-

## Explicatio Figurarum.

### *Pars Antica.*

A. Abdomen.
B. Umbilicus.
C. C. Regio pubis cum Appendicula.
D. D. D. Femur latum ſ. planum.
E. E. E. Digitus pedis unicus inverſus.
F. F. F. Tibia.


### *Pars Poſtica.*

A. Anus imperforatus.
B. B. Molæ duæ genu repræſentantes.
C. C. Planta pedis inverſa.
D Digitus cum unguiculo itidem inverſus.

## OBSERVATIO CLXIII.

## D. PHILIPPI JACOBI HARTMANNI. Colon Occluſum.

A*N. 1691. d. 19. Octobr.* honeſta Matrona, Mercatoris Pii Uxor, pulcherrimum filiolum enixa erat: Poſt ſacrum lavacrum familiares mirantur, nil meconii à quo in lucem editus, egeſtum; quare Clyſterem adhibere ſatagunt, aſt fruſtra: Chirurgus conſultus, qui ſtilo explorans coalitionem advertit; adeſſe rogatus, reiteramus ſcrutinium, inani operâ: de inciſione deliberamus, quum corpus jam liveſcere, vires proſterni: Verum quod ad duorum articulorum longitudinem coalitio in inteſtino recto obtegeretur, dum hæremus, fatum irritas curas *d. 22. Octobr.* veſperi abrupit. *Exemtum inteſtinum* conſpiciendum oblatum; atque *colon* amplitudo arguebat, meconio liquido turgebat;


Pars postica.
Pars antica.
Fig. 22. et 23.
pag. 262.
A
B
B
C
C
D
A
B
C
C
D
D
D
E
E
E
E
F
F
F

Annus X.

BRITISH MUSEUM NATURAL HISTORY.

gebat; extus adhærebant feculæ parvulæ induratæ, unde mihi *ſuſpicio rupturæ*, quocunque Prægnantis infortunio; *erat* autem *ovali cacumine hæc pars coli occluſa*, atque cacumen *pinguedo laxa & mollis circumcirca* obſepſerat; Separatâ pinguedine nullum ullius ductûs obliterati indicium; præter quam autem quod pinguedine obvolutum erat iſtud cacumen, *craſſæ & pingui alii tunicæ*, quam inteſtini recti inverſam credo, *erat immerſum;* In colo circulus diſtinctam tunicam illam manifeſtabat.

## Uſus ex Colo occluſo.

I. *Anatome veras cauſas Morborum detegit*; vulgus obſtipationem alvi cauſabatur unicè.

II. *Difficilis in coalitione inteſtinorum Chirurgica* ἐγχείρησις; in noſtro impoſſibilis, non ſolum ob ſubjecti conditiones, ſed & partis affectæ, quæ ut ſtilum lubricitate, ita cultrum retro cedendo eluſiſſet, ut non habuiſſet Chirurgus, quod deſtinato ictu certò feriret.

[*Miſſæ Regiomont. Norimbergam ad D. Wurffbain, d. 2. Junii, An. 1692.*]

OBSER-

## OBSERVATIO CLXIV.
## D. EBERHARDI GOCKELII.
*De*
# Colica convulſiva billioſa pertinaciſſima, peſſima ſymptomatum ſyndrome concomitata, & feliciter curata.

ANno 1691. Matrona quædam honeſtiſſima, conſanguinitate mihi proximè juncta, temperamenti ſanguineo-cholerici annos quinquaginta duo cum dimidio habens, tempore Vernali de Capitis dolore & vertigine conqueſta eſt, quam etiam non raro ſpaſmus in pedibus divexavit; ſubſequente æſtate, cum fœnum falce in duobus hortis ſat ſpacioſis demeteretur, illa cum ſuis domeſticis in fœnificio, ſpontaneo motu ſibimetipſi multum laboris in eradendo raſtillis fœno, pyramidibus exſtruendis, fœnum furculis verſando, in ſeriem contrahendo, &c. impoſuit, inter quem laborem exæſtuans & defatigata è præſenti puteo inſignem quantitatem aquæ frigidæ bibit, ſtomachumque cum inteſtinis haud parum læſit. Poſtea in Feſto S. Johannis Baptiſtæ ob levem cauſam irata, & ob inſecutum ſubitaneum terrorem valdè perculſa fuit, ubi ſtatim, (uti ipſi videbatur) catarrhalem materiam uno quaſi impetu è capite ad ventriculum, & poſt horæ quadrans ulterius ad Umbilici regionem, cum ventriculi perturbatione, & colicis doloribus ruere ſenſit, quem dolorem adhuc ambulans quatuordecim dies ſuſtinuit, poſtea ineffabilibus lancinantibus & pulſantibus circa Umbilicum, à materia bilioſa & acido-corroſiva in plexibus nervoſis coli inteſtini contenta, & impacta, fixis doloribus induſium circa locum affectum continuo motu concutientibus exortis, in lectum dejecta, & ſine omni interſtitio ac induciis, per dies & noctes, ſomno totaliter deſtituta, uſ-

que

que ad Feſtum Divi Michaelis cruciata fuit: In quo tempore, ob ventriculi conſenſum omnis appetitus ad cibum proſtratus, cibusque ac potus ſtatim cum inſequente cardialgia, rejectus fuit. Præter hæc, in ſiniſtro latere circa regionem lienis tenſio & inflatio dolorifica exorta eſt, quam uteri murmura doloresque ſyncoptici, ſubitaneam mortem ſæpius minitantes, exceperunt. Febris inſuper intermittens putrida, octo vel novem ſeptimanas durans, cujus paroxyſmi ſingulis noctibus præcisè circa horam decimam tumultuarunt, acceſſit, quæ tota altera die usque ad horam ſextam veſpertinam perduravit, ac Patienti, concurrentibus præfatis continuis doloribus colicis convulſivis & ſpaſmodicis, omnes vires, ipſamque carnem exuit. Et quia ſuſpicabatur, quod forſan menſium defectus etiam aliquid ad hujus mali complicati atrociam contribuere poſſit, circa Feſtum Michaelis ambæ venæ ſaphenæ in pedibus ſectæ, & apertæ ſunt, poſt quam venæſectionem tota die ob Mariti abitum & peregrinationem mœſta ac puſillanimis, ſine omni cibo ac potu decubuit, tandemque languida obdormivit; poſt ſomnum expergefacta, horrenda Arthritide, omnes artus & membra, brachia, manus, & pedes cum incredibilibus doloribus infeſtante, correpta fuit, nec ullum membrum ſine adſtantium adminiculo movere potuit, ſed à Filiola cibata, quaſi ſtatua in lecto decubuit; qui affectus ægrotam cum inſigni atrophia corporis, ad uſque Cineralium vernale tempus inſequentis anni cruciavit, adeóque defatigavit, ut in die Palmarum manum adhuc nec capiti admovere, nec brachia ſurſum attollere, nec lorum nectere vel ligare potuerit: Toto decubitus tempore alvus pigerrima fuit, quæ ſæpius & multoties remediis proritari neceſſe habuit. Elapſo hoc tempore, vires per Dei gratiam quodammodo incrementum ſumſerunt, illaque è lecto ſola ſurgere, ambulare, ac munia œconomica ſucceſſivè obire cœpit, appetitus ad cibum cum ſomno naturali rediit: In exteriori manuum adhuc infirmarum media ſu-

perficie tumor valdè ſenſibilis, tactumque ægrè admittens ſe prodidit, qui procedente tempore ganglii inſtar induruit, & hactenus cauſa fuit, quo minus tres poſteriores digitos rectè, ſine cæterorum digitorum juvamine aperire atque extendere potuerit; Proximè præteritis diebus Pentecoſtalibus (licet de cætero Oeconomia Microcoſmica rurſus naturaliter conſtituta ſit) manus & brachia adhucdum debilia identidem dolores periodicos ſenſerunt, quapropter ad plenariam, Deo Duce, recuperandam bonam valetudinem aquarum mineralium Krumbacenſium uſum præmeditato Conſilio elegit.

Periculoſiſſimi hujus Affectus (qui multis experientiſſimis Medicis deploratus & deſperatus videbatur) ingruentiumque ſymptomatum curationem quòd attinet,

1. Colicæ ſtatim ab initio ſequenti potiuncula pro duabus vicibus ad dimidiam partem ſumenda, ſubventum eſt. ℞. Croc. Or. ʒß. Macis ℈j. Tripher. magn. ℥ß. Vini Malvat. ℥ij. M. f. potio pro duabus doſibus; qua ſumpta potiuncula melius quidem habuit, ſed poſtliminio præfatus dolor recruduit, quem repetita hæc potiuncula non adimebat, quapropter illum ſeqq. Clyſteribus refrenare moliebatur, ℞. Herb. 5. emoll. āā. Mß. Rad. alth. lil. alb. āā. ʒij. ſem. lini. fœnugr. āā. ℥ß. M. f. decoct. cum brod. carn. ℔j. Colatur. ℞. ℥vj. in qua diſſolv. Elect. Lenitiv. Florenz. Diacathol. āā. ʒvj. Mell. roſ. col. ℥j. Ol. lini ℥ij. vitell. ovor. Numer. 2. f. Clyſter, qui applicatus ad affectum locum prima vice cum levamine aſcendit, ſed poſteriores omnes ex brodio carnis & lacte vaccino cum floribus chamomillæ alterato, & cum Oleo lini ac vitellis ovor. permixto, nec non puro oleo lini vitellisque ovorum conficiebantur, doloris punctum non attigerunt, ſed ſine omni auxilio & ſolatio effluxerunt. Præter clyſteres, ad expellendam cauſam morbi atque materiam peccantem, Syrupo de Cichorio cum rhabarbaro & diaſereos Andernaci, cum permixto pulvere radicum Jalappæ uſa eſt, qui autem præter conſuetudinem nullum effectum monſtravit. Hinc per ſeq. potiunculam

lam ſæpius conſolata, alvusque ſubducta fuit. ℞. Fol. ſen. el. ſ. ſt. ℥iij. Rhabarb. ver. Crem. Tartar. āā. ʒß. Aq. Ceraſ. nigr. ℥iiij. M. f. lenis ebullitio, in Colatur. diſſolv. Mann. Calabr. elect. ℥jß. M. f. potio. Ad fortiora purgantia, ne malum, (ut multi Medici adhortantur) exacerbaretur, progredi inconſultum duxi, ſed firmiter credo, ut infra patebit, ſi materiam illam bilioſam & acido-vitriolatam ſtatim in morbi principio, antequam ſeſe nervoſis plexibus inteſtinorum tam firmiter inſinuaſſet, aggreſſus fuiſſem, quod malum nunquam ad talem ferociam degeneraſſet. Ex Conſilio celeberrimi cujusdam Medici, ad acidum hocce vitriolatum & corroſivum eradicandum tali tinctura (aliàs proficua) uſa eſt. ℞. Spirit. Salis Armoniaci chalybeat. ℥ß. flaved. Cortic. arantior. minutiſſ. conciſor. ℥ij. ſtent infuſa per aliquot horas, poſtea fortiter exprimantur, cui expreſſioni add. Eſſent. arantior. ʒj. M. d. ad. vitr. cujus guttæ ſex unâ vice in aqua carminativa ſumantur ex cujus uſu malum è veſtigio exaſperatum fuit, ita ut Patiens hocce remedio amplius uti noluerit; Et poſtmodum experientia docuit, quod omnia ſpirituoſa atque volatilia hoſce dolores colicos auxerint, proinde ab his omnibus totaliter abſtinere coacta fuit. Nec Electuaria anodyna ac opiata conduxerunt, ſed malum potius aggravarunt. Oleum quoq; amygdal. dulcium nec non ol. olivar. & lini aliquoties, ſed ſine ſingulari fructu, bibit. Ad atrociſſimos hoſce dolores compeſcendos, nullū remediū majus ſolatium attulit, quam Pilulæ Theriacæ cœleſtis, & Pulvis lapidis Bezoardici Orientalis, quarum pilularum una vice grana quatuor, & Pulveris lapid. Bezoard. Or. grana quinque in vino malvatico ſumſit, ac per aliquod temporis ſpacium aliquale levamen ſenſit, atque quievit. Externè inſeſſus ac balnea, herbis, floribus, radicibus & ſeminibus emollientibus ac anodynis imprægnata, nec non diverſos ſacculos, furfuribus, ſemine carvi, & ſale toſto impletos ventrique impoſitos, quin etiam veſicam bubulam lacte, herbis, floribus & ſeminibus alterato repletam & applicatam,

ut & olea, emplaſtra, & Unguenta lenientia, ſed omnia ſine ſingulari commodo) uſurpavit.

II. Ad Cardialgiam auferendam, ſtomachumque roborandum, Electuarium ex Conſerva menthæ, Elect. diacydon. ſimpl. Theriac. Androm. & Philon. Roman. cum Syrup. papav. err. invicem mixtis, It. Elix. Propriet. Paracelſ. & Trageæ ex Cinnam. Nuc. moſch. Macere, caryophill. Corall. rubr. præp. CC. præp. Ocul. Cancr. præp. & ſaccharo propinata ſunt, quæ tamen, (exceptis Trageis) ferre non potuit; Pilulas Theriacæ cæleſtis, ac Vinum Hiſpanicum & Malvaticum, cochleatim ſumptum, non ſine levamine & refectione virium toleravit. Externè Emplaſtrum ſtomachicum de cruſta panis & de Tacamahaca, cum Ol. Maſtich. & Cydon. malaxatum, item cataplaſmata ex tritis cruſtis mellitis, aromatibus mixtis, vinoque Hiſpanico ad formam pulmenti coctis, adhibita, regioque ventriculi Oleo nuciſtæ inuncta, pulvillisque calidis ſemper munita fuit.

III. Contra hypochondrii inflationem & dolores punctorios in ſiniſtro latere ſub coſtis ſpuriis circa regionem lienis, Patiens internè cremore Tartari, cum Oculis Cancr. permixto; externè, inunctione cum Ol. chamomill. & de Capparibus, nec non Emplaſtro de meliloto Cerato de ammoniaco permixto, oleoque de capparib. malaxato, uſa eſt.

IV. Uteri vaporibus tetris & malignis Cor caputque petentibus, animique crebriora deliquia invehentibus, internè aquis cordialibus & hyſtericis, ac Tinctura Bezoard. Michaelis, (quam ferre non potuit) inprimis v. pillulis Theriacalibus cæleſtibus, externè v. aq. odorif. Reginæ Hungariæ (Eau de la Reyne d'Hongrie,) quæ illam optimè refecit, ſubventum eſt.

V. Febris ſeqq. pulveribus antifebrili & bezoardico, alternatim ſumptis, felici ſucceſſu expugnata fuit. ℞. CC. philoſ. præp. Corall. rubr. præp. Ocul. Cancr. præp. Eboris ſine Igne calcinat. Magiſt. Saturn. āā. ℈iß. M. f. pulvis, de quo ante horam

ram paroxyſmi ℥ß. in aq. Cordiali ſumatur. Pulvis verò Bezoardicus compoſitus fuit talis. ℞. Gelatin. CC. ℨj. Ebor. rec. in Alcohol. redact. ℨjß. Matr. perlar. præp. ℨß. Ocul. Cancr. præp. ℨj. Lap. Chryſol. præp. ℈ij. Lap. Bezoard. Or. ℈j. Spec. diamargarit. frig. ℨjß. Sal. Corall. ℈ß. M. f. pulv. priori modo utendus.

VI. Ad Arthritidem, (poſt tuſionem venarum ſaphenarum, materia videlicet peccante ſale volatili ſcorbutico imbuta, & cum ſanguine â Centro ad peripheriam parteſq; externas propulſatâ, obortam) exterminandam, internè, manè drachmam unam, & veſperi circa horam quartam drachmam dimidiam de ſeq. pulvere cum aq. ſerpilli lumbricata ſumſit. ℞. Lumbric. terr. præp. ℥ß. CC. philoſ. præp. Ungul. alcis præp. ãã. ℨij. ſem. aquileg. ℨj. Ol. nuc. moſch. expr. gr. iiij. Sacch. finiſſ. ℥jß. M. f. pulv. ſubtil. Externè, pedes, manus & brachia axungia humana, Unguentis anodynis, Cataplaſmatibus, Oleo chamomill. lumbric. ac anethi invicem mixtis ſpiritu lumbricorum, &c. inuncta, & continua impoſitione ſacculorum furfuribus calidis repletorum mitigata fuere, à quibus remediis dicta incommoda omnia in meliorem ſtatum redacta fuerunt.

Quia verò adhucdum cibos, præſertim verò carnes averſabatur & abhorrebat, ac continua nauſea cum propenſione ad vomitum ægram torquebat, alvuſque naturale ſuum officium facere recuſabat, ſtomachuſque continuè dolebat, ac proinde materiam vitioſam, putrilaginoſam & corruptam plicis ventriculi tenaciter impactam eſſe non ſine ratione ſuſpicabatur, Patiens diſtinctis vicibus ac temporibus Syrupi Emetici ℥j. hauſit, ac materiam ſpumoſam, viſcidam, bilioſam, & porraceam, optimo cum ſucceſſu & levamine, copioſiſſimè evomuit.

Tandem, ſeq. ſacculum laxativum quinque vini quartariis immerſit, ac quotidiè manè jejuno ſtomacho dimidium quartarium bibit. ℞. Herb. abſynth. Cardbened. Centaur.

min. agrimon. ſcolopendr. capill. Ven. Chamædr. fumar. āā. p.j. Rad. 5. aperient. maj. āā. ℨj. helleb. nigr. præp. Calam. aromat. caryophillat. āā. ℨij. Cortic. tamariſc. Cappar. āā. ℨij. Rhabarb. ver. ℨiij. fol. ſen. el. ſ. ſt. ℥j Jalapp. Turpeth. opt. Agar. troch. polypod. qu. āā. ℨij. Cinnam. ℨj. Macis ℈j. Crem. Tart. ℨij. Chalyb. c. Sulph. præp. & in petia ligat. ℥j. M. & conciſ. f. cum ſyndone alb. nodulus. Quod vinum medicatum optimè conduxit, appetitus cum ſomno naturali antea per multas ſeptimanas interrupto, rediit, alvus naturaliter reſpondit, corpus quotidiè cum viribus incrementum ſumſit, & ſic per Dei gratiam præter cunctorum ſpem ac expectationem convaluit. Toto decubitus tempore hypocauſtum fuit tolerabiliter calidum, cibi facilis concoctionis & confortantes, ſed ob nauſeam pauci; Potus, decoctum CC. hordei, prunor. & paſſular. minor. cum ſem. anis. & fœnic. ut & vinum album Necarinum, quod ferre potuit, ac ab illo, (quia cibos ſumere non poterat) vires recepit & conſervavit. Balneum Krumbacenſe, quo jam utitur, ex voto proficit, ita, ut jam ſtabilis futuræ ſanitatis nullum dubium exiſtat.

## OBSERVATIO CLXV.

## D. EBERHARDI GOCKELII.

# Tumor ſiniſtri brachii circa Ulnam ingens & horrendus, ab infelici Venæſectione obortus, lethalem hæmorrhagiam & gangrænam minitans, ex voto curatus.

ADamo Zech, Murario Elchingenſi, annos viginti tres habenti, Anno 1691. die 24. Septembris Styl. Novi, à Simone Schalck, Balneatore ejus loci Vena baſilica ſiniſtri brachii aperta & pertuſa, atq; ſubjecta arteria tacta.

tacta fuit, ubi ſtatim ſanguis arterioſus magno cum impetu ac ſaltu, nec non inſequente magno tumore ac dolore erupit, quem dictus tonſor vix compeſcere potuit, nec ejus deinceps ulteriorem curam habuit, nec decentia & convenientia remedia applicavit. Cum verò malum hoc cum incremento tumoris & doloris quotidiè augeretur, ac Patiens balneatoris auxilium & medelam anxiè deſideraret, inſulſus hic raſor nihil aliud, quam aſſiduum laborem & operationem manuariam pro reſolvendo & conſumendo tumore miſero huic homini ſuaſit; Cujus Conſilii obſequium Patientis affectum indies auxit, eundemque in deteriorem ſtatum conjecit: Elapſis deinceps ab hac infelici venæſectione ſeptem hebdomadibus, prænominatus Patiens Ulmam ſe contulit, ibidemque Georgio Riedlino, Chirurgo longâ Praxi exercitatiſſimo, brachium hoc peſſimè diſpoſitum, maculaque livida in loco venæſectionis notatum, & capitis magnitudine intumefactum monſtravit, ipſiusque Conſilium & auxilium imploravit, cui dictus Chirurgus indicavit, quod non aliter judicare poſſit, quam quod hoc malum ab infelici Venæſectione & ſimul apertione arteriæ provenerit, ac proinde Patiens tam ratione inſequentis hæmorrhagiæ formidinis, quam accedentis corruptionis, putredinis & gangrænæ, in maximo periculo verſetur: Quod ipſum hâc de re Judicium Balneatori quidem notificatum eſt, quod autem flocci pependit, & quod hoc ipſi ex invidia & malevolentia imputetur reſpondit, nec auxiliatrices manus cum ullo effectus à primo læſionis tempore, uſque ad diem 2. Martii, St. N. Anno 1692. admovit, multò minus huic affectui remederi potuit. Quapropter prænominata die Martii, dictus Patiens doloribus vix tolerabilibus cruciatus totoque corpore defatigatus, & contabeſcens ſupra nominatum Chirurgum Riedlinum de novo adiit, ipſiusque opem & auxilium efflagitavit, qui verò hanc curationem ob inſigne malum & periculum ſupervenientium peſſimorum ſymptomatum ſolus, ſine præſcitu & conſenſu Domini loci,

&

& prævia inſpectione per Deputatos juratos Chirurgos aggredi recuſavit, quam inſpectionem tandem Patiens conſentiente Magiſtratu utriusque loci obtinuit. Præfati itaque deputati Chirurgi poſt ocularem hujus brachii inſpectionem unanimiter judicarunt, quod hoc malum à tacta & aperta per phlebotomum arteria oriatur, & ſiniſtram ac inconcinnam balneatoris tractationem & negligentiam, demandatumque ab ipſo laborem & operationem manuariam aggravatum fuerit, quâ de cauſa facilè fieri poſſit, ut aliquoties tentatum, ſed identidem refrenatum periculoſiſſimum ſanguinis profluvium, (quod à grumoſo ſanguine interpoſito hactenus impeditum atque coercitum, & ſic arteria ſuccedente tempore conglutinata & conſolidata fuit.) Cum gangræna & corruptione brachii, ſubſequatur.

Hâc inſpectione finita, Chirurgus Riedlinus in nomine Domini Curationem aggreſſus eſt, & Patientem ſequenti modo per convenientia Remedia tractavit. Primò, totum brachiũ circa partem affectam Emplaſtris confortantibus, digerentibus & exſiccantibus ad Rupturas videlicet, & Stictico munivit, quæ Emplaſtra multô ſeroſi humoris guttatim extraxerunt. Secundò, Cataplaſmata ex farina hordei volatilis, bolo armena, gallis, fabis, mica panis, &c. & ſale tart. cum lixivio coctis quotidiè bis calidè applicavit, ſed tertio vel quarto quovis die ob excoriationem epidermidis Unguentis refrigerantibus & ſiccantibus, nempe de Ceruſſa, &c. exſiccavit; quibus remediis eouſque curationem continuavit, donec natura in loco affecto, circa regionem læſæ arteriæ materiæ interclusæ per maculam lividam ruptam viam aperuit, per quod foramen, quod in dies ſpacioſius apparebat, quotidiè, (& hoc per 6. vel 7. dies) magna fruſta, (partim magnitudinem pugni æquantia) ſanguinis coagulati, grumoſi & corrupti, carnoſam ſubſtantiam redolentis, magno cum fœtore excernebantur, ſicque illud ſpacium inter cutem & carnem exonerabatur. Hinc Tertiò ſpatium illud vacuum intercutaneum per lavamentum ex her-

bis

bis traumaticis & mundificantibus, prunella, Veronica, plantagine, agrimonia, ſcordio &c. cum melle roſarum coctis, paratum & injectum repurgavit. Et tandem Quarto, per Emplaſtrum, ſplenia & faſcias cutim ac ſubjectam carnem ad mutuum contactum arctè ligavit & reunivit, ſicque Patientem Dia favente gratia priſtinæ ſanitati reſtituit atque dimiſit.

## OBSERVATIO CLXVI.

## D. EBERHARDI GOCKELII.

# Convulſiones Epilepticæ per uſum Acidularum & excretionem animalculi curatæ.

ANno 1646. (referente Excell. Dn. D. Beutelio.) Nobilis Auſtriacus, nomine Erndler, qui convulſionibus epilepticis multoties divexabatur, Acidulis Hornhuſanis, in Saxonia ſitis, (ubi tum temporis ultra triginta millia hominum ad recuperandam bonam valetudinem concurrebant) uſus eſt, qui ex harum crebriori potu animalculum lacertam referens, in capite viridi, in ventre vero rutilo colore tinctum per ſeceſſum egeſſit, quod prædicto Domino Doctori ſtatim poſt excretionem monſtravit, & ſic ab illo excretionis tempore ab hoc horrendo ac miſerabili affectu dirisque paroxyſmis feliciter liberatus fuit.

[*Miſſa Norimbergam d. 1. Junii, An. 1692. ad D. Wurffbainium.*]

## OBSERVATIO CLXVII.

## D. CHRISTOPH. HORCHII.

# Ephemeris tophi, qui ex oſſe carioſo propullulârat, ſectione ablati.

CUm anno M. DC. LXXXIX. Bernæ commorarer apud Albertum Baurenconigium, Noſocomii ea in civitate Chirurgum, ſi unquam fuit quisquam, ſane rationalem, & propterea ſuo merito inter Helvetios celeberrimum, cum multa addidiciſſe me ex ejus inſtitutione perquam utilia, non ſine gratæ mentis ſenſu recordor, cum & ſubinde illius moderatu & manuductione firmatum, graviorum nonnunquam affectuum curationes ſuſcepiſſe pariter, & perfeciſſe, ex DEI gratia, ad votum ac ſalutem decumbentium, uti agnoſco ingenue, ita ſoleo commemorare libenter.

Ex plurimus unicum nunc proferre operæ pretium non plane nullum fore confido, ut ex nuda & ſimplici rei ipſius narratione pateat, quo pacto graviſſimi & curatu ſatis periculoſi affectus medicinam expertus fuerit juvenis præſtantiſſimus, qui tum temporis ad artem excolendam eadem in urbe agebat. Argentoratum is patriam habebat, in qua ante annos quatuor & viginti lucem primo adſpexerat, ſanus de cætero ac vegetus, niſi quod à duobus annis gladio vulneratus fuerat in pede ita, ut anterius tibiæ os punctione haut perfunctoria fuerit læſum. Quod vulnuſculum licet coaluiſſet facile, ac res omnis bene exacta videretur, tophi tamen ex oſſe percuſſo protuberantia adeo impediri non potuerat, ut jam fere gallinacei ovi magnitudinem referret, non ſine inſigni pedis gibberoſam faciem præ ſe ferentis deformitate. Nonnunquam in medio hujus tuberis puſtula extabat, ſed minima, & parum ſeri profundens. Cum igitur nemo fere Chirurgorum hujus mali ablationem in ſe vellet ſuſcipere,

ob

ob ſummum dolorem, quem exciſio concitatura eſſet, & periculum, quod ex difficillima vulneris curatione emergere videretur, vinci tamen ſe paſſus eſt Baurenconigius precibus flagitantis, ut auxilium ei ſuum & opem ſalutarem addiceret, indeque omnibus prius exacta mentis trutina penſitatis, hic fuit curationis modus ac ſeries:

XIII. Aprilis anni principio memorati vulnuſculo pridie ſua ſponte adaperto immittebatur turunda ex linteis diſcerptis.

XIV. & XV. Hæc ita ſibi relinquebantur.

XVI. Coiverat vulnuſculum turunda foras propulſa.

XVII. Idem denuo recrudeſcebat madore, ſed modico perfuſum.

XVIII. Cum tantillo humoris ejectum fuerat minutum oſſis ramentum, idemque acutum, à liquore nutritio, qui ex ſtagnatione acrimoniam contraxerat, ſeparatum & extra cutem propulſum.

XIX. Ipſam excidendi tuberis moleſti operam ita ſumus aggreſſi horis matutinis. Ego quidem pilis novacula deraſis cutem retrahebam, dum Baurenconigius eam incideret ad longitudinem tophacei concrementi; tum attollebam vulneris extrema ut cruciatim ſecarentur, quouſque tophi latitudo protendebatur. Atque his ita exactis, orisque vulneris ita diductis, ut nudum tuber extaret, plane iſtud carioſum & inconditum, ſeparato prius, pericharacteris ope, perioſteo removebamus, calloſumque idem deprehendebamus, ita tamen ut cultro facile cederet. Sanguinis largior fluxio cohibebatur carptis linteolis & contortis, labriſque dilatatis emplaſtrum imponebatur & fomentum ex herbis vino coctis. Ipſe æger gravi onere liberatus tibialia pedi inducebat, ſatis ea quidem ſtricta, & in muſeum aſcendebat per ſcalas ſolus, nec ullius ope indigus. Prima à prandio hora dolorem percipiebat ſatis acutum, ob deligationem ſtrictiorem, unde lectulo affixus detinebatur. Itaque cum ſub veſperam inviſerem

ſerem, quiritationibus ejus motus tibialia detrahebam, ſanguinemque deprehendebam per lintea transſudaſſe. Hinc facile mitigabatur ſenſus doloris, pede laxius deligato, qui & novo fotu mulcebatur.

XX. Sanguis rurſus transſudaſſe deprehendebatur, nec gratum adeo ſpirans odorem. Dolor ægro erat tolerabilis, niſi ubi pedi inſiſteret, aut incederet. Febriculam ſubeſſe monſtrabat pulſus citatior. Detecto oſſe minimas quaſi ex ejus poris adapertis carunculas excreſcentes conſpexi, quas vitrioli ſtagmati depaſcendas dabam, cujus attactu ſummopere commovebatur clinicus, ad animi uſque deliquium, cum tamen heſternam carnificinam Heroico prorſus animo & invicto ſuſtinuiſſet. Forte acidiſſimi liquoris guttula diffluens delicatum & mollem perioſtei ſenſum concitaverit. A meridie algere nonnihil videbatur, ad leviſſimum tactum ſummos dolores & cruciatus exclamans. Recreabam fomento. Sub veſperam digeſtivo ſuppurationi proſpiciebam. Dabatur & enema alvo ad fecum ejectionem proritandæ.

XXI. Nocte præterita ab aſſumpto diaphoretico ſudaverat. Vulneri molliſſimus etiam tactus erat ſumme dolorificus, ut vix ferret linteamenta, præſertim in angulis inciſionis. Oſſis ſuperficiem fungoſa caruncula infeſtabat. Vulnus tegebam linteis digeſtivo infectis, ejus labiis modice elatis ac tumentibus. Veſperi ad ſuppurationem bene ſpectabant omnia.

XXII. Quieverat optime, ſuppuratio etiam belle procedere videbatur. Interior inciſionis angulus tactum non ferebat niſi cum dolore intenſiſſimo, quod perioſteum ibi non carni, ſed oſſi adhærens deprehenderetur. In oſſe ad numuli latitudinem nudato foſſula poterat conſpici, quam gladii punctura effecerat, unde omnis mali origo. Ex ea eminere videbatur caruncula, ſpecilli tactum utcunque perferens, cum chalcanthi ſpiritu jam eſſet adeſa, impediebat tamen, ut non

poſſet

poſſet accurate explorari foſſæ hujus ſeu crenæ profunditas. Deligabatur uti antea. Veſper novi nihil vehebat.

XXIII. Dolore excruciatus fuerat à prima noctis hora in diem uſque. Emplaſtro amoto pus ſatis copioſum videbatur. Labia vulneris tumebant. Dolor tamen in angulo inferiori nonnihil ceſſârat. Foſſula tibiæ inſculpta latior nunc apparebat, ex qua luxurians caro vitrioli ſpiritu humecta dolorem concitabat ferme nullum, neque deligatur quidem de graviori moleſtia querebatur. Ad veſperam tumentia labra imbui aqua vulneraria, quæ paratur ex æquis partibus aquæ calcariæ & mercurialis, cum chamæmeli floribus, ſcordio, abſinthio, ruta, ceruſſa item & olibano decoctis. Emplaſtro pariter inductum fomentum, è ſcordio, abſinthio, & ruta aquæ calcariæ incoctis.

XXIV. Optime quieverat ſine cruciatu dolorum. Suppuratio etiam bene procedebat. Labiorum tumor paullum deſcediſſe, eaque nonnihil contractiora obſervabantur. Carunculam ex oſſis crena propullulantem denuo attrectavi ſpiritu vitrioli, unde dolor mediocris. Veſperi cum accederem, gravius indoluiſſe per diem narrabat. Deligabatur uti prius, linteamentis ex aqua vulneraria humectatis.

XXV. De ſtrictiore ligatura conquerebatur. Suppuratio fuerat levior. Carunculam ex oſſe protuberantem cultello parum radebam, unde nullus ipſi ſenſus, niſi ubi profundius penetraſſet ferrum. Itaque oſſe ſiccis linteorum hapſis contecto, vulnus ipſum curabatur aqua phagedænica liquore chelidonii ſtillatitio contemperata, unde moleſtus initio dolor, ſed mox ceſſans. Phagedænica iſta aqua ex arſenico, mercurio ſublimato, chalcanthi ſpiritu, ſpiritu item vini rectificato, maſtiche, & aqua pluvia conficitur, & in quamplurimis affectibus egregios præſtat effectus. Circa malleolum externũ gravativo dolore affici ajebat, cui ſacculum propterea impoſui è betonica, chamæmelo, ruta, abſinthio, ſcordio, malva, mentha, aliiſque quæ ad hunc cenſum pertinent, paratum,

& in aqua calcis vivæ percoctum. Ad veſperam aqua phagedænica rurſus in uſum veniebat, ſed minus temperata, ad conſumendam carnis excreſcentiam. Cum & dolores in angulo vulneris remiſiſſent, linamento tortili diducere labra tentavi, ut nuda pateret tibiæ crena, cujus parietes in tuber elati gibberoſam pedi formam induxerant.

XXVI. Nox quieta fuerat. In vulnere ſiccata omnia. Luxuriantem carunculam olei ex ſtibio guttula tetigi dolore decumbentis vix ſenſibili. Externe linteolum digeſtivo perlitum impoſui. Sub veſperam inviſenti caloris interdiu ſenſum percepiſſe dicebat. Hinc ferreo gladiolo emortuam carunculam ab oſſe ſeparavi, unde ſanguis proſiliebat ex læſa arteriola, cujus tamen fluxus volſis linamentis mox fuit cohibitus. Interior crenæ facies quaſi eſchara obducta apparebat: ungebatur digeſtivo, calore fomenti procul habito, non quidem eam ob cauſſam ne ſanguis calido proliceretur è rupta arteriola, ſed magis ut reprimeretur infeſtæ carnis luxuries, quæ calore alias foveri ſolet, & vires ſumere.

XXVII. Mediocriter habuerat. Eſcharæ pus fundebant. Quare oſſe carptis linteis tecto, digeſtivum vulneri imponebatur. Veſpera ingruente aquam vulnerariam, de qua ſuperius, applicabam, ne crebrior digeſtivi uſus carnis proventum augeret.

XXVIII. Vulnus dilatabatur immiſſa ſpongiæ ſiccæ & compreſſæ particula, quæ in ceram hydrargyro ſublimato mixtam prius intincta fuerat, ut os nudum eo melius pateret inſtrumento perforatorio. Caruncula ad lentis magnitudinem ex crena propullulans dolebat ad tactum, & ſub veſperam iterum vitrioli ſpiritu ſollicitabatur. Spongia etiam denuo immittebatur; vulneri vero admovebatur balſamum Arcæi vulnerarium.

XXIX. Nox inquieta fuerat ob dolores acutos. Vulnus mediocriter ſuppurabatur, ejuſque labia collapſa erant & adſpectu læta. Oſſis pori prope crenam patentiores apparebant humo-

humore transſudante conſpicui. Ipſius crenæ latera exteriora cauterio perurebantur, unde dolor ſatis atrox, qui mox atrociſſimus reddebatur, ubi in crenæ profunda urgeretur candens ferrum. Tum os quidem digeſtivo, vulnus balſamo delibutum colligabatur. Reliquus dies dolores tulerat, ſed modicos & ſatis tolerabiles. Sub veſperam ſuppuratio valde aucta. In inferioris labii angulo albicans puſtula extabat unguiculi magnitudine, quæ lympham repetitis vicibus ſtillabat.

Calendis Martii ſuppuratio obſervabatur, qualis deſiderari poterat. Caro nimis increſcens dilabatur linteis carptis. In foſſula dolor acutiſſimus recrudeſcebat ad tactum quantumvis leviſſimum. Deligabatur ut heri. Ad veſperam parietes foſſulæ ſatis profunde perforabantur tribus in locis, ex quibus ille, qui foſſulæ proximus, doloris nonnihil ferebat, ex altero profluebat ſanguinis guttula In crena ipſa ſenſus exquiſitus perſiſtebat. Oſſi carpta admovebantur ſicca, vulneri eadem imbuta aquis uſitatis. Puſtula ſerum fundebat.

II. Martii Dolores noctem fecerant inſomnem. Unum ex foraminibus heri factis hodie ferro denuo adacto profundius fiebat, ſanguine non amplius exſtillante. Os ipſum habitum præ ſe ferebat inamœnum, inſtar ferme ligni putridi. Alter parietum ex perforationibus magis ad planitiem redire videbatur. In ſuperiori crenæ parte dolor exquiſitus, ſi tangeretur, perſeverabat. Ceterum vulnus carne replebatur ſummopere & balſamo Arcæano recreabatur, carptis ſiccis oſſi inſtratis, quæ & deligatio veſperi repetebatur.

III. Nox quieta fuerat. Os amplius perforabatur, ſucceſſu bono, ad protuberantias importunas penitus eradicandas. Dolor in crena, ſuperiora verſus perſeverabat. Os ita detectum & undique perforatum tegebatur linteis carptis ſpiritu vini camphorato imbutis, labia balſamo mulcebantur. Conſilium capiebamus inciſionem ſuperiora verſus amplius producendi, ut pateret quo uſque crena excurreret, quo tota

tota circumcirca fodicata ſeparari poſſet ab oſſe ſano & incorrupto. Quare Vena hodie ſecabatur in brachio ad avertendam inflammationem.

IV. Crenæ partes, ubi eminebant, perforabantur amplius inſtrumentis quidem obtuſioribus, curabaturque quantum poterat, ut foramina in unum proxime tractum jungerentur. Idem & veſperi fiebat, deligatioque hactenus conſueta retinebatur.

V. Caruncula ex crena excreſcens ſtibii oleo contingebatur, labiis vulneris, quantum fieri poterat ſpongiarum ope dilatatis, hinc dolor per hanc diem ſatis erat gravis. Veſperi livida apparebat vulneris facies, & cadaveroſa, qualis fere ſolet eſſe mortuorum piſcium, ab olei antimonialis tactu ita decolorata. Adhibebantur amplius ſpongiæ in ceram compreſſæ & vulnerarium Arcæi balſamum.

VI. Foramina in oſſe facta linteis carptis ſtrictim contortis & camphorato vini ſpiritu imbutis replebantur, ad præcavendam cariei progreſſum, aeremque externum & quæcunque oſſi eſſent inimica, procul arcenda, hinc ſpongiæ dilatatoriæ particula vulneri immittebatur, idemque delinibatur digeſtivo. Circa veſperam de dolore conquerebatur, ſed tolerabili. Labia vulneris optime erant dilatata, ut os nudum pateret oculis. Deligabatur uti antea.

VII. Eadem erat deligatio, & foraminulorum infarctus, eſchara in caruncula quæ ex crena ſuccreſcebat, facta operiebatur linteolo cui digerens medicamentum illitum. Inde ſpongiola ſuperimpoſita, quæ & injectis linteis carptis anguſtius comprimeretur.

VIII. Nox turbulenta fuerat ob dolores à ſpongiæ extenſione coortos, optime enim vulnus dilatatum conſpiciebatur. Foraminulis novo infarctu oppletis, caruncula ex crena propullulans, quæ ad minimum tactum ſummopere dolebat, oleo ſtibii rurſus laceſſebatur, ſpongiiſque immiſſis vulnus deligabatur. A meridie ſumi dolores cruciabant, & lecto

tene-

tenebat affixum, ceſſabant tamen mox à religatione, & per intervalla ſaltim pungebant. Sub veſperam cum accederem, dilatatio vulneris, cui tamdiu fueramus operati, tandem perfecta videbatur, finem enim crenæ, qua verſus ſuperiora excurrebat, dabatur conſpicere. Perforatorium tamen noſtrum triangulare admovere non audebamus ob exquiſitiſſimos carunculæ dolores, quare & absque olei antimonialis uſu tum res componebatur.

IX. Dolor fuerat tolerabilis; pus aderat ſatis copioſum, ſanguinolentum tamen. Cum exquiſitiſſimus in crena ſenſus triangulare perforatorium non pateretur, ſuperior ejus terminus ſimplici ſaltem modo fodicabatur. Antimonii etiam oleum, quia parum efficax hactenus fuerat ad tollendam carunculæ propullulantis ſenſibilitatem de actuali cauterio cogitatum fuit. Ipſe æger generoſo animo non conſentiebat ſolum ut ferrum & ignis ſuas hîc partes agerent, ſed &, cum allata eſſent cauteria duo, quorum unum crenæ, alterum foraminulis in oſſe factis reſponderet, ipſe ſubinde manum operi commodabat, ut ita quinque repetitis vicibus perurerentur carioſa. Quibus ita feliciter exactis, ſero, quod copioſum exſudaverat, deterſo, infartisque foraminulis, ſpongiæ particula orbicularis oſſi denudato imponebatur, huic alia rurſus, atque alia identidem, quæ firmabantur demum omnes carptis linteis ſuperimpoſitis. Vulnus balſamo Arcæi delibutum colligabatur. Sub veſperam dolores referebat fuiſſe modicos.

X. De doloribus querebatur gravioribus. Pus aderat ſufficiens, labiis vulneris ſatis turgidis. In inferiori tamen parte firmiſſime adhærebant oſſi caro & perioſteum, & in altero potiſſimum crenæ latere ſupererat dolor. Igitur ægro conſentiente latus iſtud, & carnem, qua os tegebat, cauterio nonnihil vellicabam, unde cruciatus ingentes: poſtea ſpongias intrudebam dilatatorias. Circa veſperam febriculam patiebatur æger. Suppuratio optima; dolor tamen necquidquam

remiſerat. Fundus crenæ, qui hactenus mollis fuerat & ſenſu acuto præditus, nunc oſſis duritiem induerat, ſpecillo indice, cujus & attactus ſine moleſtia perferebat.

XI. Repetebantur uſtiones cauteriis candentibus, carni tamen adjacenti parcebatur. Deligabatur Spiritu vini camphorato.

XII. Oſſi & ejus foraminibus abſterſis diapaſma inſpergebatur ex myrrha, aloe, euphorbio, olibano, maſtiche, ariſtolochia rotunda, ſpongiolisque impoſitis deligabantur. Sub veſperam eadem eluebantur ſpiritu vini camphorato, novumque diapaſma adhibebatur.

XIII. Os exuſtum candicare nunc incipiebat. Senſus ipſi, ad duriorem licet ſpecilli explorationem, nullus. Pulveres heri inſperſi etiam hodie injiciebantur tam mane, quàm veſperi. Vulnus aqua ſæpius jam memorata humectabatur. Per plateas nunc inambulare poterat non æger amplius ſed magnis paſſibus ad vegetam valetudinem contendens, abſq; incommodo, niſi quod circa malleolum internum nonnihil inflammatus pes, ſed ſine impedimento, videretur.

XIV. & XV. Optime ſe habebant omnia, neque quidquam mutatum.

XVI. Ut maturaretur partium in oſſe carioſarum à ſanis ſeparatio, ante diapaſmatis uſum illinebatur Guajaci extracto.

XVII. Calli nunc rudimenta apparebant tum in fundo foraminis excavati, tum & in ipſa crena, quare & emmoto iſto cum diapaſmate applicato, linteamentis contortis obturabantur hiatus oſſei, his diplomata imponebantur ad firmitudinem majorem, atque ita ſtrictim deligabatur, ut ſcilicet hoc pacto, libera calli exundatione impedita idem eo fortius premeret carioſa ramenta, urgeretque donec penitus ſoluta faceſſerent.

XVIII. Calli accretio optime procedere videbatur, nondum tamen vacillabat pars corrupta, quæ colore quidem ſubflavo

flavo, ſubſtantia cernebatur ſpongioſa, humore tenui cavernularum anguſtias interlabente. Cutis diſciſſæ ora, ab aquæ uſu nimiam ſiccitatem contraxerant, quare ne & hæc intempeſtiva ratione callum conciperent, procraſtinarentque adeo modo importuno lætum, qui ſperabatur, curationis exitum, mature cavebatur. Propterea obturatis, uti præterita die factum fuerat, oſſis anfractibus, vulnus emplaſtro muniebatur, quod confectum ex olibano, ceruſſa, mumia, maſtiche, lapide calaminari, vitriolo albo, terebinthina, oleis ovorum & juniperino, camphora, cera, colophonio & reſina.

XIX. Hujus emplaſtri uſus continuabatur, incarnans tamen ejus vis nondum tempeſtiva ſimul advertebatur.

XX. Ne caro nimis luxuriaret, humectabatur rurſum vulnus aqua nobis uſitata, quam ſupra diximus ex æquis aquæ calcis vivæ, & mercurialis partibus conſtare, huic & admiſtum fuerat nonnihil terræ vitrioli edulcoratæ, atque dum demum emplaſtrum modice in panno diductum ſuperimponebatur.

XXI. Pus ſolito copioſius obſervabatur, & alicubi cruentum. Ceterum optime valebat clinicus noſter, & grabatulo relicto totos nunc dies per plateas inambulare poterat nullo incommodo. Callus indies augmentum recipiebat, quem linamentis fovi ſiccis, reliquo apparatu his injecto. Vulneris etiam labra optime habebant, quæ fomento juvabantur.

XXII. In eorundem auxiliorum uſu perrectum fuit, neque quicquam obſervatum varietatis.

XXIII. Puris minor copia. Caro vero ad os tuendum belle increſcebat, quod volſis linamentis guajaci extracto nonnihil infectis demulcebatur. In duobus foraminibui, quæ ultimo facta fuerant, nullum adhuc comparebat calli rudimentum, eademque & ceteris magis nigricabant.

XXIV. Succeſſus in omnibus erat optatus.

XXV. Optime habebant & ipſa crena & foramina circa

 eam

eam ferramento exciſa, exceptis duobus poſtremis, in quibus nondum calli initia poterant deprehendi.

XXVI. In altero iſtorum foraminum prima ad callum ſtamina ſublato nigrore oſtendebatur.

XXVII. Nihil novi.

XXVIII. Puris parcior proventus. Dolores penitus ſublati. Labra vulneris magis elevata, neque tamen præter modum turgida. Nondum quidem vacillabat os corruptum, erant tamen nunc cava omnia callo pulchre plena.

XXIX. Præterito die cùm Baccho litaſſet Clinicus noſter haut parum, quam è re eſſet, ardentius, noctem is habuerat inſomnem ob dolores exquiſitiſſimos. Vulneris oræ inflammatæ nonnihil erant, itaque licet manu ſuſpenſa abſtergeretur, ſummos tamen patiebantur cruciatus, qui per totum diem durabant, ut abſceſſum metuerem. Adhærebat etiam firmiter ſanæ oſſis parti ſquama corrupta & perfoſſa quidem undique, nondum tamen effoſſa.

XXX. Commodum ceſſaverant dolores, quorum exiguus ſenſus, ubi vulnus extergeretur, ſupererat. Cum & os vellem mundare, vacillantem nunc ejus partem corruptam, & magis ſolutam deprehendebam. De cætero puris haut multum. Solum euphorbii pulverem in uſum adhibui, unde nulla morſicatio. Labia detumuerant, ut adeo eminentia, ſi qua ſupereſſet, omnis à callo accreſcente & vires ſumente veniret.

XXXI. Dolores nulli, nec rubore amplius inflammationis indice cutis & caro inficiebantur. Specillum perfectam oſſiculi à toto ſeparationem indicabat. Quod tamen vulnus nimis videretur ſtrictum & collapſum, ut commode iſtud eximi haut poſſet, ſpongiolis interjectis operabar ejusdem dilatationi, & deligabam quoque laxius.

Calendis Aprilis. Tametſi carie infectum oſſiculum undique à ſano penitus divulſum videretur, in ſuperiori tamen parte nondum prorſus ſeceſſiſſe apparebat, carni etiam ibidem

dem firmius agglutinabatur, quapropter ne hæmorrhagia forſan turbaret actus noſtros, conſultum videbatur ſepoſita vi omni ſpontaneam ejus ſolutionem præſtolari. Igitur ſolis linamentis ſiccis deligabatur, impoſito emplaſtro, & fotu admoto.

II. April. Inferior ſquamæ pars, qua plantam pedis reſpiciebat, plane equidem ſoluta à ſano oſſe, & carne videbatur, ita ut & ſpecillum in ambitum ejus circumducere libero attactu liceret; verſus tamen ſuperiora nondum ſoluta ſuis vinculis poterat deprehendi, itaque per ſex ſeptem dies naturæ ſaltim conatus arte placida molliter juvabamus.

Nono demum Aprilis die cedebat carioſum oſſis ramentum loco hactenus occupato, quod quatuor foraminibus ferro excavatis: & figura fere conica erat conſpicuum. Craſſities ejus à pure corroſa, ac propterea ſatis imminuta fuerat. Deligavi nunc pedem ſtrictim, ſiccis ſolummodo linteorum filamentis oſſi ſuperpoſitis, donec priſtina omnino forma pedi rediret, tumorque ac eminentia omnis ſublata prorſus videretur, ut ad ſextum menſis Maii, diem, cum ſeptuageſimus atque octavus à prima tuberis tractatione exactus eſſet, incolumis abiret ad ſuos, qui hactenus morigerum ſe nobis & intrepidum in perferendis durioribus præbuerat.

*An. M. DC. XCII. xv. Jun. ex caſtris Brandeburgicis ad fanum S. Amandi, Noribergam miſſa.*

## OBSERVATIO CLXVIII.
## Dn. Lic. ELIÆ CAMERARII.
# Frigida Maris in fundo Temperies Experimento comprobata.

ILluſtris Boylius (quem, ſenem licet, præmaturo terris ereptum fato fama nuper tulit, quemquè meritò omnis Eruditus orbis uno ore luget) cujus induſtriæ, neque latè patentis Athmoſphæræ vaſta moles terminum fixit, nequè ampliſſima telluris ſuperficies intimaquè ejus penetralia poſuêre limites, ipſam maris profunditatem ſcrutatus, fundum ejus jam olim, temperiem ſi ſpectes, cenſuit frigidum, ſcriptoquè mentem ſuam explicuit peculiari. Id autem novo atquè evidenti Experimento luculenter poſtea comprobatum eſt, cujus ſucceſſum Ipſe mihi, cum anno præteritô eâ de re cum Viro Optimo ſermonem ſererem, retulit, quemquè hîc inſerere in ipſius honorem placet: Capitaneo navis Africam verſus vela facientis vaſculum, quod deſtillatum Aniſi Oleum continebat, tradidit, injunxitquè ſimul, ut vaſculo ad maris fundum demiſſo, mutationes in liquore obvias notaret; Vaſculum igitur ad ſummam, quantum licuit profunditatem merſum, ibiquè diutius detentum, poſtquam celerrimè iterum eſſet protractum, Oleum, limpidum antea liquidumquè concretum exhibuit, manifeſto, prædominantis in profundo mari frigoris indicio.

Commodius certè, ad inſtituendum Experimentum iſtud, liquore hôc, corpus non poterat adhiberi; neq; enim ſufficiebat hîc numeroſa Thermometrorum familia; ſive enim incluſi aëris ſpira variè, concluſos unà liquores in tubis attollendo, vel deprimendo, ſive tenuis Vini Spiritus ſeſe expandendo, frigoris calorisquè, indicet gradus, utriusquè tamen generis Thermometra hîc erant inepta, dum præprimis

gra-

gradum frigoris, quem in fundo maris recepiſſent, transeundo per undas ſuperficiei proximiores atquè adeò calidiores, iterum perdidiſſent, aliumquè exhibuiſſent. Olei verò Aniſi ramoſæ atquè oleoſæ moleculæ, vi ignis in deſtillatione propulſæ, divulſæ atquè comminutæ, plexuquè adeò & unione carentes liberè inter ſe, inteſtinoquè, motu agitatæ, fluidum ſiſtunt liquorem, qui cum ætherem, radiosvè lucis, liberius & recti-lineo transmittat motu ſimul limpidus eſt; frigore autem accedente alius iſtis particulis motus imprimitur, ſub quo ſibi invicem nectuntur, cohærent, motuquè libero ceſſante conſiſtentis corporis faciem induit Oleum hoc, ſimul cohibendo nunc radios & reflectendo, quibus antea conceſſerat tranſitum, limpiditatem pellucidam perdit, vicesquè Thermometri in Experimento hôc ſubit, quatenus gradum Frigoris, quem ſemel recepit, haut adeò celeriter amittit.

Experientiæ verò huic, frigidam fundi marini temperiem adſtruenti, facilè adſtipulatur ratio; cum enim vel in vulgus notum ſit, ſalibus imprægnatam aquam non frigidam ſolùm reddi, ſed vel artificialem inde glaciem obtineri poſſe, hinc inferre meritò licebit, aquam marinam, ſale turgidam tumentemquè, cujus omnia ferè interſtitia tenuia ſalium ſpicula occupant, fortemquè adeò conſtituunt Muriam, frigidam in ſe, & in fundo maximè frigus ſenſibile eſſe, quò nulli evibrati à Sole radii penetrant, qui frigidam ipſius temperiem ſuo immutare motu poſſent &c.

OBSER-

## OBSERVATIO CLXIX.

## Dn. Lic. ELIÆ CAMERARII.

# Phænomena quædam ad Antliam Pneumaticam ſpectantia.

I. SUſpenſum in Barometro ab Elaſtico & gravi aëre Mercurium, eôdem Antliæ ope exhauſto, juxta proportionem Elateris (atquè adeò roboris ad ſuſtinendum Mercurii Cylindrum) decreſcentis, in tubo deſcendere, totum verò nunquam decidere plurimæ Authorum obſervationes teſtantur; ultimi quidem phænomeni cauſa haud rarò fuit exhauſtum imperfectè Recipiens, attamen, exacta licet adhibeatur Antlia, vix ad omnimodum cum ſtagnante in vaſculo Mercurio æquilibrium redibit; aſſeritquè Celeb. de Stair, aëre, quantum fieri potuit, exhauſto, cylindrum in tubulo hærentem circa digiti altitudinem Mercurio in vaſe prominuiſſe, rationem, quod Mercurius omnis non deciderit eam ratus, quòd inferior extremitas digito clauſa vix ab aëre, vel per remotionem digiti intrante, vel ex ipſo exhalante, potuerit arceri. Alius verò Vir induſtrius mihi aſſeruit, ſe eò exantlando redegiſſe Mercurium, ut vix ſexta digiti parte in tubo emineret amplius; Eôdem Experimento in eleganti atquè exacta Antlia inſtituto obſervavi Mercurium externo altiorem manſiſſe in tubo, tertia ad minimum digiti parte, infra quem terminum deſcendere tum noluit, omni licet, quantum poſſibile eſt aëre exhauſto; Videturquè adeò Mercurius ob partium ſuarum ad latera tubi congruitatem ſuſpenſum aliquomodo hærere, quod ulteriora edocebunt Experimenta.

II. Sonora Corpora in Vacuo, percuſſi inſtar ligni (huic enim ſonus iſte comparatur à nonnullis) obſcurum edere ſonum, Moderni quidam Experimentis id edocti, aſſerunt. Suſpenſa in eâdem Antlia, ex Recipientis operculo, ſerico filo, cam-

campanula, eleganter tinniens, aëre nondum ſubducto, at communicatione jam cum exteriore præclusâ, alium prorſus, nec vividum auribus exhibebat ſonum dum malleolo fortiter percuteretur; Aëre tamen exhauſtô probè, languidior atquè obſcurior adhuc evaſit ſonus; ſemper verò ſuperſtitem ſubtilem quendam atquè tenuiſſimum tinnitum, admotis propius auribus, licuit percipere. Modus verò ſuſpenſionis campanulæ dubio procul experimentum variat, (per ſolida enim corpora facilè ad exteriora propagatur ſonus) indequè contraria Authorum quorundam Experimenta primô intuitu videntur; confirmatquè hoc aſſertum D. Huygens, corpus ſonorum Goſſipio vel plumis impoſitum, aëre ſubducto nullum prorſus edere ſonum, aſſerens.

III. Aſcenſum liquorum in tubis per ſuctionem, ut vocant, preſſioni aëris ambientis eſſe adſcribendam, experimentis quàm plurimis clariſſimum evaſit; Id verò facile eſt, & rem confirmat optimè; Diſco Antliæ imponitur vaſculum aquâ plenum, cui immittitur ad fundum uſque tubus, cujus altera extremitas, patula quoquè, per recipientis ſumitatem penetrat, cochleâquè inſtructa eſt, cui reſpondet, occludens ipſam, cochlea Siphonis exactiſſimi, nullumquè aëri externo aditum concedentis; Embolo igitur Siphonis, dum plenum eſt aëre Recipiens adducto, illicò aqua ſequitur; exhauſto autem aëre, quantum licet, omni, agites Embolum Siphonis iterum iterumquè, nulla ſequetur aqua, neque vel latum unguem in tubo attolletur.

IV. Frequentibus Experimentis notiſſimum eſt prædita angulis vitrea vaſa, aëre exhauſto, ab ambientibus Athmoſphæræ Cylindris, jam prævalentibus, in mille fruſta diffringi, dum illæſa perſtant tenuiſſima licet Vitra, quæ ad Rotunditatem accedunt propius; eam verò aëris vim commodius exhibere oculis curioſis licet, ſi Cylindricum vaſculum metallicum utrinquè apertum, cujus extremitati alteri jungitur mediante cera, craſſius etiam Vitri plani fruſtum, diſco An-

tliæ, ut Recipientis ſubeat vices, imponatur, aëre enim interno, agitato Antliæ Embolo rarefacta, prævalens exterior vitrum, poſtquam rimas, egit, in fruſta commiuuit, idquè eò promptius, quò amplior Cylindri Diameter, vitrumquè adeò fuerit majus &c.

*[ A. 1692. d. 28. Junii, Auguſtam Vind. miſſa.]*

## OBSERVATIO CLXX.

## D. JOH. JACOBI WEPFERI.

# Inteſtini Jejuni laceratio, integro abdomine lethalis.

SEbaſtianus Kuttruff Neoſtadienſis ad tiliam, Juvenis 18. annorum, ſtaturæ juſtæ, robuſtus, carnoſus, bene coloratus Anno 1691. d. 20. Septembr. poſt medium noctis inter compotationem & luſum chartis luſoriis, obortis litibus ob rem nihili, magna vi humi proſtratus, pedibus conculcatus, ſupplantatus & calcatus fuit ab Auriga Rhedario Joh. Georgio Studtens / viro quoque robuſto & ebrio. Quando nocte domum redierit, ignoravit Pater ipſius Bernhard Emanuel Kuttruff / Lanio Neoſtadienſis, nam in ſtabulo pernoctabat ad ſummum mane: d. 21. Sept. mane poſt quartam imploravit opem matris expetiitque fomentum ipſi in Colica conſuetum: querebatur de magno dolore abdominis prædixitque ſibi aliquid ab hac violentiſſima calcatione in illo ruptum fuiſſe: impoſuit ipſi Epithema ex Mentha & Lagana mellita in aceto & aqua coctis confectum: quia vero nullum levamen attulit, brevi illud removit. Conquerebatur magis magisq; de doloris vehementis incremento circa præcordia & umbilicum, vocavitque urentem & talenti inſtar gravantem: dimidia hora ante obitum dicebat ſe tantos dolores pati, quos non cani imprecaturus eſſet: aſſimilavit dolores erga

ga R. D. M. Joh. Albertum Magdolff Diaconum loci, ferræ quaquaverſum tractæ circa præcordia. Impenſe ſitiit: concedebatur aqua & Vinum, ſed parce, unde aliquando adſtantibus non advertentibus erupit, culinam adiit & ex vaſe cupreo capaci multum aquæ exhauſit: plus bibiſſet, niſi balneatoris famulus vas è manibus excuſſiſſet; ſubinde juſculum aſſumſit, an aliquid panis ſimul deglutierit, non obſervatum accuratè fuit: Verum omnia brevi rurſus evomuit, propè ad extremum usque vitæ terminum. Die 21. Sept. mane poſt octavam balneator uncias tres ſanguinis emiſit: poſt venæſectionem urinam, quam primo cruentam cum ardore eminxit, claram ſine dolore excrevit: idem dedit tunc ſperma ceti cum aqua chærefolii: abdomen inunxit unguento de Alth. popul. ol. verbaſci, ſine juvamine: toto die ſæpius ad alvi ſolutionem ſtimulabatur ipſemetque ſellam adiit, nihil tamen egeſſit: Veſperi hora quarta dedit potiunculam laxantem ex Infuſ. ſenn. &c. ultra horæ quadrantem retinuit, poſtea evomuit: Verſus noctem parum fæcum ex alvo emiſit. Toto die à ſummo Mane ad ſeram Veſperam hinc inde nunc in, nunc extra hypocauſtum obambulavit, nunc huic, nunc alteri lecto, nunc ſcamno incubuit; verum nullibi, ob magnam anxietatem & dolores, diu permanere potuit: multum ſemper querebatur de tenſione abdominis: toto die facies palluit & ſudore frigido maduit. Mente ſemper conſtitit, apud Patrem culpam ſæpius deprecatus eſt. Ante 10. noctis expetiit R. D. Diaconum; advenientis ſolatium anxiè imploravit, exprobratos errores confeſſus eſt; confeſſionem clara voce edidit, ſed interrupta & anheloſa reſpiratione abſolutionem avido & fideli animo acceptavit. Sacra cœna reficiebatur: dum lecto incubuit manum nunc dextram nunc ſiniſtram occipiti ſuppoſuit, variè inquietus corpus jactavit; manus gelidæ, glaciei inſtar, erant; dum erigebat caput & pectus animam efflaturus videbatur, nihilominus R. D. Diacono ſana & devota mente reſpondit & cum ipſi exprobrata fuiſſet impenetrabilitas ab

armis, cujus particeps vulgo credebatur, ſancte teſtatus ſe ab hoc crimine alieniſſimum eſſe. Paulo poſt datam abſolutionem ante 11. noctis vivere deſiit. Poſt obitum multum humoris ſubflavi turbidi viſcidiuſculi ex ore emanavit.

D. 22. Sept. Ex juſſu Sereniſſimi Principis & Domini Friderici Auguſti Ducis Würtembergici Cadaver ſectum fuit: Ante ſectionem cum Exc. Dom. Doct. Joh. Balthaſaro Feyerabendt Phyſico Halenſi Sueviæ & tribus chirurgis, præſentibus Nobiliſſimo Domino Friderico Andreæ Præfecto primario Gochzeimenſi, R. D.M.Chriſtophoro Wilhelmo Stein, loci Superintendente Speciali, aliquot Senatoribus aliisque oppidi civibus, conſpeximus anterius axillam dextram ad medium ſternum & latus dextrum pectoris atroliveſcentem, magis vero totum prope dorſum atro lividum; circa ſpinam Ilii duo veſtigia clavorum, quales calceis aliàs infigere ſolent; ſimilia quoque apparuerunt circa regionem renis dextri & duo in ſcapula ſiniſtra: magnus livor apparuit circa regionem renis dextri: Abdomen tenſum quidem erat, non tamen uſque adeo lividum: decuſſatim cuti abdominis ſecta & à muſculis abdominis ſeparata, inter ſpinam oſſis Ilii ſiniſtram & coſtas nothas dorſum verſus lancetta peritonæum caute ſecando, potius quam pungendo, perfodi, mox flatus fœdiſſimus, ſtercus & cadaver redolens, cum impetu erupit ſimulque aliquid liquoris cum laciniis paucis pinguibus membranoſis ac ſi fruſtula omenti laceri eſſent, extrudebatur; mox totum Peritonæum quoque decuſſatim diſſectum fuit: In viſum venerunt Inteſtina tenuia omnia flatibus diſtenta, anterius rubentia, veluti inflammata ſeu ſanguine ſuffuſa: Ventriculus & Colon flaccida erant minuſque flatibus turgebant, Hepar totum pallidum, molle tamen & glabrum & Lien lividus apparuit. Veſicula bilaria illæſa, non valde diſtenta. In tota dextra abdominis parte & in pelvi occurrit humor turbidus, pallidus, quem dum ſpongiis exhauſimus, reperimus folliculos ſeu pelliculas uvarum harumque arillas & fruſtula

ſtula ciborum nondum in ventriculo ſubacta, imprimis radicum paſtinacæ luteæ: In recto & portione Coli ſiniſtra plurima ſcybala craſſa compacta detinebantur. Dum Inteſtina dextrorſum ſiniſtrorſumque inclinavimus blanda manu, tandem occurrit dorſum verſus portio Inteſtini tenuis lacera & foramine amplo prædita, ex quo preſſis inteſtinis tenuibus ſupernis & infernis vicinis, prodierunt chyloſa, pallida & bilioſa & quædam in ventriculo non ſubacta: hanc portionem ſupra & infra foramen filo conſtrinximus: hinc portionem Recti, Colon cum Cœco, Ileon & maximam partem Jejuni, ſc. uſque ad portionem ligatam, exemimus; poſtea remoto ſterno Ventriculum cum liene, pancreate, duodeno cum portione Jejuni ligati ex abdomine ſubſtulimus & mox nobis conſtitit inteſtinum Jejunum duarum ſpithamarum diſtantia à pyloro, ob violentiſſimos inſultus pedibus in dorſum factos diſruptum fuiſſe ac foramen tantæ amplitudinis contraxiſſe: hæc portio Jejuni aliquo uſque atro rubeſcens erat: regio renis dextri, meſenterii dorſum verſus & ſub pancreate omnia ſanguine grumoſo admodum ſuffuſa erant: Duodenum amplius apparuit Jejuno: per inflationem conſtitit Ventriculum, Duodenum & Jejunum ad foramen uſque integra fuiſſe; hæc Jejuni ruptura facile tres pollices admiſiſſet: intus aliquo uſque quoque atroliveſcens erat. Chirurgorum famuli aquam ſuperne tenuibus infuſam per coli portionem & rectum demittere nequiverunt, donec ſcybala digitis expreſſerunt; ab illorum inflatione apparuit nullum illorum uibibi laceratum fuiſſe. Ren dexter multum paſſus ab inſultu, non tamen lacerus fuit, uti nec ſiniſter. Veſica integra erat. In pectore nihil cruoris extravaſati occurrit: Pulmones erant ſani, molles, pallidi, inflati. Cor admodum firmum erat: auricula ejus dextra & Ventriculus continebant ſanguinem partim fluidum, partim in grumum concretum, cujus porio inſtar polypi recenter concreti apparuit: ſiniſter quoque Ventriculus multum cruoris continuit. Reperta Cauſa mortis vio-

 lentæ

lentæ ſufficienti in abdomine, caput non aperuimus, quia foris ejus læſi nulla indicia occurrerunt, nec quicquam de capite querebatur.

## *SCHOLIA.*

I. Citra vulnus cutim, muſculos abdominis aut dorſi & peritonæum penetrans, inteſtinum Jejunum ab inſultu pedibus violento, potiſſimum in dorſum circa interſtitium ſpinæ Ilei & coſtarum notharum facto, rumpi potuiſſe, hic caſus docet, nam interne ibi omnia ſanguine ſuffuſa erant ibique Jejuni portio dorſo propior, diſrupta manifeſte conſpiciebatur: procul dubio citius hæc laceratio evenit ideo, quia hæc portio, ob compotationes in longam noctem factas, præter ſolitum diſtentior erat, nam poſt mortem ex lacero inteſtino iſto pelliculæ acinorum uvarum cum arillis & aliquot fruſtula paſtinacæ non bene ſubacta exprimi poterant, cujuſmodi quoque humori turbido in cavo abdominis ſtagnanti immiſcebantur.

II. Abdomen intumuit & tendebatur à flatibus extra inteſtina pulſis & ab aliis adhuc tenuibus imprimis Ileo incluſis, & à liquore ſeu ab humore turbido veluti chyloſo vel maximam partem potulento ante & poſt conculcationem largiſſime ingeſto, ex foramine Jejuni elapſo: Flatus enim Ilei non demum obortus fuiſſe ex fermentatione quadam poſt obitum facta, teſtabantur flacciditas Ventriculi, Coli & Recti & gracilitas cœci. Flatus in Ileo detinebantur magnaque parte Jejuni, quia horum motus periſtalticus ſublatus fuit ob plexus nervoſos meſentericos graviter affectos prope ortum meſenterii à ſanguine extravaſato: forte hanc ob cauſam quoque ſcibala craſſa dura, quibus plena erant, ad excretionem promovere nequiverunt, licet ſæpius toto die ad alvum ſtimularetur.

III. Dolores varii generis paſſus eſt, quos verbis ſatis exprimere nequiit: vehementiſſimos tamen fuiſſe ex multis patet, nam dixit, non diu ante obitum ſe nec canibus tales

impre-

imprecaturum; videri intus ſerram trahi circa præcordia: eſſe urentes, gravantes, tendentes: angebatur ſumme, ut nullo in loco perſiſtere potuerit, in lecto ſe quaquaverſum jactavit, manum nunc dextram nunc ſiniſtram occipiti ſuppoſuit. Inflationes tenuium inteſtinorum forte colicis ſimiles dolores effecerunt: ichor ſeu liquor in cavo abdominis contentus pondus talento ſimile effecit; ardor præcordiorum & anxietas attribuenda Jejuni inflammationi & lacerationi, ſanguini extravaſato ſub membranis meſenterii circa ſuum exortum, quia ibi plurimæ membranæ nerveæ & plexus nervini: quamvis cauſa ardoris & anxietatis dorſum verſus detineretur, tamen vel hinc patet, harum partium afflictiones illudere poſſe ac ſi cauſa circa pylorum hæreret vel non procul ab umbilico.

IV. Vomitum aſſumtorum omnium ſtatim poſt ingeſtionem fieri poſſe illæſo Ventriculo ejuſque pyloro & duodeno, hic caſus abunde teſtatur, nam nullum his in partibus vitium apparuit, ſed in inteſtino prope duarum ſpithamarum diſtantia inde ſito, non ſecus ac in Ileo quandoque fieri ſolet talis vomitus.

V. Pallor faciei ſtatim poſt conculcationem eveniens duranſque cum ſudore frigido & extremorum geliditate, dum interna urebantur, non proveniebant â larga aliqua ſanguinis profuſione in cavitatem abdominis, aut pectoris facta, nam nullus cruor in cavo pectoris aut abdominis apparuit; ille verò qui membranis dorsũ verſus ſuffuſus erat, non tantus reputari poterat, ut illi hic effectus adſcribi potuerit, cum ſæpe plus in mediocri V. S. profundatur: attribuenda hæc ſymptomata videntur potius C. S. imminutæ ob graviſſime afflictos nervos meſentericos, ſæviſſimos cruciatus gangrænam Jejuni &c. ob quam cauſam Cor ignavius ſanguinem primum promovit unde in cordis Ventriculis magis magis ſubſtitit, in grumos concrevit, imprimis in dextro Ventriculo, unde etiam reſpiratio tandem anheloſa facta fuit; tandem Cor ſuccubuit motuque omni privabatur & mors ſequebatur, idque eò citius,

quia

quia nulla re refocillari potuit, nam omnia aſſumta vomitu rejecit, externa verò nihil efficere valuerunt, ut vires inſtaurarentur. Epar quoque pallidius apparuit non tam propter ſanguinis aliquam profuſionem prope ejus portam ſubtus membranas circa Meſenterii exortum, quam propter C. S. elangueſcentem, nam hæc tanta non erat, ut ab illa palor derivandus eſſet: Lien verò colorem ſuum atroliveſcentem retinuit, quia ſanguis ob lentum & imminutum motum in illius retibus nerveis cavernulisque ſubſtitit grumoſusque factus fuit.

VI. Sitis intenſiſſima ſtatim mane eveniens adſcribenda tum omnis prope potulenti effuſioni in cavum abdominis ex foramine, ſeu vulnere Jejuni, tum inflammationi Jejuni & partium vicinarum quam magis accendit iſta potulentorum rejectio per vomitum.

VII. Admiratione non caret Juvenem hunc tam graviter affectum in Hypochondriis ſemper mente conſtitiſſe, nunquam deliraſſe, nec convulſum fuiſſe, imo hora ante obitum incedere valuiſſe, quod adſcribendum videtur Juvenili vigori validoque cerebro, in quo ſpirituum animalium tantum in cerebro ſupererat quantum ad ſenſus internorum externorumque actiones peragendas motusque animales, ſc. inceſſum motum brachiorum, loquelam, reſpirationem &c. perficiendos aliquandiu ſufficerent: tandem tamen ob denegatum influxum & ipſum cerebrum ſuccubuit omnesque animales actiones paucis momentis auferebantur. Non deliravit, nec convellebatur, quia ob imminutum ſanguinis motum & brevem morbi durationem, etiam jam à gangræna affecto jejuno, aut à corrupto ſanguine ſub membranis meſenterii, non tantum particularum depravatarum ad cerebrum delatum fuit, ut ſpiritus animales turbare, aut ad convulſiones totius ſyſtematis nervini proritare potuerint.

OBSER-

# OBSERVATIO CLXXI.

## D. JOH. JACOBI WEPFERI.

## Inteſtini Ilei ruptura integro Abdomine.

B. M. Nauta, annorum 29. ſtaturæ mediocris, carnoſus, robuſtus, bene coloratus, capillis nigris & criſpis prædītus, induſtrius: duros & magnos labores ſæpe ſubiit: navigando ad ultimos fines, Lacus Bodamici utriusque; & piſcando quovis cœlo, etiam noctes, ſub dio transegit; navigans non raro largiter bibit; ſemper multum panis ſicci comedere conſuevit, quamvis, ceu lautioris fortunæ, etiam aliis ſalubribus cibis gaudere poſſet. Anno 1691. M. Martio febri tertiana correptus à D. D. Alexandro Pfiſtero curatus fuit. Menſe Julio Virgini honeſtæ deſponſatus fuit: Jam tum ſubinde de quodam præcordiorum dolore cum ventris murmure conquerebatur, accedente cephalalgia, ut præter morem ipſi decumbendum fuerit. Circa medium Septembris mane domo ſanus egreſſus ſubito vertigine gyroſa, leipothymiam minitante, corripitur, ſubſequente laſſitudine ſpontanea: ceſſarunt citra remedii uſum. Non diu poſt hæc, rurſus ad Lacum Bodamicum ſuperiorem navigavit; in itinere, æſtuante corpore in loco quodam ebibit, prope uno tractu, ad libras duas vini albi auſteri, ſeu minus maturi, quale anno prægreſſo in illis locis venumdabatur; mox male habuit, cum moleſtia tuſſiit & præcordia dolebant; nihilominus iter proſecutus eſt; verũ in reditu ipſi ſcamno ad bihorium incumbendum fuit: Ab illo tempore nunquam bene valuit: nam dum 22. Sept. Verbi divini Miniſtro, ritu noſtrate, in ſuis ædibus, fidei rationem ante nuptias redditurus erat, inſultu quodam febrili correptus fuit cum virium proſtratione, accedentibus cephalalgia & conſueta cardialgia: morbum neglexit, nunc obambulavit, nunc præter morem

etiam interdiu lecto incubuit. Die 28. Sept. mane hora 6. concioni interfuit: hora 7. dum ad altare cum ſponſa in genua provolutus Copulationem & benedictionem exſpectat & accipit à Verbi Divini Miniſtro, rigore ſuccutitur, ſubſequente calore non magno, domum perveniens Juſculum comedit mulierculárum ſuaſu; potiſſimum de præcordiis querebatur: hoc primo nuptiarum die obambulavit; cibum fere averſatus eſt, de Tragæa tamen quadam groſſa non parum comedit: non valde ſitiit; bibit aquam, cui fruſtulum panis immerſum erat: noctu debitum conjugale perſolvit D. 29. Sept. ſc. ſecundo nuptiarum die melius habuit, in publicum prodiit; in convivio poſtea ſocios ad hilaritatem exſtimulavit. D. 30. Sept. rurſus horrore prægreſſo æſtuavit: vomituriit, vomitum fruſtra digitis ad fauces truſis provocare tentavit: Diebus 1. & 2. Oct. utcunq; mane valuit; veſperi vero horrores ſubſequente æſtu affligebant. Demum d. 3. Oct. mane D.D. Pfiſterum vocavit: pulſus erat prope naturalis, Urina pallida, craſſa turbidiuſcula, appetitus non valde proſtratus & ſitis exigua, linguaque humida erant, reſpiratio æqualis: os amaricavit: tuſſiit imprimis noctu: Dedit pulv. Digeſtivum; ſperavit ſudorem, at nullus ſequebatur: tuſſis ad medium noctis permoleſta fuit; propter oris amaritiem. D. 4. dedit pulv. ℞. Crem. Tart. ℈ß. Diagrid. Sulph. gr. iij. Lap. prunell. ol. N. M. expr. aa. gr. j. M. Unde alvum ter movit, inde Veſperi horror & calor prope emanſerunt tuſſisque minus afflixit. Die 5. Oct. uti cœpit mixtura aquarum diaphoretica: ſumpſit illam cochleatim, imprimis paulo ante paroxyſmum; ægrè ſudavit & quidem ſolum circa caput: Urina pallida craſſa cum ſedimento craſſo farinaceo: hodie ſæpius juſcula ſumpſit, edit poma & pruna cocta: Veſperi horrorem non animadvertit; pulſus tamen erat frequens ac celer: noctu multum tuſſiit ſine ſputi ejectione. Die 6. Oct. bene ſe habebat, ut diebus prægreſſis: veſperi utebantur mixtura ex diacodio Mont. Syr. Jujub. pulv. Antihect. Poter. Aq. fl. acac. &c. unde multum leva-

levaminis, ratione tuſſis, noctu expertus eſt. Cardialgia de qua his 14. diebus multum querebatur imprimis tempore paroxyſmi & veſperi: hæc autem fuit præcipue dolor quidam compreſſivus & gravans in præcordiis, ſeſe exporrigens per transverſum à dextro hypochondrio ad ſiniſtrum; item à regione epigaſtrica ultra umbilicum. Appetitus magis magisq; iminuebatur, cibi non alii erant quam juſcula, poma & pruna damaſc. cocta, ſimilesque; ſitis crevit, in una nocte bibit præter conſuetudinem ultra ℔vj. decocti C.C. alvum hucusque ſemel vel bis exoneravit absque diarrhœa, quamvis d. 5. Octobr. tormina paſſus ſit, quæ ſuſtulerunt ſacculi flor. Chamæmel. infarcti. Die 7. Octob. mane hora 8. Aſthma vehemens ipſum invaſit & ad horam 2. pomeridianam continuavit: ſuadebantur diaphoret. quibus add. Liq. CC. ſuccin. & ſp. Sal. Armoniac. urin. à 2. pom. ab aſthmate liber erat ad 4. Veſp. tunc rediit ac tota nocte duravit: Die 8. Oct. magno nixu & cum ſibilo ſpiritum duxit: prope ſudore propter anxietatem diffluebat: circa meridiem valde exacerbabatur citra ullam cauſam externam: dum ab illo excruciabatur, dicebat aliquid per transverſum jacere ſub coſtis nothis, aeris plenum ingreſſum impediens: ibi attactum fortiuſculum plane non pertulit; videbatur in inſpiratione epigaſtrium introrſum trahi: humili ſitu in utrumque latus decumbere valuit, melius tamen ſibi extra lectum eſſe ajebat; tuſſiit multum ſine ulla ſputi excretione; præ anxietate ſudavit; Veſperi aliquantum melius evaſit: appetitus penitus proſtratus fuit, ſitiit, pulſus frequens, celer, debilis, lingua humida, habitus ad tactum non valde caluit: Urina pallida, pauca, craſſa ſtatim turbabatur: nocte aſthma rurſus graviter afflixit: Die 9. Oct. ſummo mane vocabatur D. D. Melchior Harter; addidit liquori diaphoretico plus Liq. C.C. ſuccin. & ſp. Sal. Armon. unde circa horam 9. mat. remittebat; pulſus robuſtior fuit, quam heri, ſudavit large, æſtuavit, ſitiit: parum edit; ſemel exoneravit fæces naturales: querebatur ſubinde de obſtaculo trans-

verſo ſub hypochondriis liberiorem reſpirationem impediente: nox quietior fuit: D. 10. Oct. Aſthma magis remiſit & D. 11. Oct. ſputum tuſſi cum levamine excrevit, Diebus 12. 13. & 14. Oct. ad horam 4. Veſpertinam non moleſtum erat. His vero & progreſſis diebus prope nihil appetiit: ſitis magna, Urina craſſa, turbida, ultimis diebus tinctior, pulſus freq. cel. erat: ſudavit ſæpe enormiter, maxime circa caput, ſudor ſubinde fœtuit: Vigiliæ erant fere continuæ: ſi ſomnus obrepebat præ laſſitudine, ſtatim rurſus ab inſomniis turbabatur; nunquam deliravit. Tormina ventris circumcirca umbilicum & verſus præcordia multum ipſum d. 12. 13. & 14. Oct. afflixerunt: hiſce diebus excrevit per alvum fæces, liquidas, quandoq; granulatim, flavas, pallidas, tandem fuſcas, ſubnigras, omnes fœtidiſſimas, quandoque ſub finem excretionis ſuccedebat mucus tenaciſſimus ſimilis ſpermati ranarum; pluries quoq; nychthemeri intervallo: alvum ſoluturus plerumque ſurrexit. Die 14. Oct. cùm Veſperi aſthma recruduiſſet ventrisque tormina ingraveſcerent hora 4. ad vomitum ſtimulabatur; mox largiſſime humorem turbidum, gryſeum ſimilemque puri hor. 8. n. evomuit: D. 15. Oct. ſummo mane hor. 2. Vomitus rediit & rurſus hor. 6. mat. omnia erant liquida, hor. 2. mat. ſimul vermem ejecit: nondum fœtebant. Poſt ſextam quoties ſe erexit ad Vomitum urgebatur; humor quem evomuit erat poſtea fuſcus, ſubniger, ac ſi ſanguis corruptus ipſi permixtus fuiſſet: ſemper copioſus. Poſt Vomitum multum ſe à ſua Cardialgia levatum dixit, quamobrem, licet vires fatiſcerent, purgans expetiit, à quo ſe penitus à Cardialgia liberatum iri ſperabat. Statim poſt primum Vomitum abdomen intumuit valde & tendebatur: attactum in præcordiis recuſavit, etiam leviculum, quia ſenſit ſe protinus ad vomitum inde irritari. Mortuus eſt hor. 2. pomerid. Poſt mortem ex ore multum humoris turbidi ſubflavi, item ſubnigri & cruenti imprimis preſſo aliquantulum ventre effluxit: facies primò expalluit, poſtea livida evaſit: Cadaver duabus

bus horis à morte intolerabilem fœtorem emiſit. Cadaveris apertionem urſimus propter tot ſymptomatum congeriem & tandem precibus obtinuimus. Itaque intempeſta nocte cum Domino D. Melchiore Hartero, Domino D. Alexandro Pfiſtero & Filio Joh. Conrado itidem Med. Doct. ejus Anatomen aggreſſi ſumus & primo remotis prope umbilicum integumentis abdomen ad peritonæum incidimus uſque cauteque illud ob tenſionem renitentem perforavimus: ſtatim flatus fœtidiſſimus cum impetu & ſibilo erupit, mox portio inteſtini tenuis foramen obturavit; itaq; digito & ſuper digito forfice in apice globulo prædita intruſa decuſſatim omnia integumenta diſcidimus: ſic omnia viſcera in apricum citra ullius inteſtini læſionem venerant. Ileon, jejunum, Colon ab exortu ſuo, tranſverſim ſub hypochondriis & in flexura ſua, ventriculus & duodenum omnia flatibus diſtentiſſima erant: cœcum gracile erat, & vel in hoc cadavere, ſe non flatuũ diverticulum fuiſſe, monſtravit; inteſtinorum tenuium ſuperficies peritonæum reſpiciens ſplendide rubebat longe lateque ac ſi ſanguinis ſuffuſio non ita pridem eveniſſet. In cavo abdominis, maxime in ſiniſtro latere, à concava hepatis parte ad pelvim uſque turbidus & ſuppallidus, redundavit humor citra aliorum contentorum inteſtinalium, aut lumbricorum admixtionem. Humore hoc exhauſto in pelvis parte ſiniſtra adhæſit mucus turbidus, lentus copioſè, ac ſi abſceſſus aut ulcus ſordidum exſtitiſſet, verum illo citra vim deterſo ibi & in vicinia omnia glabra & integra apperuerunt. Ileo ex pelvi extracto occurrit ſtatim hiatus in cavitatem ejus pervius, tribus digitis ſupra valvulam coli; facile apicem parvi mei digiti admiſit; preſſo ſuperne Ileo ex hoc hiatu prodierunt flatus & humor ſimilis illi, qui in cavitate abdominis ſtagnavit: nihilominus reliquum inteſtinorum tenuium omnium & Colon diſtentiſſima, potiſſimum à flatibus manſerunt: inſuper circa hunc hiatum & alibi pluribus in locis cumulus lumbricorum intricatorum tangebatur; fæcum vero

 nihil

nihil nec in colo nec in recto ſupererat, at multum adhuc humoris turbidi. Ex pelvi cum hac portione perforata Ilei ejus fruſtum circiter ulnas duas longum extraximus: in eo vidimus foris maculas aliquot; numeravimus inſigniorum quarundam ſex, quasdam quadrantis, alias dimidii floreni Imperialis amplitudine, atrorubeſcentes & in medio fuſcas, lividas & nigras. In hoc fruſto, ſuperne & inferne ligatis inteſtinis, exciſo, mundato & per otium perluſtrato, ubi foris maculas conſpeximus, intus reperimus ulcera rotunda, quorum labra in toto ambitu elata, prominula, altitudine dorſi cultri mediocris, inæqualia & quaſi cancroſa; in illorum medio, ſeu centro compages membranoſa inteſtini erat flaccida, livida, atrorubeſcens, veluti gangrænoſa & rupturæ proxima, quæ evenit ei parti, ubi hiatus exſtitit. Præterea intus in conſpectum in hac exciſa Ilei portione venerunt tubercula rubra, duriuſcula; quorum baſis dimidii bazii ampla erat, altitudo dimidiati acini uvæ mediocris: in cacumine cum ſinulo oſculo capaci ſem. lentis, etiam lupini, prædita; non ulcerum inſtar ſordida: erant ſolitaria & multum à ſe invicem diſtantia. Tum maculæ, tum tubercula erant præcipuè in illa parte, ubi glandulæ alias conſpiciuntur, quas primò Nob. D. Pejerus noſter publico ſcripto plene illuſtravit. An alibi quoque in reliquis portionibus Ilei & jejuni exſtiterint, propterea neſcimus, quia ulterius inquirendi ſpatium non dabatur; nec, ut verum fatear, antequam domi hæc accuratius perſcrutati ſumus, nobis in mentem venit, talis deplorata inteſtinorum diſpoſitio. Inteſtinum duodenum & portio Jejuni ex atro rubeſcebant, fracida erant & veluti gangrænoſa, aut prope ſphacelata, facile rumpebantur; contenta illorum erant glomer inſignis lumbricorum magnorum, quorum aliquot adhuc vivebant & humor flavus, fuſcus, ſubniger, cadaveroſus, qualem ante obitum quoque evomuit: A duodeno & portione Jejuni externa membrana, peritonæi ſoboles facile abſcedebat, ac ſi in aqua fervida aliquandiu macera-

cerata fuiſſet. Omentum craſſum lurida pinguedine præditum, aliquot in locis convexæ parti inteſtinorum tenuium p. n. tenaciter accretum erat. Ventriculum cum portione gulæ & toto duodeno ex cadavere ſuſtulimus: illo ab uno ad alterum orificium diſciſſo invenimus reliquias humorum, quales in duodeno invenimus & cujus generis ante obitum evomuit, fruſtula quoque nigra, quæ progenies erant corrupti ſanguinis, nullum autem lumbricum: ſordibus deterſis intus à ſtomacho circumcirca ad palmi latitudinem rubuit; gula alba erat & foris eo loci nullum ruborem animadvertimus: pylorus ejusque antrum quoque rubuerunt, ſed non tam ſaturate: In duodeno, levicule deterſa ejus tunica cruſtacea, ſeu mucoſa, pulchre in conſpectum venerunt ejus glandulæ, de quibus Exercitationem Anatomico-Medicam publici Juris fecit Gener meus D. D. Brunner Med. Prof. 1687. Heidelbergæ. Pancreas fuit durius debito, aliquot glandulæ, ex quibus conglomeratur, nigræ erant, magnitudine piſi prominentes: intus fuit rubicundius, prope inſertionem ductus aliquousque fuſcum. Epatis ſuperficies fuit quidem æqualis, at in parte convexa & concava atro rubeſcens. Veſicula bilaria vix æquavit nucem juglandem, foris atro vireſcens: continuit bilem viſcidam obſcuro flavam. Lien foris lividus, intus niger fuit. Circa crura diaphragmatis apparuit inflammatio atro rubeſcens ad gangrænam tendens. Renes ſani erant. Ablato ſterno pericardium plenum erat aqua limpida pellucida: multum quoque ejus redundavit utrinque in cavitate pectoris, ſed non tanta copia, qualis alias in pectoris hydrope & quæ ſola Aſthmatis cauſa reputari potuiſſet. Pulmones inflati erant ac ſi inſpiratio ultimæ vitæ actio fuiſſet, molles tamen erant & colore ſubalbo & cineritio præditi: in dextro latere accreverunt mediaſtino, pericardio & diaphragmati; in ſiniſtro latere pleuræ mediantibus fibris albis oblongis, tenacibus, craſſitie duplicis fili: In poſtica parte ad latera gulæ rubebant, molles tamen erant. Cor amplum & magnum fuit; nam

dextra

dextra auricula & ventriculus à ſanguine admodum diſtendebantur, nec paucis in ſiniſtra auricula & ventriculo ſupererat: in nullo horum locorum aderat polypoſa concretio: ſublato ex his ſanguine cor flaccidum plane erat ac ſi enervatum ſanguinem non amplius propellere valuiſſet. Caput non aperuimus tum, ne patientia domeſticorum abuteremur, tum, quia toto morbi decurſu nullum ſymptoma occurrit, quod nos ad cranii ablationem ſtimularit, nam vertigo ſemel ipſum adorta eſt; poſtremis morbi diebus non multum amplius de cephalalgia conqueſtus eſt, & exonerationis alvinæ cauſa ad ultimum prope halitum ſurrexit; ut magis ſyncope, quam apoplexia ſublatus fuerit.

## SCHOLIA.

I. Quamvis Nauta noſter Medicos demum die 18. ab invaſione circiter accerſiverit, ſuſpicor tamen morbum ſtatim ab initio febrilem fuiſſe, nam poſt vinum non bene maturum affatim hauſtum æſtuante corpore, non amplius ſanus fuit, id eſt, non amplius par erat ob languorem conſuetis laboribus. D. 22. Sept. febris magis ſe prodidit cephalalgia, cardialgia quadam decubitu inſolito interdiu frequenti 28. & 30. Septemb. Tertianam intermittentem ſimulavit: d. 1. 2. 3. Octobr. duplicem tertianam mentiebatur, & quamvis poſt laxans 4. Oct. ſumptum veſperi vix animadverterit, & 5. Oct. nullum paroxyſmum notabilem habuerit, attamen hodie pulſum habuit frequentem & celerem & poſtea ad finem vitæ nunquam febrim ad intermiſſionem perveniſſe dici poteſt, prout pulſus, ſitis, impotentia aliaque ſymptomata teſtabantur, ut audacter hanc febrim Hemitritæum appellare auſim. Febrim hanc jam aliquot annis graſſatam fuiſſe mecum plures obſervarunt: imprimis hoc anno 1691. in Exercitu Confœderatorum admodum ſæviit, ut ex ore aliquot Ducum Copiarum audiverim; nunquam ſe tantum numerum Ægrotorum primipilorum, medioxumorum & infimæ ſortis mili-

militum obſervaſſe, quamvis plurimis annis militiam ſequuti fuerint, & frequentiſſime in Caſtris quovis cœlo, etiam in Hungaria morarentur: Numerum ægrotantium aliquot millenorum fuiſſe retulit Magn: Dominus D. Francus, Celſiſſimi Elect. Saxon. Archiater, Argus noſter, Amicus ſingularis Heilbronnæ d. 28. Sept. cum de hoc morbo caſtrenſi cum aliis Excellentiſſimis amice diſſeruiſſemus. Erat affectus Febris, ſed vere Proteus, nam varias induit formas: quosdam ſubito proſtravit, alii hoſtem in ſinu gerentes diu adhuc obambulabant, ſua officia præſtabant: erant nunc continuæ, nunc intermittentes tertianæ ſimplices, duplices, quartanæ maximæ autumnales; continuæ deſinebant in intermittentes & hæ quandoq; in continuas, apud plurimos Hemitritæus obſervabatur, ut quoque tunc Stuttgardiæ Menſ. Auguſto & Sept. Neoſtadii animadverti. Nemini pepercit æque magnates, quam gregarios, equites & pedites, commode in palatiis, aut domibus, in tuguriis aut tentoriis male viventes. Verum non ſolum graſſata eſt in caſtris & inter milites, ſed etiam in Helvetia noſtra & Rhætia, quorſum nullus unquam militum pervenit. Comitabantur variis ſymptomatibus nunc minoribus, nunc ſævioribus: Cephalalgia, motibus convulſivis, ſoporibus, deliriis, vigiliis, aggravatione pectoris, tuſſi ferina, palpitatione cordis, leipothymiis frequentibus ex levi cauſa, dyſpnœa; quidam ſputum copioſum viſcidum craſſum, alii ſubcruentum cum & ſine dolore lateris punctorio ejiciebant; quidam omnem cibum averſabantur, non pauci erant famelici; plerique impenſe ſitiebant cum lingua aridiſſima; quidam evomebant aſſumpta, alii bilioſiſſima: paucis alvus conſtipata, multi diarrhœas, quidam dyſenteriam patiebantur: quidam colicam experiebantur febri adhuc durante, alii jam illa devicta: multis urina ſimilis ſanorum, non paucis flaviſſima cum ictero: omnes laſſi: In quibusdam petechiæ eruperunt: Obſervati abſceſſus etiam in artubus & habitu. Cuidam per d. 14. acute febricitanti cum vigiliis, anxietatibus,

delirio, lingua ſicciſſima, ſiti inexplebili, ſumma averſione ciborum & medicamentorum, prope inſcio obortus eſt abſceſſus in nate prope anum: illo tandem à Chirurgo animadverſo, cum fluctuationem puris percepiſſem ſtatim aperiundum curavi, effluxit pus fœtidiſſimum ad plures uncias, unde cum febri omnia ſymptomata remiſerunt; ulcere bene deterſo & diligenter pure expreſſo brevi convaluit. Multi Lienes magnos contraxerunt, inprimis gregarii milites aquam minus ſalubrem ingurgitantes, tunc præcipuè cum Exercitus trans Rhenum circa Frankenthal & cis Rhenum in Campis Manheimenſibus caſtra metatus eſſet. Quamvis horrendis ſymptomatibus febricitantes iſti affligerentur, plurimi tamen convaluerunt: attamen multi quoque ad hunc uſque diem recidivi fiebant, febres tamen recrudeſcentes plerunque quartanæ erant eæque pertinaces atque illæ etiam poſtquam per aliquot ſeptimanarum decurſum ceſſarunt, ex levi errore redeuntes. Univerſum genus humanum magno beneficio mactaretur, ſi accurata hiſtoria hujus febris concinnaretur, quod tamen fieri non poſſet, ſine communicatione obſervationum multivariarum tum à Medicis Caſtrenſibus, tum à Phyſicis urbium in quibus hæc admodum graſſabatur, additis juvantibus & lædentibus, non neglecta cadaverum hac febri defunctorum anatome, quam non tam periculoſam meo damno didici, ſi fiat in loco aprico & perflabili. Verum jam prævideo hunc laborem non fore unius hominis: prudentia & conſilio Perilluſtris Collegii Curioſorum Germaniæ Procerum membra animari poſſent, ut mutuam operam ad illum perficiendum conferrent, qua in re jam illos præceſſerunt Rulandus de Febri Ungarica, Hœchſtetterus in ſuis Obſervationibus, Spigelius de Hemitritæo, Neucranzius de purpura, & Heinr. Screta de Febri Caſtrenſi, & plures alii. Huc pertinent Obſervationes Giſeleri & Diemerbrokii de Peſte, non infidi viæ duces.

II. Cl. Spigelius, Vir optime de re medica meritus & diligens Obſervator in aureo ſcripto de Hemitritæo l. 1. c. 14. in Cadaveribus hac febri defunctorum l. 1. c. 14. fomitem ſemitertianæ in vaſis, ſed ut plurimum in minoribus deprehendit, aderant enim inflammationes circa jecoris cavam partem in ventriculo, in inteſtinis tam craſſis, quàm tenuibus, in meſenterio, omento & liene; ſæpius in una partium memoratarum, aut pluribus, aliquando etiam in omnibus, quæ ſuperveniente gangræna, aut ſphacelo, celeris mortis cauſa erant: hæc c. 15. aliquot exemplis confirmat, ut & c. 16. ubi mentionem fecit febrium circa veſperam aut ſtatim poſt meridiem ſe exacerbantium; putredinem autem ſe non inveniſſe in venis majoribus, quæ inter alas & inguina excurrunt, ſed in viſcere aliquo primæ regionis inflammato, vel alia aliqua recondita parte, inflammatione paulo minore, quam ut tactu hypochondriorum ab Ægro, vel Medico ex dolore noſceretur; id duabus hiſtoriis ibidem illuſtrat: Eadem repetit l. 2. c. 11. Itaque conſpecta inſigni inflammatione duodeni & portionis jejuni ac crurum diaphragmatis ſtabilitus magis fui in mea ſententia, nimirum Nautam noſtrum Hemitritæum paſſum fuiſſe, ſi non à principio morbi, ſaltem à principio Octobris, licet non dubitem aliqua primordia facta fuiſſe poſt medium Septembrem, nam poſt confectam navigationem è lacu Bodamico indies pejus habuit, quod aliis Hemitritæo affectis evenit, qui diu præterito autumno obambularunt, antequam victas manus darent & decumberent penitus, idque plerunque magno ſuo malo. Inflammationem duodeni & jejuni vehementem fuiſſe præter colorem atrorubentem probant facilis abſceſſus membranæ externæ à fibroſa & crurum diaphragmatis vicinorum gangræna: neceſſum quoque inflammationem in ſuperficie ilei & jejuni adfuiſſe, quia omentum illis accrevit, quod eveniſſe quoque novi inteſtinis ab inflammatione muſculorum abdominis aliarumve ejus partium circa umbilicum & in inguinibus. Non carent malignæ &

prope venenatæ inflammationis ſuſpicione maculæ intus ulceroſæ, foris atrorubeſcentes & lividæ. Inflammationes ſuperficiariæ in antro pylori & circa ſtomachum forte vomitus effectus fuerunt & pulmonum in poſtica parte, fatiſcentis cordis, non amplius valentis ſanguinem per pulmones pellere. In parte inflammata ſanguinem magis incaleſcere exiſtimo, quia ſanguini alias actu calido, in quolibet pulſu ſemper novus accedit & percolatione ex arteriis in ſurculos venarum & vaſorum lymphaticorum impedita, ejus copia augetur indeque magis, citra putredinem, aut pugnam aliquam alkali & acidi, efferveſcit & quaſi flammam concipit, unde omnes partes inflammatæ calidiores tanguntur & ab ægris ipſis ſentiuntur: nam omnium hominum & quadrupedum ſanguini, ſero & bili non parum partium inflammabilium ineſſe facile comperietur, ſi totus ſanguis aut ſeorſim pars grumoſa aut ſeroſa, ipſave bilis exſiccentur, nam conſpicietur citiſſime flammam concipere ac inſtar tedæ piceæ ardere admota cereola incenſa. Particulæ à loco inflammato reliquo ſanguini confuſæ, maſſam prout nunc magis nunc minus totam incenderunt, febris nunc fortior, nunc mitior evadet & quandoque etiam exacerbabitur, prout particularum plus, vel minus immiſcebuntur ac reliquum ſanguinem magis vel minus accendunt.

III. Inflammationi non parum anſam dediſſe apud Nautam hauſtum vini auſteri non bene maturi, æſtuante corpore, admodum veriſimile eſt, nam tale in loco, ubi illud affatim hauſerat, ibi vendidibile erat. Tali quoq; vino Cl. Spigelius l. 2. c. 2. culpam imputat. Ibidem quoque memorat ſe obſervaſſe bibentes æſtatis tempore in cellis vinariis aut cavernis in hanc febrim incidiſſe: Item in Pannonia & Moravia, ubi frequens eſt morbus, exiſtimat plurimum ad hujus morbi generationem facere potum, nive aut aqua puteali valde frigefactum. Dum Patavii eram Medicinæ Candidatus, Juvenis robuſtus & plethoricus 1646, à pilarum luſu æſtuans, in taberna

ſub

ſub vallo vinum gelatum ingurgitans protinus ſimili febre, quam malignam dicebant, brevi vitam cum morte commutavit. Non paucos Magnatum & Primatum Menſe Auguſto, cœlo ſumme æſtuante, gelido potu hanc febrim quoque contraxiſſe novi. Non negarim tamen plures hac correptos fuiſſe ob ſolam aëris intemperiem, qui alias commode & ſobrie vivebant in caſtris, citra contagium, cum alii procul à caſtris & in locis ad quæ nullus militum unquam venit, etiam in Menſe Septembri 1691. adhuc, ſimiliter ea obruti fuerint. Vinum auſterum æſtuante corpore avide ingeſtum in duodeno & jejuni portione Nautæ occaſio inflammationis factum fuit, dum procul dubio arteriarum capillamenta magis prominula erant, quam in ventriculo, aut alibi, atque ita magis tali offenſioni expoſita. Novi Nobilem Matronam deguſtato aceto, aut comeſto fructu crudo ſive dulci, ſive acido, protinus ſæva cardialgia & torminibus correptam fuiſſe. Nocumenta citius eveniunt talia, ſi vaſa à prægreſſo exercitio, aut aliam ob cauſam turgidiora ſint: ſic novi quosdam poſt uſum Laconici, frigidum aërem haurientes pleuriticos, aut frigidam haurientes hæmoptoicos protinus factos fuiſſe. Inflammationem vinum forte acceleravit, quia ceu potulentum cito ex ventriculo eliminatum fuit.

IV. Lumbricos inflammationi occaſionem dediſſe, illamque promoviſſe veritati admodum conſonum eſt, nam copia in inteſtinis redundabant & præcipue in duodeno & jejuno vicino glomeramen invenimus, convolutum ex vivis adhuc & mortuis inſignis magnitudinis, teretibus, longis, craſſis, exiſtentibus prope omnibus. Quod faciunt dum ſemet affigunt membranæ potius nerveæ quam ſoli cruſtaceæ indeque ſuum nutrimentum exſugunt; id quidem negat Cl. Platerus Prax. Tr. 3. l. 2. c 13. dum ſcribit, haud veriſimile eſſe Lumbricos diu detentos, adeo inteſtina rodere poſſe, ut non ſolum ea perforet, ſed & ventrem, atque per eum juxta inguina, aut umbilicum erumpant, quia nec roſtro acuto, aut aper-

to, nec dentibus præditi conſpiciantur, ut ſugendo hoc minime præſtare poſſint. Verum ſi ſugunt omnino quoque corpori ſe affigent & oſculo alimentum haurient, unde nutriuntur & augentur & intra corpus ſuum alios producunt, ut alios majores minoribus refertos ipſemet viderit l. 3. obſerv. p. m. 639. quibus tribuit motum inæqualem abdominis, ſepulturam, antequam invenerat, Pueri 17. ann. in Hoſpitali, dubiam facientem. Anno 1662. Civis quidam noſter pro uſibus domeſticis ſuem mactandum curavit: Lanio obſervat tenuia inteſtina lumbricis refertiſſima, abſcidit fruſtum, duas circiter ulnas longum, ut pridem pollicitus erat mihi, cum multa hac inteſtinorum verminoſa conſtitutione narraſſet, ac propterea ad farcimina paranda inepta dixiſſet. In hac inteſtini tenuis portione vidi lumbricos quosdam perforationem moliri, quosdam ad dimidium corpus foras tranſiiſſe: inveni non pauca foraminula rotunda pennam mediocris craſſitiei admittentia jam paraſſe: inverſo inteſtino quamplurimos conſpexi ab interna ejus membrana pendulos & pertinaciter adhærentes, non ſecus ac hirudines, humanis perſimiles, longos & teretes: ægre ſuccuſſione & tractu abſcedebant: Huic inquiſitioni anſam dabat Anatome Puellæ nono circiter anno, quæ poſt multos cruciatus abdominis tabida obiit, aperto abdomine in cavo abdominis fæces cum lumbricis magnis continebantur, inteſtina aliquot in locis perforata, alicubi ſatis magno hiatu, alicubi portio inteſtini unius alteri firmiter accreverat ibiq; ex uno inteſtino in alterum amplum foramen patebat, forſan à lumbricis ibi factum. Lumbricos latos in fele & aliquoties in Luciis pertinaciter adhæſiſſe ſuis capitellis minutis vidi, de qua re alibi: ut & de lumbricis ex ulceribus in inguine, aut circa umbilicum cum aliis prodeuntibus. Forte à lumbricis in Nauta ulcera illa producta fuerunt in Ileo, ubi foris maculæ apparebant. Lubenter tamen concedo lumbricos non ſemper inflammationes & hujusmodi ulcera efficere, cum multi non ſolum ætatis tenerioris,

ris, ſed etiam adultiores diu tales intra inteſtina citra talem noxam detineant: verum quoque largiendum videtur lumbricos non ſibi ſemper ſimiles, ſed quandoque maligniores, unde in quibusdam anni conſtitutionibus plus negotii faceſſunt & graſſante peſte, aut febribus malignis deteriora pariunt ſymptomata: & ipſæ Hirudines multum differunt inter ſe, unde in illorum uſu ſelectum habendum ſcribunt Rhaſes 28. Continent. & clarius Sennertus Inſtit. l. 5. p. 1. ſ. 2. c. 7. Et cum Galen. Claſs. 6. ſtatim à principio, antequam admoveantur, alii quoque præparandos monent.

V. Lumbricos in Nauta non nuper natos eſſe, illorum numerus & magnitudo docent & forte ſymptomata quædam probarent, niſi homo ſibimet alias durior, illa Medicos celaſſet. Hos quoque ex ſui generis ſemine cum Sennerto, Helmont. Redi aliisque produci credo: argumenta horum adducere, nec vacat, nec hac vice lubet: Videantur Authores, aut ipſa natura conſulatur. Illos in- & ex excrementis generari exiſtimant omnes qui Lumbricos produci tradunt ex cibis non bene coctis aut putrefactis: Venerandus Senex Caſpar. Hoffman. æque in ventriculo atque in inteſtinis naſci aſſerit contra Recentiores Apolog. pro Galen. l. 3. c. 213. ubi eludit rationem illorum, qui in ventriculo non reſultare poſſe putant, quia ibi coctio fiat, quam quoque reddit Helmont. de ſextupl. Coct. §. 82. putans illos per modum cibi confectum iri: nam ſi in ventriculo ſubſiſtant cibi non penitus cocti, aut ſi ibi putreſcant non ſecus ac in inteſtinis eos inde prodituros ex hac materia judicat Hoffmann. in l. c. ſuamq́ue ſententiam etiam ibi confirmat experimento Cæſalpini alias cum Ariſtotele conſentientis, vermes in ventriculo non gigni, ſed converti, poſtquam vidit in lactentibus per vomitum vermium globulos, veluti acicularum, excretos, quos ex inferioribus aſcendiſſe veriſimile non erat. In margine addit ibidem ex Fonſec. l. 1. conſ. 99. in puella mortua repertos fuiſſe lumbricos 36. vivos pertinaciter ventriculo adhærentes. Num lumbrici apud

apud Nautam in ventriculi aut inteſtinorum excrementis, aut ex illis aliisve contentis nati fuerint valde hæſito: quia ad animalium generationem mora aliqua requiritur ſc. ut ovula matureſcant, germinent & ut in loco habitaculi adoleſcant & aliquandiu perſiſtant: quam vix conceſſam exiſtimo, quia dum jam ægrotavit, quotidie adhuc alvi beneficio fruebatur. Lumbrici terreſtres quiete gaudent in cavernulis ſubterraneis indeque pro ſoli & fimetorum pinguedine bonitateque minuta illorum corpuſcula ad magnitudinem humanorum excreſcunt: ſi fæces 10. aut 20. diebus, imo tribus menſibus perſtitiſſent in inteſtinis, ut in ſene Romano citra ſanitatis damnum apud Panarolum Med. obſ. 1. aut per ſesquiannum ſcybala indurata in fœmina quadam apud Salmuthum l. 1. obſerv. 14. ſine ſcrupulo in ipſis fæcibus productos fuiſſe admitterem. Novi pueros puellasque etiam adultiores verminoſos fuiſſe & manſiſſe, quamvis quotidie alvum ſolverent & quandoque diarrhœam paterentur citra excretionem vermium. Unde credibile eſt ſuos nidos ſæpe lumbricos habere, ubi adoleſcant eousque donec robur acquirant ſeque firmiter inteſtinis affigere valeant, ut merito aſſurgendum ſit Exc. D. Pechlino Obſ. Phyſico-Med. l. 1. obſ. 64. animadvertenti in vermibus ut ſymptomatum, ita ſanationis variam eſſe fortunam; nec proculdubio ob pertinacem adhæſionem, facile cedere quibusvis medicamentis; quo nomine tum hæc, tum ſeq. obſ. 65. diligentem in legendo conſiderationem merentur. Forte non vane conjicio tubercula illa convexa rubra, duodecim in portione ilei abſciſſa horum lumbricorum nidos fuiſſe, ubi illorum ſemina eousque blando inteſtinorum calore fota, donec in lumbricos mutata fuerunt & apicem perrumpere potuerunt, ut apud canem in ventriculo Dec. 2. Eph. N. C. Ann. 7. Obſ. 16. factum fuiſſe memini, nam in apice illorum conſpeximus oſculum, deprehendimus ſinulum capacem lentis, aut ſem. Lupini, mundum nec inſtar furunculorum ſuppuratorum ſordidum; non dubito tamen cavernulam

lam illorum ampliorem fuiſſe, contractiorem verò evaſiſſe, quia pridem ex hoc ſuo nido egreſſi erant: ſui Juris facti, aut adhæſerunt internis tunicis indeque ſuum alimentum ſuctu hauſerunt, aut alia ratione contra motus excretorios inteſtinorum ſe defenderunt, nam Nauta totius morbi decurſu nullum vermem per alvum emiſit, nec ultimis vitæ diebus in quibus diarrhœam paſſus eſt & tandem mucum ſpermati ranarum ſimilem non ſine niſu aliquo egeſſit: paucis horis ante obitum vermem quidem evomuit, ſed forte pediculorum more in moribundo hic ſe proripuit, quod Salmuth. l. 1. obſerv: 17. vermes quoq; facere annotavit. Præſuppono lumbricos quoque hos, ut quoque alia inſecta, ex ſui generis ovulis productos fuiſſe & non niſi per arterias ad hos folliculos perveniſſe ovula, qua de re videatur Schol. 4. Obſ. 16. memoratæ. Forte nemini abſurdum videbitur ſemina, ſeu ovula animata, per vaſa ſuccum nutritium ad quasvis partes deferentia transportari poſſe, qui perpenderit primo per os ingeſta per tot mæandros & anfractus vaſaque anguſtiſſima ad veſicam delata fuiſſe; ſc. ſem. aniſ. & grana Alkek. ſc. ex ventriculo & inteſtinis, per vaſa chylifera ad cor, inde per pulmones ad renes ac veſicam pulſa & excreta fuiſſe; taceo aciculas aliaque abſurda cum urina emiſſa fuiſſe: poſſideo duos clavos ferreos repertos cordi infixos in jumento S. Blaſii mactato, quibus hæ viæ emetiendæ fuerunt: Deinde qui conſideraverit, nullam partem corporis humani eſſe, in qua non reperti & generati vermes fuerit, licet reconditiſſimæ fuerint, qua de videatur Exc. D. Paulin: Cynograph. curioſ. ſ. 4. c. 6. quarum tamen plerasq; non niſi per arterias ſeminium verminoſum ſuſcepiſſe inde conſtat, quia in folliculis quibus incluſi erant, nullibi foramen apparuit, per quod forinſecus intrare potuerit: prout vidi ſæpius in hepate murium Schol. 3. Obſ. 1. frequentiſſime vero in hepate piſcium, quos noſtri Welſiſch vocant; ſunt ſpecies muſtelæ piſcis ſed minores, voraciſſimi, qui copioſè ad nos è lacu Bodamico circa Autumnum deferuntur;

rel icti in nave ſemet devorant cum damno Piſcatorum. Dum hæc ſcribo, offerebatur mihi cor cum pulmonibus & portione gulæ ſuis grandinoſi crediti; verum neque in pulmonibus, neque in mediaſtino, neque foris in pericardio, neque circa gulam ullum veſtigium Chalazii inveni, verum diciſo pericardio plures conſpexi in ipſo corde hydatides, non uno in loco apparentes, quædam videbantur in baſi, quædam in apice, quædam in ſuperficie cordis inter apicem & baſin intermedia, ante & retro, quædam pendulæ quaſi, quædam profundius immerſæ, quædam cordis ſuperficiei æquales; neque ſolum foris occurrebant, ſed etiam intus in utroque ventriculo, in dextro inſigniores circa ſtamina nervea valvularum; in ſiniſtro ventriculo cis valvulas ſigmoideas in interſtitio aortæ & arteriæ venoſæ, ſeu pulmonicæ; imo diciſſo parenchymate aliquot ejus carni profundius incluſas inveni: magnitudine erant variæ, quædam enim æquabant magnitudine piſum, aliæ fabam, non paucæ acinum mediocrem uvæ; omnes prope rotundæ; folliculus illorum erat membrana tenuis, pellucida; omnes continebant liquorem pellucidum ſolum, multæ ſimul corpus concretum, album, oblongum, vermiforme, conſiſtentia caſei recentis, magnitudine varium, majora prope ad ſem. ſecales acceſſerunt. Eodem tempore ex macello obtinui veſiculam bilariam bubulam plane monſtroſam: duabus palmis cum portione ductus cyſtici longiori latitudine inæqualis; verſus ductum uncias tres lata, in medio anguſtior aliquo usque, poſtea rurſus latior; ad latera habuit nodos aliquot, quorum quidam erant magnitudine avellanæ, aliæ quoque majores; in extremitate laterali corpus quaſi turbinatum apparuit, juglande majus, hepati inſculptum, aliud in ipſo apice paulo minus: ductus cyſticus amplitudine indicis fuit, facile admiſit pennam anſerinam: effluxit adhuc bilis viſcidiſſima pallide flaveſcens, quamvis maximam partem veſica depleta eſſet; illa poſt iſthmum preſſa egrediebatur humor turbidus & viſcidus quoque:

que: Ductu & veſica diſciſſa ad corpus turbinatum tunica undiquaque craſſior decuplo naturali & alicubi craſſitie parvi digiti, denſa, ligamenti inſtar ſciſſu difficilis, magis membranoſa & tenuior in corpore turbinato & ultimo apice: trans iſthmum duo corpora fungoſa inæqualia, mollia, ficubus majora parti hepar reſpicienti lata baſi adnata, ſimilia carni luxurianti ex parte nervea exulcerata excreſcenti; glabrum, molle, albicans in apice occurrit magnitudine avellanæ dimidiatæ, etiam verſus hepar intus folliculo accretum. Noduli laterales erant folliculi bile viſcida pleni; Contenta ſua alia breviore, alia longiore via in veſicam fundentia oſculis ſatis patulis. Non procul à veſicula bilaria media tumorem in portione hepatis cum illa abſciſſum inveni, majorem nuce moſchata, cavus erat, incruſtatus intus ſubſtantia tenui ſeu oſſea, ſeu calculoſa, prout ſæpius in ductu bilario hepatico ſæpius hirudinibus abundante reperi; Ex hoc tumore nullus exitus vel ad veſicam, vel aliorſum patebat; continebat amurcam obſcure rubentem viſcidam, in quam vermes illi tandem abeunt, ſi unum alterumve diem reponantur. Denique cum in ſanguine reperti fuerint vermes, ut loco citato Exc. Paulinus memorat, quidni etiam illorum ovula in eo occultari poſſent? certe horum progenies videntur eſſe Syrones, vermes ſub cuti in cervis naſcentes, ubi diu latitant, antequam illum perforent; Item dracunculi Incolis Guineæ familiares, de quibus exſtat curioſum & eruditiſſimum æternaque memoria digniſſimum ſcriptum Exc. D. Georgii Hieronymi Welſchii p. m. de Vena Medin. Non poſſum non his ſubnectere, quæ de his vermibus vidi & à fide digno audivi: Anno 1652. d. 29. Dec. Vitoduri conveni D. Antonium Cromerum Chirurgum peritiſſimum, recenter ex India Orientali & Guinea reducem, quæ loca bis adiit & in illis diu morabatur, uno ſexenni, altero quinquenni itinere: erat admodum cachecticus, facies inflata ex flavo prope pallide vireſcens, pedes ſubtumidi, totus languidus: duos adhuc hujus generis dracun-

culos ſub cute enutrivit, unum in tibiæ ſiniſtræ parte externa, juxta poplitem, alterum ſub malleolo externo in pede dextro: in utroque loco cutim vermis perforavit ac pertenuis fidis inſtar, propendit portio illorum uncias circiter duas longa: utramque blandiſſime tractavit, nam cum non ita pridem tardioris emerſionis pertæſus in crure dextro fruſtulum violenter attraxiſſet & avulſiſſet à reliquo vermis corpore, ſæviſſimos dolores peperit ſuperſtes portio, ut quatuor ſeptimanis ipſi decumbendum fuerit cum vigiliis continuis & ſiti intenſiſſima, quam non niſi aqua fontana compeſcere licuit: monſtravit fruſtulum extractum ſiccatum duas ſpithamas longum, figura & colore ſimile fidi tenuiori chelis, ſed admodum fragile. Retulit ſæpiſſime per aliquot menſes, aliquando etiam annos ſub cute deliteſcere absque magna moleſtia & ſolummodo ſenſu reptantis animalis ſub illa detenti, prodere; dolorem nullum excitare vel exiguum, niſi motu, aut attactu fortiore, aut percuſſione irritentur, tunc enim crudeliſſimos cruciatus, arthriticos ſuperantes, efficere: aliquando tumorem concolorem conſpici: addidit poſtquam diu delituerint, ſponte fere exitum illos moliri, quandoque prægreſſa inflammatione dolorifica, in cujus medio veſicula oboriatur, qua rupta ſenſim ac ſenſim emergant, donec totus quilibet elabatur; protuberantes ſtatim emori & ſenſim exſiccari, portione ſub cute ſuperſtite viva manente, unde ſævi dolores protinus excitentur, ſi tractu irritentur. Exitum promovit veſiculæ maturantibus impoſitis. Rariſſime ſub cuti emori obſervavit: fruſtraneis quoque inunctionibus mercurialibus. Aliquot ſectis cadaveribus vidit vermes iſtos aliquot vicibus tendines & nervos circumdare: obtinuit quosdam ulnas duas longas fuiſſe. Perſuaſus erat vermes hos produci ab aëre inſaluberrimo. Angolæ imprimis, quia Generalis quidam Batavus ſe ab hac peſte immunem præſtare nequiit, quamvis nullo alio cibo aut potu uſus fuerit, quam illo quem ex Belgio ſecum ſumpſerat. Quomodocumque ſe res habeat, neceſſum

ceſſum tamen eſt horum quoque vermium ovula prius maſſæ ſanguineæ permixta fuiſſe, quia non niſi per vaſa ſanguifera ad partes tendinoſas & nerveas ſub cute deportari poterant, nam perforaſſe illam foris hiſtoriis tum horum, tum aliorum vermium ſubcutaneorum penitus repugnat, & qui negaret tales ſub cute cervorum naſci merito ſe ludibrio venatorum exponeret. Et quidni ovula & ſeminia vermium ad ventriculum & inteſtina pervenientia vaſorum oſcula chylum ſeu imbibentia, ſeu admittentia ſubirent, cum per vias plurimum anguſtiores in plantis, ſc. in herbis, fruticibus & arboribus per fibrillas radicum, caudicum cauliumque & pediculos ad folia & fructus penetrent? nam in gallis quercuum, in tuberculis veluti verrucoſis ſalicum, in avellanis, prunis damaſcenis, ceraſis, imprimis nigris, aliisque fructibus ſæpe reperiuntur vermiculi, licet foris nullum foramen conſpiciatur; niſi quod ipſi rodendo ab interioribus ad exteriora, adultiores & robuſtiores facti, pararint. Illos ab elementorum, aut atomorum quomodocunque figuratarum ſeu dubio, ſeu temerario concurſu non magis mecum natos credet, quam mures ex ſentina navium, aut in vaſe ligneo induſiis ſudore humano imbutis impleto, ſi modo alias nimis credulus murem cultro anatomico vel ſemet ſubjecerit unquam: propriis oculis uſurpare licebit in utroque ſexu affabrem fabricam omnium organorum inſervientium chylificationi, ſanguificationi, ſenſibus & motibus non minus ſtupendam quam in bove, etiamque in abjectiſſimo animali, Creatoris O. M. omnipotentiam, ſapientiam & bonitatem admirabitur. Vermium in gallis & fructibs generationem nullo modo æquivocam, ſed vere univocam eſſe evincunt conſtans illorum ſimilitudo ſingulis annis conſpicua. Illos generari ab illa ipſa anima, aut virtute naturali quâ fructus & plantæ producuntur, ſi dicatur, Nob. D. Redi exiguum in Philoſophia peccatum reputat & ſerio ridet axioma Scholarum à cauſa minus nobili poſſe negantium produci effectum nobiliorem; malo tamen ſentire

cum Exc. D. Philipp. Jacob. Hartmanno in Exercitat. de Generat. Mineralium, Vegetabilium & Animalium in aëre c. 4. in Append. ad Dec. II. Ann. 7. Atque etiam noſtræ ſententiæ favere videntur experimenta Ipſius D. Redi circa generationem Inſector. annotata: nam ſæpius periculo facto obſervavit nullos vermes in carnibus & piſcibus genitos, ſi acceſſum muſcarum, alias ovula ſua huc deponentium, ſtudioſe cavit. Taceo minutiſſimum acarorum genus vermium & aliorum Jaſpidem arrodentium, de quibus videatur lepidum epigramma Memor. Sachſian. c. 34. inſertum ab Exc. D. Joh. Dan Majore: Item ceram depaſcentium; Hi licet minutisſimi ſint & prope viſum effugiant, adoleſcunt tamen & ſe, procul dubio per ovula multiplicant perque microſcopia animalia vere eſſe conſpiciuntur ut ἱδρῶα, ſeu ſudamina, quas Hippocr. ſ. 3. aph. 21. inter morbos æſtivos numerat; non ſecus ac pulicum, pediculorum & pedicillorum, ut vocat Nic. Perott. in Cornu Cop. ovula ad maturitatem perducta vera animalia fieri cum moleſtia multi experiuntur: ab acaris forte derivandi teredines, tineæ, cimices, blattæ ſimilesque librorum & lignorum peſtes.

VI. Quoniam Nauta noſter, præ reliquis cibis quamvis lautioris fortunæ eſſet aliisque pro lubitu potiri poſſet, pane delectabatur illumque ſiccum copioſe avide ingeſſit, noſtri huic in victu errori verminationis tantæ culpam imputaſſent. Huic opinioni ſuffragari videtur proverbium, quod etiam in multorum Medicorum ore eſt, Omnis repletio mala eſt, panis autem peſſima: quod Curio in exegeſi ad 24. cap. Scholæ Salernit. derivare conatur ex Avicenn. Libr. I. Fen. 3. Tr. 2. c. 7. Venet. Edit. 1573. ſcire debes, quod impedimentum panis, cum non digeritur, eſt multum; ſed carnis nutrimentum, cum non digeritur, eſt minus hoc: quem locum Plemp. Canon. Med. L. 1. ſ. 3. c. 7. transtulit: Panis dum non concoquitur, magis offendit & nocet, quam caro non cocta; Ibique in Scholio ad hoc caput idem proverbium recenſet. Dioſcorid.

rid. l. 2. c. 107. Tritica cruda comeſta vermes teretes gignere tradit Galen. 7. in 6. Epidem. 7. etiam à pane, impuro præcipue & qui legumina admiſta habeat, quoq; verminationem derivat; Celeb. Hoffmann. Apolog. pro Galen. l. 3. p. 2. ſ. 7. c. 113. Revera materiam proximam vermibus dare ἀδδηφαγίαν ſeu voracitatem panis, etiam puriſſimi. Beverovic. in Penu Infirm. L. 3. c. 11. Vidit prægnantes ex pica ſolo pane triticeo veſcentes verminoſas factas fuiſſe. Huic proverbio Claud. Deodat. Panth. Hygiaſt. l. 2. c. 4. indignatur illudque invertit atque omnem repletionem malam, panis autem minimam eſſe profitetur; aliter ſentientes Artomaſtiges appellat; multa ibi de præſtantia coacervat; illum eſſe Regem omnium ciborum; illum ab omnibus ubique locorum expeti, ſine illo laudiſſimas dapes & Regum menſas pro nihilo reputari; in ciborum penuria annonæ caritatem imprimis ægre ferri; eſſe medium & temperatum inter alimenta; alia citius putreſcere, quibus plura alia adjungit. Clar. Buxtorf. in Synagog. Judaic. L. 2. p. m. 232. ex Thalmud. refert Panis eſt Medicina: Fel tribus & ſexaginta morbis infeſtatur, quibus omnibus medetur bucella panis & cyathus vini, aut in illorum defectu zythi aut aquæ. Quam opinionem quidam ex Judæis in vicinia noſtra ſe fovere nuper affirmavit, nulla ratione tamen ſtabilivit, ideò credulus, quod in Thalmude exſtet, licet Lanio fuerit & ad extiſpicia ſuperſtitioſa deſtinatus. Nob. Sebiz. de Alimentorum Fac. l. 2. c. 1. merito quoque panem præcipuum hominis alimentum ſtatuit: nam ſolus panis & per ſe & cum omnibus fere alimentis comeditur: ſine pane nulla eſca placet: addit, multi à caſeo, vino, lacte, ovis, piſcibus &c. abhorrent: à pane, quod ſciamus, nemo hominum, dummodo ſecunda utatur valetudine: Eſt enim panis ventriculo gratus; omni ætati omnique tempori conveniens; alimenti plurimi ejusque ſaluberrimi & firmiſſimi maximeque durabilis ferax: cætera fercula, etiam lautiſſima & ſapidiſſima, aſſiduitate & diuturnitate uſus ſui faſtidium pariant tandem,

panis

panis nullum, tametſi quotidie ingeratur: Reliqua ad panis commendationem pertinentia videantur in l. c. Meminit quidem puellæ 16. annorum ex Bruyerin. de re Cib. l. 6. c. 1. quæ neque panem neque alios cibos deguſtavit unquam, præter ſerum lactis, quod ipſum tamen vel momento panis injecto averſata eſt. Verum hanc Puellam non magis bene valuiſſe, quam Juvenem, qui à primis unguiculis ad vitæ finem non ſolum panem averſatus eſt, ſed nec pulticulas toleravit, veritati admodum conſonum eſt; quale apud Puellam vitium vel in gula, vel in ventriculo fuerit indigitare nequeo, quia hiſtoria ſine circumſtantiis aliis à Bruyerino recenſetur; in Juvene conjeci fuiſſe vitium in ventriculo, quia ingeſto lacte, cui parum micarum panis albi intritum fuit, valde angebatur. Videatur integra Hiſtoria Decad. II. Obſerv. 68. & Schol. 3. Ephemer. Curioſ. German. Exc. D. Hertod. Dec. I. Ann. 2. Obſ. 144. Ephem. Cur. ſuppeditavit Hiſtoriam Civis Nicolspurgenſis, qui per totum vitæ ſpatium non deguſtavit panem etiam famelicus, donec Quartana correptus fuerat: tunc in morbo hoc chronico fame quadam canina ſtimulatus ante paroxyſmum copioſe quidem panem devoravit, unde febris profligata fuit; attamen poſt ſuperatam febrim poſtea rurſus panem averſatus eſt: Apud hunc Civem inde magis phantaſiam inculpandam eſſe conjicio, quam ventriculum; quæ forte quoque in Puella illa Bruyerini labe non caruit, nam & illa quoque ſerum lactis averſata eſt poſtquam conſpexit momentum panis ei injectum fuiſſe. In Juvene Schol. 3. l. c. quoque aberrationem phantaſiæ concurriſſe ideo quoque arbitratus, quia variorum lignorum ſegmenta intra os admiſit, maſticavit, illorum ſuccum exſuxit & deglutivit. Sed miſſis Panem ob morbum aliquem averſantibus: Itineraria Variorum in Indiam Orientalem & Americam fidem nobis faciant integras etiam Gentes nullo pane veſci ex frumentis & leguminibus in farinam redactis, cum aqua depſitis & ad conſiſtentiam firmam coctis. Cl. Joh. Schefferum in Lapon.

pon. c. 18. ubi incolarum victus rationem deſcribit, Lapponibus pleriſque panis & ſalis uſum incognitum eſſe; ejus loco Ipſis eſſe pollinem piſcium & pini arboris cacuminum exſiccatorum: ex medio vero pini cortice parare pulverem ſuaviſſimi ſaporis, qui loco condimenti ſit. Novi plurimos Alpium Helveticarum & Rhæticarum incolas intra menſem non raro ne micam quidem panis deguſtare: Anno 1689. Menſe Julio Altorfio Uraniorum Curiam Rhætorum vocatus, via maximam partem à nive denudata primum inde Urſelam ad radicem Montis S. Gotthardi ſitam contendi; Ibi offendi Mejerum annorum prope 80. ſenem vegetum adhuc: in bello, quod Suecicum appellavit, huc confugit, & quia Piſtor erat inquilinum eſſe conceſſerunt, quod aliis etiam magna pecuniarum ſumma ſoluta raro concedunt, idque propterea quia prope ad milliaria tria Helvetica & amplius nullus talis artifex habitaret & præcipue ob hoſpites, panes è longinquo, ſæpe non ſine ſumptibus & periculo viis à nive occluſis petendi erant: induſtria ſua opes acquiſivit, & incolarum prope ditiſſimus ex piſtrina evaſit filiusque ejus civis factus ſummi Magiſtratus honores geſſit, Land-Ammannus renunciatus, ſeu Pater Patriæ. Dum ibi pernoctavi quoque in victus rationem incolarum inquiſivi; atteſtati ſunt plurimis raro contingere, ut pane potiantur, inprimis quia tum à milite nobis vicino commeatus impediebatur, quod multi aliis cibis aſſueti, non ægre tulerunt in æſtate: die ſeq. ſc. 19. Jul. Comite Land-Ammanno eques ad montem Criſpaltum per viam aſperam, ſaxoſam & ad latus præcipitem prope ad milliare altam aſcendi atque ad planitiem amplam perveni ibique Paſtores plurimos cum armentis ſc. vaccarum, boum, equorum, caprarum, porcorum offendi; quamprimum planities hæ obherbeſcunt huc cum jumentis properant, quod nunc citius, nunc tardius fit, plerumque tamen circa medium Maji, manentque ad Autumnum usque: interea vitam ſuſtentant lacticiniis, ſc. coagulo lactis, butyro, ca-

ſeo, ſero lactis, pultibus farinaceis, rariſſime pane; quotquot eorum vidi, erant Viri & adoleſcentes robuſti, bene colorati, ſine labore loca acclivia ſcandentes. Quamvis planities hæc jam herbida eſſet, multa tamen ejus jugera adhuc nive operiebantur à vaſtis glomeribus nivoſis huc ex altiſſimis jugis montium in fine veris & principio æſtatis devolutis: in hac quoque erat lacus aliquot millia paſſuum longus, latus ad quadrantem milliaris, cujus pars terram verſus glacie tecta, per quam prævio comite ultra quadringentos paſſus equitavi: ex hoc lacu emerſit altera pars Urſæ verſus meridiem properans & verſus Septentrionem effluxit rivus ſe jungens ſcaturigini Rheni anterioris, prope illam mihi dubiam reddens, nam major erat illo, qui ex ſcaturigine prodiit: tranſilii aliquoties pedes rivulum ſcaturiginis & paulo inferius tum alicubi glacie tectum, tum rapide jam fluentem equo permeavi: brevi tamen in deſcenſu montis, accedentibus plurimis rivis ex vicinis convallibus ad illum properantibus in flumen excreſcit. Utcunque frigus veſperi noctu & mane ſit ſatis intenſum, nihilominus Paſtores iſti cum victu ſuo, ſecus ac quiſpiam opinabitur, ſine valetudinis detrimento tolerant, quod ideo quoque mihi magis admirandum videbatur, quia ligna ipſis deficiunt & non aliis potiri poſſunt, quam ex Rhododendris, quibus parciſſime utuntur, ceu alias neceſſariis ad opera lactaria. Frigus hoc non impediit, quo minus in Urſelæ pratis abundarent prata Rhabarbaro Monachorum ampliſſimis foliis, oſtrutio, pimpinella ſanguiſorba aliiſque plantis vernalibus & æſtivis: in planitie conſpexi Meum, calendulam plantaginis folio, præſtans traumaticum, Helleborum album flore adhuc herbaceo, albo progreſſu temporis futuro, conyzam foliis latis & glabris præditam, auriculam urſi minimam purpuream, gentianellam pulcherrimo flore cœruleam, caryophyllatam flore tomentoſo, filipendulam, Napelli caules & folia, ſine floribus adhuc & plurimas alias plantas in tranſitu.

ſitu. Non ſolum autem in Alpibus Helveticis & Rhæticis, ſed quoque altiſſimorum montium incolas pane ſi non deſtitui, ſaltem non abundare credo, ut illorum uſus quoque non quotidianus eſſe poſſit, Anno 1645. Menſe Julio cum aliquot Medicinæ Cultoribus ad montem Baldum Patavio profectus ſum; inter quos erat Dominus Chriſtian. Bürger Dresdenſis, Contubernalis & Amicus meus ſingularis, qui jam ſecunda vice hæc loca adiit: inter alia & præcipue à Cl. Pona quoq; notata in Viculo Ferrata prope Coronam, ubi aliquot diebus commorabamur apud Senem humaniſſimum obſervavi in aheno ampliſſimo & capaciſſimo ex farina frumentorum, item milio, frumento Saracenico, & leguminibus, affuſa aqua paraſſe pultem denſiſſimam & craſſiſſimam, Polentũ vocant; quam ad lubitum coctam indebant vaſis ligneis amplis ad altitudinem circiter palmæ: tempore paſtus fruſtula oblonga ad unciæ circiter craſſitiem cultro exſcindebant & lacti aut alii juſculo calefacto indebant ac pro pane illis veſcebantur. Audivi aliquoties in Sylva Martia à lignorum putatoribus pro furnis Vitriariis & ferrariis, imprimis à Tyrolenſibus ſe ex farina cum butyro & pauxillo aquæ, aut lactis pultem quoq; denſam & firmam coquere: his veſcuntur mane antequam ad labores ſe accingunt & poſtea in medio operis; ſic ſe graviſſimis laboribus pares fieri nec ſe lædi à multa ingeſta aqua, imo ſe quaſi ſudore diffluere ajebant ſine virium dejectione. Hæc licet affinitatem cum pane aliquam habeant, panis tamen ſive fermentatus, ſive fermenti expers pleraq; non ſunt, qui ad ſiccitatem uſque quaſi aſſandus eſt. Hæc nos Sanctiſſimi Salvatoris noſtris effatum Matth. 4. v. 4. venerari jubent; *Οὐκ ἐπ᾽ ἄρτῳ μόνῳ ζήσεται ἄνθρωπος, ἀλλ᾽ ἐπὶ παντὶ ῥήματι ἐκπορευομένῳ διὰ στόματος τοῦ Θεοῦ.* Utcumque Alpicolæ veſci credantur cibis minus ad vitam conſervandam congruis, nihilominus tamen præterquam quod robuſtiſſimi & ad duros labores perferendos aptiſſimi deprehendantur, pridem etiam longævi reddebantur & non pauci Centum annos ſuperabant, ut

legi in Vita Thomæ Plateri Valleſii, Patris Felicis Celeberrimi illius Medici: in qua ſcriptor memorat multorum vitam decurtatam fuiſſe in Patria noſtra poſtquã per Confœderationes quidam divites facti lautius vivere cœperant. Aliquot Alpicolarum ſedes patrias relinquentium, panis eſui non aſſuetos novi, quando pluſculum ingeſſerunt ſævam Cardialgiam & ardorem ſtomachi paſſos fuiſſe, imo in morbos prope lethales incidiſſe, quod ante aliquot annos Colono prope Doneſchingam cum liberis pluribus robuſtiſſimis contigit. Utcunque vero Panis ſit Rex alimentorum, non tamen immunis erit à ſeminio verminoſo, à quo prope nihil ſublunarium tutum eſt. Si corporis humani vel poros vel minutiſſimorũ vaſorum oſcula ſeu acari, ſeu alii minutiſſimi vermiculi, aut illorum ovula ſubire poſſunt, quidni penetrent quoque frumenta & legumina? Et revera frumenta, legumina & ex iis parata ſeminio verminioſo inquinata fuiſſe experientia nimium quam clare teſtatur. Circa radices frumenti, cujus ariſtæ nigreſcunt minutiſſimos vermiculos rubicundos reperi: inveniuntur quandoque in ariſtis, in Zea flagellis decuſſo adhuc palea tecta, unde grana arroſa prodeunt, in nudo grano maxime cœlo pluvio collecto & repoſito, quæ vivida facta è granariis monopolarum & fœneratorum avolaſſe multos retuliſſe audivi, certe curculiones hæc ſæpe miſerè depaſcunt; reperuntur non raro à matribus familias in farina aliquandiu detenta in loco humidiore & minus perflabili; in hac primum in globulos minutos ejus particulæ coguntur & non diu poſt vermiculi deprehenduntur. In pane vermes repertos fuiſſe non pauci milites conquerebantur jam à biennio, ſive impurus fuerit, ſive ſitum contraxerit: in pultibus. Bibliopegorum imprimis æſtate recondi ſeminium tale indeque blattas & tineas reſultare in bibliothecis non ſine indignatione experimur. In ſiliquis piſorum foris integris, intus in ipſis piſis vermes repertos fuiſſe 1690. & 1691. à militibus in caſtris prope Manheim & Frankenthal, fide digniſſimi Medici apud

me confirmarunt, qui theca ablata avolarint. Quæ Voraci-ti nimiæ panis etiam puriſſimi adſcribit, id Plater. Prax. Tr. 3. l. 2. c. 13. Carnibus Practicus celeberrimus & feliciſſimus attribuit: ita enim ille: Infantes ſi carnibus nimis mature veſci aſſueſcant, nec in lactis uſu ipſis convenienti diutius perſeverent, facile à vermibus infeſtantur. Exiſtimat namque lumbricos gigni è chylo præcipuè in jejuno, ubi abundat, ſi portio illius vel craſſior, aut veluti carnoſior & pinguior, colore inteſtinorum diu elaborata, ſic formam & vitam aſſumens, in lumbricum unum vel plures convertatur. Conſentit tamen in eo quod cum Cl. Hoffmanno credit & Chylo vitioſo lumbricos à calore inteſtinorum produci per generationem æquivocam, ille ex chylo viſcido è pane copioſius ingeſto, hic ex carne non bene in ventriculo ſubacto & in jejuno diutius ſubſiſtente.

VII. Sedes doloris præcordiorum, ſeu cardialgiæ quoque vulgo ductæ ejuſque cauſæ non fuit ventriculi pylorus ejusve antrum: nam non erat tam vehemens, ut illa parte nervoſiſſima afflicta & valide ſe conſtringente plerunque fieri ſolet; erat potius gravans & comprimens, unde quamvis illum jam circa medium Julii pateretur, neglexit, nec remediis à Medico petitis uſus eſt, niſi forte Tragea groſſa, quæ quoq; ejus præſidium die primo nuptiarum fuit. Deinde termini hujus doloris gravantis & comprimentis ampliores erant, quam anguſtum ſpatium pylori ejusque antri, nam ſe extendebat ad utrumque Hypochondrium & ad Epigaſtrium, imo ultra regionem umbilicalem, denique præſente etiam dolore à medio Julii ad usque medium Septembris ſuo munere fungi potuit. Cauſæ doloris hujus fuerunt plures, ſc. primo Vermes quibus inteſtina ſcatebant & plures in duodeno vicinoque jejuno, qui in glomerem convoluti poſt mortem adhuc reſtabant, hos non nuper genitos illorum magnitudo teſtabatur; deinde flatus, nam jam menſe Julio cum dolore præcordiorum murmura ventris jungebantur; quod confir-

mat doloris extenſio inde ad utrumque hypochondrium ad epigaſtrium & ultra umbilicalem regionem; flatus autem præcipue colo incluſi videntur, quia dolor ſecundum coli ductum exporrigebatur; D. 5. Oct. à ſacculo carminativo levamen obtinuit; denique poſt obitum imprimis Colon flatibus diſtentiſſimum apparuit. Flatus tamen diu nulla tormina pepererunt quia alvus quotidie aperta & adhuc 9. Oct. fæces naturales excrevit, unde 5. Oct. gliſcentia citò à ſacculo tollebantur: recruduerunt tormina D. 12. 13. & 14. Oct. ſed horum flatus authores non erant, verum humores acerrimi, corrupti, fæcibus permixti, confluentes ex ductibus pancreatis bilariis & glandulis inteſtinalibus, depravatis ab inflammatione duodeni, jejuni, pancreatis aliarumque partium vicinarum, fæces enim erant granulatæ, pallidæ, flavæ, nigræ, fœtidiſſimæ, quarum acrimoniam prodidit mucus tenaciſſimus ſpermati ranarum ſimilis cum fæcibus excretus; inde etiam inteſtina poſt obitum à fæcibus plane munda erant: Procul dubio cruciatus majores quoque erant & gravius afflixerunt dum alluerunt ulcera, cancroſis ſimilia, in Ileo eaque amplius roſerunt. Tertio inflammatio duodeni, Jejuni & partium vicinarum; nam incipiente febri D. 22. & imprimis magis 28. & 30. Sept. poſtea menſe Oct. de hoc dolore querebatur, maxime quando paroxyſmi ſeu exacerbationes febriles Veſperi contigebant: hanc ob cauſam 8. Oct. attactum præcordiorum non pertulit, & licet poſt Vomitum putarit ſe ab hoc onere liberatum vel levatum eſſe, nihilominus attactum recuſavit, prætendens vomitum inde commotum iri. Inflammationem inteſtinorum tenuium peritonæum reſpicientium, quia rutila & ſuperficiaria, recenter, non diu ante obitum, ut & internam circa pylorum & ſtomachum obortam exiſtimo: cauſa forte harum inflammationum erat acrimonia humorum ultimis vitæ diebus ſurſum deorſumque rejectorum. Denique omenti accretio quoque ad dolorem hunc ſymbolam contuliſſe puto, quia inteſtinis inflatis ventricu-

triculus deorſum trahebatur. Poſt vomitum quidem putavit ſe minus gravari, quin à pondere humorum inteſtina & ventriculus ſublevata erant, unde ut penitus liberaretur Vomitorium expetiit: forſan minus premi ſe videbatur, quia partes inflammatæ ad ſphacelum tendebant, quod factum fuiſſe herniosis novi ob neglectam, aut male adminiſtratam repoſitionem, inteſtinis jam ſphacelatis, qui plane nihil amplius de torminibus conquerebantur, alvo ſponte rurſus aperta, uno atque altero die ante obitum. Certe duodeni & jejuni inflammationem inſignem & jam ad ſphacelum tendentem fuiſſe apparuit poſt obitum ex colore illorum atro rubeſcente flacciditate & receſſu à levi attactu membranæ exterioris à peritonæo oriundæ, quod non fit, niſi fortiter elixo inteſtino.

VIII. Tuſſis quæ ſtatim poſt hauſtum vini immaturi, æſtuante corpore, incepit & poſtea prope ſemper moleſta fuit, quia ſicca erat, & poſt validos impulſus nullum ſputum ſequebatur, procul dubio ab aqua in cavo pectoris excitata fuit, unde à pulvere laxante ſerum educente 4. Oct. remiſit, rediit tamen ſequente die; ſemel quoque mitigabatur à diacodio, ſpiculis irritantibus inde obtuſis & ſputo aliquantulum inſpiſſato, attamen quoque recruduit ſtatim: In pulmonum bronchiis nihil detinebatur, quod ad validam & inanem tuſſim ſtimulaſſet, nam pulmones erant molles. Colore ſubalbo & quaſi cineritio præditi: in poſtica tamen parte rubebant, rubor tamen iſte non erat index notabilis inflammationis, nam ibi molles permanſerunt & forte acceſſit ultimis diebus à Vomitu: inflammati ſemper ſimul indurati deprehenduntur; deinde vox ſemper clara manſit nec unquam ſtridor inter reſpirandum audiebatur; denique vix fieri potuiſſet, quia poſt tot impulſus, ſi quicquam in bronchiis hæſiſſet, quin expulſum fuiſſet. Ex hac anatome patuit in hydrope pectoris ab aqua tuſſes ſiccas excitari poſſe; licet nihil vel parum exſpuatur, ſive foris aquam extima pulmonum vellicet, ſive aliquid

aquæ

aquæ ſalſæ ſubeat oſcula illa, per quæ potiones vulnerariæ, aut turundæ ingreſſæ per tuſſim rejectæ fuerunt.

IX. Aſthma ex improviſo ipſum D. 7. Oct. mane hora 8. invaſit; nam qualis reſpiratio eſſet nemo advertere potuit, quia poſt 28. Sept. nunquam amplius domo exiit aut acclivia aſcendit. Ad illius tamen productionem non unam cauſam concurriſſe anatome & invaſio ejusque duratio monent: aqua in cavitate pectoris & pericardio contenta, pulmonum concretio cum mediaſtino & diaphragmate ejusque adhæſio pleuræ mediantibus fibris nerveis ſola ad aſthma producendum non ſuffeciſſent, etiam aqua in pericardium & cavum pectoris effuſa, hac copia, quam invenimus, nam pro lubitu etiam humili ſitu decumbere valuit, cum alias Hydrope pectoris affecti non poſſint niſi erecti ſpirare, imo tandem vix per momenta ipſis in lecto permanere concedatur; quin id progreſſu temporis, aucta eveniſſet aqua, nullus dubito; quia jam fatebatur ſibi melius foras, quam in lecto eſſe: Aliquid Convulſivi concurriſſe prope palpabile eſt, nam aſthma non antea proviſum invaſit mane hora 8. d. 7. Oct. duravit primus paroxyſmus ſex horis, ceſſavit duabus horis citra evacuationem, ſecundus duravit 24. horis atque hic fuit vehementiſſimus continuans per totam noctem & diem ſequentem ad veſperam uſque cum magna anxietate, ſudore largiſſimo & ſibilo quodam inter reſpirandum; videbatur tunc inter inſpirandum diaphragma non expandi, ſed introrſum quaſi trahi ægerque conquerebatur ſub hypochondriis aliquid transverſi ſitum eſſe, quod liberum ingreſſum aëris ad intima pulmonum impediret & tunc attractum illius loci non toleravit. Poſt breve intervallum tertius paroxyſmus rediit totaque nocte ad diem 9. Oct. afflixit. Mitius evaſit exhibita mixtura cui ſp. CC. ſuccin. & ſp. Sal. Armon. urin. additi, nox quietior & d. 10. & 11. Octobr. minus excruciavit; die vero 12. 13. & 14. Oct. ad Veſperam usque plane non moleſtum erat,

rat, quamvis concurrentes aſthmatis cauſæ perſtiterint nullaque notabilis excretio hucuſque obſervata fuerit: ſudavit quidem large d. 8. Oct. ſed absque ullo juvamine: 11. Oct. aliquid ſputi ejecit, verum tantillum cauſa tanti aſthmatis reputari nequiit, evenit procul dubio relaxata fibrarum pulmonicarum coarctatione, ob quam quoque ſibilus ſponte ceſſavit. Juverunt diſcutientia & acrimoniam obtundentia ſc. ſp. CC. &c. & diacodium magis quam alia expectorantia, aut evacuantia. Convulſio harum partium procul dubio nata fuit â vellicatione nervorum intercoſtalium & vagorum atque etiam phrenicorum, unde in inſpiratione diaphragma expandi nequierat. Irritamen fortè fuerunt aqua in pectore ſtagnans & ſanguis ad corruptionem tendens in cruribus diaphragmatis inflammatis & jam ad gangrænam vergentibus. Fortè etiam tuſſis convulſiva fuit, quia vehemens & ſimul inanis fuerat ac præludium fuit gravioris pulmonum convulſionis.

X. Vomitus tandem ſupervenit corruptis humoribus ad ventriculum à motu inverſo inteſtinorum pulſis, qui primum ad vomitum ſtimulabantur, nec irritare deſierunt, donec plenis faucibus magnam copiam humorum evomuit: humores ab inteſtinis proveniſſe inde conſtitit, quia ſimiles erant illis qui per ſeceſſum ejiciebantur & poſt obitum in cavo abdominis & inteſtinis adhuc redundarunt: Non autem ſimiles potulentis ingeſtis; inſuper tanta copia quantam vix plures Ventriculi ampliſſimi capere potuiſſent, ejecit partitis vicibus; multis modis quantitatem potulentorum ſuperavit humor rejectus aliquot diebus aſſumptorum. Ex toto corpore ad inteſtina pravos humores confluxiſſe fidem fecerant humores largiſſime per ſeceſſum vomitumque excreti & in cavum abdominis effuſi. A violentia vomitus, Ileon ruptum fuiſſe ambigi nequit, quia ſtatim poſt primum Vomitum totum abdomen intumuit atque in cavum abdominis profuſa ſimilia erant in vicino Ileo reſtitantibus.

XI. Mors calamitatum finem fecit; poſtquam ſc. Cor non amplius ſanguinem propellere valuit, non propter apoplexiam, aut influxum ſpirituum animalium circa nervorum exortum prohibitum, nam paulo ante obitum ipſemet, neceſſitate compulſus è lecto ſurrexit; nec ob coagulationem ſanguinis in auriculis & Ventriculis cordis, nihil enim polypoſi, aut concreti in his locis apparuit, imo ſanguis adhuc fluxilis erat: ſed ob fibrarum motum cordis efficientium enervationem quandam, nam ſublato ſanguine è ventriculis & auriculis plane flaccidum erat. Ad cordis robur infringendum plures cauſæ concurrerunt, febris à partium internarum inflammatione ſufflaminata quæ multum quoque de ſanguinis parte magis ſpirituoſa conſumpſit, inflammationi accedente gangræna & prope ſphacelo, ſanguis magis depravatus fuit,quam peſſimæ notæ fuiſſe non obſcure indicarunt ulcera rotunda Ilei prope cancroſa, mali moris & jam ad ſphacelum tendentia; unde nobis primo intuitu Veneni clanculum ſuggeſti ſuſpicionem præbuerunt & perſuaſiſſent ſi alia ſigna ab aſtantium examine nobis innotuiſſent. Acceleravit mortem ruptura Ilei, quæ etiam 22. hora poſt conculcationem, Sebaſtiano Kuttruff, ut huic poſt 22. horam à Vomitu funeſta fuit, quamvis ille ante inteſtini lacerationem ſanus & robuſtus eſſet. Martinus Schmidt demum poſt 36. horam rupto inteſtino mortuus eſt prægreſſis Convulſionibus & Vomitu ſanguinis. Vigiliæ, inappetentia, ingurgitatio aquæ, ſtagnatio ejus intra pericardium, tuſſis vehemens & ipſum aſthma enervationem cordis procul dubio multum promoverunt, ut tandem propulſando ſanguini non amplius par eſſet eoque in Ventriculis ſtagnante penitus ſuccubuerit. Inteſtina & Ventriculus poſt obitum à flatibus diſtenta permanſerunt, quia forte fibræ à nimia diſtenſione tandem omnem vim contrahendi amiſerunt, ut Veſicæ urina diutius retenta evenit.

## OBSERVATIO CLXXII.

## D. JOH. JACOBI WEPFERI.

# Inteſtini Laceratio ſine abdominis vulnere.

MArtinus Schmidt/ famulus in Monaſterio V. S. C. annorum circiter 30. ſtaturæ juſtæ, gracilis, attamen robuſtus, Anno 1657. d. 5. Januar. Veſperi hora circiter quintam, Ebrius ex equo in terram decidit equique laxatis habenis rectore deſtituti, ipſo ſupino jacente, quadrigæ vacuæ duas rotas laterales ſuper ventre rapiunt, tranſierunt illæ paulo ſupra pubem in hypogaſtrio transverſim: ſtatim aſſumpta evomuit. Erectus à ſociis inceſſit: domum ægre delatus fuit: creberrime vomuit & tandem ſtercòra: impenſe ſitiit; verum ventriculus omnem potum, cibum & medicamenta protinus per os ejecit: inquietus admodum fuit: alvus occluſa & urina ſubſtitit. D. 6. Januar. poſt meridiem vocatus deprehendi Hypogaſtrium valde tumidum: injecto clyſtere parum fæcum ejecit: pubi ſacculo cæparum pelliculis infarcto & in aqua cum pauxillo aceti cocto, urinam guttatim emiſit eamque ſubcruentam: nox inquieta & nec per momentum dormire valuit; perſeveravit continua ſtimulatio ad vomitum: ſubinde artus ſuccutiebantur: impenſe ſitiit; frigidam expetiit. Summo mane cruoris magnam vim evomuit: Subſequebatur Convulſio univerſalis & paulo poſt mors; adeo ut vix triginta ſex horis poſt illatam hanc calamitatem ſupervixerit. Cadaver Veſperi d. 7. Januarii aperui: ablata cuti muſculorum portio in hypogaſtrio, inſtar ſpongiæ, ichore cruento turgebat: diſſecto peritonæo aqua ſubcruenta, non admodum copioſa occurrit: Inteſtinum Ileon in parte dextra rubebat ejusque portio ibi unciæ longitudine & latitudine prope ab externa membrana pars denudata

erat ac ſi illa quaſi abraſa fuiſſet: ibi quoque foramen inveni, vix primo intuitu piſum admiſſurum, ex quo prodierunt flatus, chylus & tenuiora excrementa, preſſo inteſtino. Aliquot in locis Ilei portiones ſanguine ſuffuſæ erant, quas ſcilicet rotarum impetus aſſecutus eſt: verum rubor iſte ſuperficiarius fuit. Veſica integra quidem erat, ſed contracta, craſſa, rugoſa, atrorubeſcens; continebat urinam ſubcruentam. Ureteres ambo integri quoque. In ventriculo illiusque confiniis nulla labes obſervabatur.

## *SCHOLIA.*

### I.

EXemplum hic quoque præbet integra cute cæterisque integumentis abdominis non laceris, inteſtina à vi forinſecus illata rumpi poſſe, quod eo citius fit, ſi inteſtina flatibus aliisque contentis diſtenta ſint: & quidem citius à tali corpore obtuſo & gravi, quam quandoque à gladio, creditur enim convexam & lubricam inteſtinorum ſuperficiem non raro declinare ejus cuſpidem.

II. Vulneri exiguo Ilei, antequam inflammatio acceſſit, motus inteſtinorum inverſus isque vehementiſſimus ſupervenit, nam ſtatim vomuit continuavitque fere ad ultimum halitum ut tandem magnam copiam ſanguinis evomuerit: ſuccuſſio artuum convulſiva eidem vulneri partis nervoſæ attribuenda eſt & forte etiam convulſio univerſalis, cum obſervatum fuerit, plures utriusque ſexus aliquot libras, citra tale ſymptoma ſuperveniens evomuiſſe.

III. Rubor reliquarum partium & contuſio neutiquam talia ſymptomata peperiſſet. Ante aliquot annos Feneſtrarius quidam homo ſtatura brevis & macilentus Telonarium quendam in vicinia noſtra multivariis injuriis affecit; ultra bien-

biennium hic alto corde dolorem preſſit; cum vero hoc elapſo tempore Feneſtrarium in ſylva offendiſſet nihil tale metuentem amplius, Telonarius juſſit ut ſponte ſarcinam vitriariam deponeret atque priapo taurino, quem vindictæ cauſa in promptis habuit, comprehenſum brachio primum à nucha ad talum, hinc à jugulo ad malleolos uſque fortiter percuſſit ut vix inter ullam atque alteram vibicem ſpatium digiti latitudine ſupereſſet. Ab hujus conflictus loco domum ivit quæ circiter dimidium milliare inde diſtabat: altero die à Magiſtratu loci vocatus in lecto decubuum inveni conquerentem imprimis de abdominis & pectoris doloribus; Cruenta minxit, per alvum egeſſit & tuſſi rejecit, paucis remediis iisque negligenter ſumptis convaluit. Non contentus hac paterna Caſtigatione, ut illam appellavit Telonarius, in jus vocatus, nequitiis ſuis perrexit effecitque ut Carnificis caſtigationem infamem Feneſtrarius experiri debuerit. Hoc pernitioſo bello ſæviente frequentiſſime audiuntur minæ de plagis non triginta novem inferendis, ut conſueverat in populo DEI fieri, ſed centum; imo ducentis impingendis idque non loris, ſed fuſtibus, Turcico more, quas æque inſontes ac ſontes perpetiuntur: novi aliquot has plagas citra vitæ jacturum ſuſtinuiſſe.

# OBSERVATIO CLXXIII.

## D. JOH. JACOBI WEPFERI.

## Abdominis vulnus penetrans ſine læſione Ventriculi & Inteſtinorum.

J de M. Juvenis ſanus & robuſtus, annorum circiter 20. Faber Lignarius, dum per rimam januæ bifidæ non bene clauſæ corpore incurvo aliquantulum proſpectat à W.B. in parte ſiniſtra epigaſtrii ſub cartilagine enſiformi nudo gladio vulneratur, ejus cuſpide ad interiora penetrante d. 10. Oct. 1655. citra profuſionem notabilem cruoris ex vulnere, ſtatim aſſumta evomuit, vehementer angebatur, ſubinde ſingultiit, doluerunt hypochondria: quando ſingultiebat in toto corpore ſuccutiebatur & diaphragma convelli videbatur. Nullo remedio vires labantes refici poterant. Die 11. Oct. Veſperi hora 5. ſc. hora 17. poſt illatum vulnus mortuus eſt. Cadavere aperto reperi præſentibus aliquot Chirurgis Lobum ſiniſtrum hepatis perfoſſum, Renis dextri ſuperficiem ſecundum longitudinem ſauciam, &, ac ſi ictum, gladio jam in abdomen adacto, homicida iteraſſet, cuſpidem ſub epate in dextro latere ſuper cava diaphragma tranſiiſſe & dextri lobi partem imam ſauciaſſe atque inter coſtam 7. & 8. ſubſtitiſſe nec cutim penetraſſe. In abdomine multum ſanguinis turbidi & quaſi lutulenti extravaſati occurrit; in cavo pectoris redundavit ſanguis ſplendide rubeſcens. Poſt diligentem inquiſitionem cum Chirurgis nullum vel in inteſtinis vel ventriculo vulnus deprehendere potui: unde aperto abdomine nullus fœtor percipiebatur, qualis alias eminus ſtantium quoque nares ferire ſolet.

## *SCHOLIA.*

### I.

EX hoc caſu non obſcure patet Ventriculum & inteſtina quandoq; declinare cuſpides enſium ſeu ob lubricitatem, ſeu conſiſtentiam molliorem: nam à vulnere epigaſtrio ſiniſtro inflicto vix fieri potuit, quin in progreſſu inde ad renem dextrum ventriculum & unam alteramve inteſtinorum portionem cuſpis attigerit; eoque magis quia poſt compotationem ventriculus & inteſtina procul dubio turgentiora quoque fuerunt.

II. Sanguis abdominis turbidus, lutulentus & aliquomodo cinèritiis quaſi particulis permixtus apparuit ob chylum ei confuſum, non ex diſciſſis venis Meſentericis, quæ ſanguinem cum aliis venis ſimilem, quantum hactenus obſervavi continent, nec ex receptaculo chyli, quia cuſpis illud non attigit, ſed ob vaſa chylifera majora & plura ſaucia.

III. Vulnus ſimpliciter & per ſe ab Ampliſſimo noſtro Magiſtratu noſtro juſſus, lethiferum pronuntiavi ob Hæmorrhagiam nulla arte medicabilem.

[*Scaphuſio Auguſtam Vind. d. 8. Julii, An. 1692. miſſæ.*]

OBSER-

# OBSERVATIO CLXXIV.
## D. JOH. ZACHARIÆ FüRSTII.
## Reſpiratio difficilis à Polypo cordis.

STrenuus ac Generoſus D.D.N.N. de Bonzelet Vice-Chiliarcha, & Comendans Cochemienſis annorũ circiter 50. ante triennium in hyeme, diuturna vexatus vertigine curatus eſt per ſpecifica, nuper in præſidio Cochemienſi ex malè obſervatis ſeu rebus non naturalibus, imprimis animi affectibus ira & mœrore, incidit in gravem dyſpnœam, in quâ reſpiratio difficillima, cum continuo præſentiſſimæ ſuffocationis periculo, pulſu inordinato, ſiti intensâ, appetitu proſtratô, pedibus intumeſcentibus. In fine veris Cochemii à Clariſs. D. D. Waſſerman p. m. adhibita ſunt hydragoga, & ſpecifica aſthmatica, unde levamen quidem habuit, remanente tamen adhuc, ex causâ quacunque procatarcticâ, reſpiratione difficili facillimè recidivante. Circa principium Auguſti Cochemio deſcendens Confluentiam incidit in idem malum, multò tamen acutioribus ſymptomatibus ſtipatum, difficiliore reſpiratione, proximiore ſuffocationis periculo, facie prius pallidâ, dein inſtar ſtrangulatorum luridâ, pulſu plane inordinato, quandoque quod mirandum, per multa horæ minuta omninò ceſſante; adhibita ſunt denuò talia, quæ ad ſanguinem in pulmonibus congrumatum reſolvendum, ſtagnantem, ad naturalem motum reducendum, & hinc præcordiorum anxietatem ſublevandam, difficultatem reſpirationis facilitandam efficaciſſima ſemper cum ſperato effectu ſunt inventa, ſed fruſtraneo conatu; quoties ſupinus in lecto decubuit, adfuit pectoris anxietas & reſpiratio difficillima, dum in ſedili erectus ſedit nonnihil levaminis eſt expertus. Agrypniæ continuæ per dies quatuordecim ne vel ad horæ quadrantem ſomnum permiſerunt, ſed quieſcendo ſpaſmodicis quaſi convulſionibus identidem expergefactus eſt: pedum

pedum intumeſcentia diſcutientibus ſæpe tentata, nullis medicinis ceſſit, verum indies majus cœpit incrementum. Itum eſt in conſilium, cui demum origini tam deſperati mali pertinacia adjudicanda foret: de cordis polypo aderat ſuſpicio, quisque tamen nervorum pulmonibus dicatorum convulſioni, & ſpirituum eisdem inſervientium inordinato motui malum aſcribere malebat, nec tamen inſignes pulmonum obſtructiones à quacunque cauſa ſubortas negabat: Inſiſtitur itaque omni conatu ſolvendæ in pulmonibus ſive materiæ impactæ, ſive congrumato ſanguini, & obſtructis eapropter tam admittendo aëri deſtinatis arteriæ aſperæ ramis per pulmonum parenchyma explicatis, quam per- & re- vehendo ſanguini dicatis, per pulmonum ſubſtantiam diſperſis vaſorum meatibus reſerandis, tum animalium ſpirituum motui impetuoſo compeſcendo, nervorum irritationi & nimiæ ſenſibilitati corrigendæ; verùm itidem caſſo tentamine, pharmacis quidem, ut teſtabatur Generoſus Patiens virtutem ſuam ſtrenuè exerentibus, nihil tamen opis obſtinatæ pectoris anxietati, & virium paulatim fatiſcentium debilitati roboris conferentibus: donec increbeſcente magis magisque de hora in horam reſpirationis difficultate, & concomitante illam pectoris anxietate, ſufflaminato cordis & arteriarum pulſu, inter tormentorum tonitrua, & globorum imbres infractus atque imperterritus ſemper Heros ſolius aëris denegatione, non moriendo, verum continuâ ſuffocatione intereundo fatis vitam, Deo animam, cultro anatomico corpus cederet ad mali fontem & fomitem examinandum. Aperuimus ad Clementiſſima juſſa Eminentiſſimi Domini noſtri, pectus; diſſecta cute, apparuit pinguedo ad craſſitiem duorum pene digitorum, ſubſtratum diaphragma fuit innoxium, pulmo dexter utcunque incolumis, excepta portione ad magnitudinem palmæ ob impeditum & congrumatum in eadem ſanguinem, inſtar aduſti cruoris atrâ, durâ, ad dilationem pro recipiendo aëre inepta. Secto pulmone ſiniſtro ſtatim affuêre ſanguinis gru-

muli piſa fabasque magnitudine æquantes, hinc inde arteriæ aſperæ ramis per pulmonem vagantibus affixæ, exque ſanguiferis per eundem pulmonem errantibus vaſis ob ſtagnationem in parenchyma extravaſatæ, denſæ, velut reſina, lentæ, divulſioni vix obtemperantes, totus hic ſiniſter lobus, decolor, durus, cum alterius unâ portione ex atro luridus, prædictis grumulis ubique infarctus: cæterum erat ſine noxa aſpera arteria: cor ſuæ incluſum pyxidi ingens ſatis, extus apparebat integrum, ventriculus dexter erat ſine labe, ſiniſtro verò diſſecto ſtatim in conſpectum prodibat polypus duarum penè ſpithamarum longitudinem adæquans, ex eodem ventriculo in aortam transverſo digito craſſus in pyramidem acuminatus propendens: aliàs, exceptâ hepatis magni penè libras octo ponderantis una lobi parte omninò flaccidâ, & ſiniſtro rene toto ſcirrhoſo cum duplicatis vaſis urinam deferentibus, reliqua omnia viſcera erant incorrupta. Quibus ita conſtitutis ſic mecum ratiocinabar, polypum in ſiniſtro cordis ventriculo cauſam exſtitiſſe, cur elaborandus in corde ſanguis, ſufflaminatâ in eodem requiſitæ fermentationis efferveſcentiâ, debitam perfectionem minus nactus, crudus, craſſus, viſcoſus, & ad circulationem ineptus permanſiſſet, jamque ad pulmones deductus, in iisdem ob cruditatem & viſcoſitatem ſtagnâſſet, ſtagnando extravaſatus balſamica ſua oleoſa portione depauperatus eſſet, atque ita grumeſcentiam, lentorem, & ſpiſſitudinem acquiſiviſſet, taliterque conſtitutus cum ſanguiferos pulmonum ductus, tum ejusdem parenchyma infarciendo obſtruxiſſet, & ad dilatationem pro recipiendo aëre inſeparabiliter neceſſariam, hac ratione infarctam pulmonum ſubſtantiam omninò inhabilem reddidiſſet. Porrò eædem ſpiſſæ ſanguinis grumæ à nobis per pulmonis ſiniſtri lobum in maxima copiâ, craſſo lentore, ut divelli vix poſſent, inventæ, aſperæ arteriæ ramulis per parenchyma pulmonis explicatis adjacentes easdem in inſpiratione preſſerunt, ut nec illæ dilatationi obſequerentur, ideoq; aërem neque ad- neque

intro-

intro-mitterent, quibus poſitis neceſſarium fuit, & neceſſitate conſequentiæ infallibile reſpirationem ſufflaminari, non aliter ac experimur, quoties per nimbos & nebulas ambulando heterogeneo & ſpiſſiore attracto aëre pulmones infarcimus, reſpirationem reddi difficilem, ex infarctu pulmonum anguſtiam comitari, & quaſi ſuffocationis periculum imminere, diſſipato tali nebuloſo aëre velut cauſâ mali extrinſecâ, facile ſuperabile: ſecus ac in noſtro aſthmatico experti ſumus, cujus cauſa veluti intrinſeca quoniam nullis Medicorum conſiliis, quamvis ipſe ſanguinis motus reſtitutus fuiſſet, ſuſtolli, nec grumæ tam lentæ pulmonibus infarctæ reſolvi, nec hinc læſum & induratum pulmonum parenchyma inſtaurari potuiſſent, facile hariolabitur quisque infallibilem pene dixerim & inevitabilem à talibus circumſtantiis mortis præſentiam. Accedunt ſpaſmodicæ arteriarum & hinc annexorum nervorum â propendente polypo, quamvis aliquando inſenſibiles in hujus tamen patientis inordinato pulſu nunquam non notabiles convulſiones, niſi corrigantur (quemadmodum in hoc patiente corrigi non poterant) morti oſtium aperientes; ex dictis jam facilè quisque colliget, ut paulò ante inſinuatum eſt, turbatum pulſus ordinem & ſæpe intermittentem, ſi modo conſideret cordis ventriculum ſiniſtrum, ab hoc polypo quandoque, ob quamcunque cauſam, turgidulo, cùm ad maturam, & citam feſtinamque nimis effuſionem incluſi ſanguinis irritatum, tum ipſum aortæ arteriæ oſtium infarctum, ut nec ventriculi cordis valvulæ rareſcentem taliter qualiter adhuc ſanguinem effundere, nec aorta recipere potuerint, unde pulſus modo feſtinus, modo tardus, & debilis, modo aliquot minuta intermittens. Tumor pedum admodum obſcurus non eſt explicatu ei, qui recordatur aſthma ſæpe in hydropem migrare, ſiquidem in aſthmaticis, ut ex ante allegatis rationibus patet, ſanguis circulum ſuum non ritè frequentat, ſed propter obſtructos meatus ſpiſſior pars impeditur, liquidiore ſive ſero transeunte, quo paula-

tim incrementum capiente & ad pedes velut à corde, unde novum aliàs vigorem & ad circulandum promptitudinem acquirit, remotiſſimos deducta dum in his à venis reſorberi ob ſpiſſitudinem nequit, nec revehi poſſit, neceſſario pedes in tumores diſtenduntur. Qui exactam polypi deſcriptionem deſiderat, adeat Clariſs. Marcelli Malpighii diſſertationem de polypo cordis, ab hoc reſpirationem difficilem inductam & conſignatam inveniet in A. N. C. Eph. Germ. anno ſexto dec. 2. obſ. 233. p. 528. apud Tulpium l. 1. obſervat. cap. 7. apud Bonet. ſepulchr. anatom. l. 2. ſect. 1. p. 430. Verum novis hic difficultatibus implicabar, in alia Viri alicujus Illuſtriſſimi ſectione, deprehenſo in utroque cordis ventriculo polypo, ponderante dextri ventriculi unciam unam, ſiniſtri verò drachmas quinque, nihilominus patiens hic immunis ſemper vixit ab aſthmate & convulſionibus; cæterum patiens hic alioquin ſalaciſſimus, & à lue vénereâ, quâ ante infectus fuerat, & adhuc dum vexante podagra per plures annos contractus è loco ſe movere non poterat, quo volebat, portandus erat, cibus, potusque per famulum ejus ori admovendus, in tanta quidem quantitate, ut fatigatum per diem triturio validum ruſticum ſaturâſſet, dormiebat quietus & placidus, in miſerrimo quo torquebatur vitæ ſtatu, naturali quaſi hilaritate & jucundis facetiis integrum conſortium ſine tædio multiloquax detinebat, ad ultimum vitæ fere terminum nunquam tetricus aut tædioſus, donec una alteráve ſeptimana ante obitum graviſſimâ tuſſi corriperetur, cum tam copioſa ſeroſitatum acrium & fœtidarum excretione, ut nemo præ fœtore in cubiculo poſſet ſubſiſtere, excretorum humorum acrimonia ita fauces excoriaverat, ut neque loqui neque cibos amplius deglutire potis eſſet, donec fatiſcens, conſumptis viribus diem obierit. Cur in hoc patiente abfuerit reſpirationis difficultas? occupante utrumque ventriculum polypo, DD. Collegis conſiderandum relinquo.

## SCHOLIUM.

POlyporum cordis cùm aliqua ſit differentia, aliis congrumatum ſanguinem, quibusdam carnoſum & membraneum corpus, aliis verò, & quidem utplurimum, concretum adipem referentibus, diverſas etiam conjecturas circa Problema à Nob. Dn. Autore propoſitum inſtituere decet, quia ipſa Obſervatio Polypi deſcripti naturam ſpecialiùs non exprimit. Uti verò eum, qui coagulatum æmulatur cruorem, poſt mortem demum hanc ſpeciem induere credibile eſt: ita, ſi tales in hoc Viro Ill. fuiſſent, difficultatem reſpirandi in vita ipſius abfuiſſe, mirum non foret. Sin autem ſubſtantiam adipoſæ æmulam habuerint, non longè ante mortem vel in ipſo agone generari potuiſſe, mihi dicere liceret; id quod Exc. *D. D. Joh. Conr. Peyerus* de Polypo, cujus hiſtoriam in *parerg. anat. 3. cap. 6. Schol.* ſiſtit, etiam judicat. Et ſanè tales hos exſtitiſſe mihi veriſimile videtur, cùm ſerum ſanguinis in iſto ſubjecto abundaſſe, copioſa ejusdem ante mortem excretio innuat; idque inſuper craſſius extitiſſe, vitæ genus, quod polyphagum fuit, inprimis perſuadeat; unde eò facilius, adauctâ ejusdem acredine vel aciditate, cujus teſtes ſe tuſſis, atque in ea humoris excreti acrimonia ſiſtunt, coagulatio ſive paulò ante obitum, ſive etiam poſt eundem accidere potuit, præſertim ſi balſamicæ & rubicundæ ſanguinis partes per morbum diminutæ fuerint. Quamvis nec carnoſos & membranaceos polypos planè excluſos velim, qui reſpirationi impedimentum facere propterea non valuiſſent, ſi cor magnum, amplioribusque præditum ventriculis pro ſede inveniſſent, nec magna ſanguinis quantitas, ejusdemve motus concitatior adfuiſſet; præterea ſolis in ventriculis latitaſſent, nec prolixiora crura in vaſa pulmonaria emiſiſſent. Quæ omnia tamen prudentiori Dn. Autoris deciſioni ſubjicio.

*[L. Schröck Luc. fil.]*

# OBSERVATIO CLXXV.
## D. JOH. ZACHARIÆ FüRSTII.
## Reſpiratio difficilis, & urinæ incontinentia à nimia pinguedine, & diverſis aliis cauſis proveniens.

NUm verum ſit illud Cygni Bilbilitani:

*Dulcia defectâ modulatur carmina linguâ*
*cantator cygnus funeris ipſe ſui:* diſputent quibus eſt otium, affirmat Ariſtoteles l. 9. c. 2. de hiſtor. anim. negat Plinius l. 10. c. 23. alius cygnus, de quo mihi ſermo, hic, quem jam à longo tempore aſthma nullis remediis cedens, & in retinendâ urinâ difficultas torſerat, à cœna veſpertina, inter ſuaves Contubernalium & Fratrum ſermones, & teneros jocos ſibi funebrem leſſum accinit, cantandoque triſtes, hilari lætoque animo, de morte nænias, ſibi vivus parentat, cum enim circa nonam veſpertinam gradus aſcendere nititur, advertit ſpirandi difficultatem invaleſcere, ab amanuenſi ægrè ad cubile deductus ſe reclinat in ſedem, acceptaque abſolutione reſpirare deſiit. Aperto poſtridie abdomine apparuit pinguedo totum circumcirca corpus obſidens ad trium transverſorum altitudinem. Omentum facile triginta libras civiles pependit, hepar grandius; lien tres quantitate æquavit, in gibba parte omninò oſſeus; veſica minima, quæ facile oculos eluſiſſet ob ſuam exilitatem, & pinguedinis, cui immerſa jacebat, craſſitiem: venæ lacteæ erant apparentes, in thorace cor itidem grandius, venæ coronariæ huc illuc per illud repentes oſſeæ, veſtiente utrimque os tenui membranulâ, duobus in locis erant contiguæ dicam an continuæ? Ut minimam acûs cuſpidem eliderent; pulmones vaſtiſſimi: ceciderat ante aliquot tempus ex equo, hinc de dolore obtuſo lateris ſiniſtri, ad dorſum vergente conquerebatur.

## *SCHOLIUM.*

VEnam cor ingreſſuram interius clauſam cartilaginosâ ſubſtantia, ut vix aciculam admitteret, obſervavit Clariſſ. D. D. Steph. Blanckart. anatom. pract. ration. p. 14. membranam lienis à pluribus oſſeam inventam ſcribit Malpighius Biblioth. anatom. p. 348. lienem oſſeum cartilagine incruſtatum Ephemeridibus Germ. A. N. C. anno 3. decur. primæ p. 288. obſ. 58. communicavit Clariſſ. D.D. Chriſtianus Rudnicius. *Thomas Bartholinus in ſua Anatomia cap. 16. de liene p. 159. tunicam accepit tenuem & ſimplicem, hepatis tamen membrana craſſiorem, quæ in ſeneſcentibus plurimum ſæpe induratur, ut & oſſea evadat & cartilaginea.* Reſpirationis in hoc patiente difficilis cauſam fuiſſe arbitror nimiam & excedentem pulmonum magnitudinem, & denegatum hinc ſufficiens ipſis dilatandis ſpatium: *Franciſcus de le Boë Sylvius prax. med. l. 1. cap. 24. §. 12. augeri credendum pulmonum nutritionem, quoties iidem conſiſtentiam & ſubſtantiæ modum naturalem ſervantes, nimium tamen excreſcunt, atq; pectoris cavitatem ita replent, ut inde impedita potius quam difficilis reddatur reſpiratio, cujus rei exemplum ſemel atq; iterum poſt mortem in ſectione habui.* Diſpnœam à pulmone maximo in puello refert Philipp. Salmuth. cent. 1. obſ. 22. ſi ſimul quis culpam in omentum ſua mole diaphragmatis motum impediens rejecerit, per me licet, ab omenti pinguedine dyſpnœam inductam recenſet Rhodius Cent. 2. obſerv. 24. Sit ut ſit, à quacunque ex recenſitis difficilis reſpiratio producta fuerit, fuit immedicabilis, ſiquidem nec pulmones minui, nec omentum poterat atteri. Urinæ incontinentia an veſicæ anguſtæ (quæ tamen obſervante Bartholino maxima & auguſtiſſima eſſe debuiſſet, ſi pulmonum æmuletur magnitudinem cap. 20. p. 197.) & à pinguedine penitus oppreſſæ imputanda, an refrigerato, vel paralyſi affecto ſphincteri danda? an verò nervorum ad ſphincterem

clau-

claudendum reſolutioni, quam caſus inferre potuiſſet, aſcribenda ſit? non decerno.

## OBSERVATIO CLXXVI.
## D. JOH. ZACHARIÆ FüRSTII.
*De*
# Empyemate ex pleuritide Paracenteſi curato, tandem hydrope mortuo.

ANnis, ni fallor, abhinc ſex à pleuritide proſtratus Aulæ noſtræ pediſſequus meam implorat operam, actutum adſum omne pleuritidis exquiſitioris ſatellitium à Galeno l. 3. de locis affectis graphicè depictum præſtò eſſe obſervans. Venæſectio cùm ratione pleuritidis tùm ratione plethoræ, luculenter indicatæ juxta Conſilium Clariſs. Williſii parte 2. pharm. ration. ſect. 1. cap. 9. & Fabritii Hildani cap. 5. obſ. 30. nunquam feliciter experti ſucceſſum oppoſiti lateris, in brachio affecti lateris, conſulto tempore, celebratur. Propinantur, in ſimili malo quæ ratio & longus uſus, edocuerat, medicamina, nihilominus æger nullo aut hypocauſto, aut benigniore conclavi vacante, loco acerbitati frigoris iniquius expoſito collocatus per octiduum ferè decumbit, priusquam ſive camino, ſive fornace inſtructum cubile nanciſceretur, ob inſpiratum aërem frigidiorem, & impeditam hinc anacatharſin, malo ſelectioribus pharmacis inſultante in Empyema id degenerat, indigitante idem Hippocrate ſect. 5. aph. 8. hic pluribus incaſſum adhibitis, quibus requiſitas evacuationes excitatum iri ſperabam, ne æger anguſtiæ pectoris & copioſiſſimæ à multis diebus collectæ peccanti materiæ paulatim ſuccumbens deficiente in- & ex- ſpirationis negotio ſuffocaretur, inſtitui jubeo paracenteſin, ratus

adi

ad chirurgiam confugiendum. Hanc noſter Empyicus nondum ex dolorum injuriis debilitatus, aut fatiſcens æquis utcunque viribus, inter quintam & ſextam coſtam lateris dexteri, naturâ locum per tumorem præmonſtrante à peritiore Chirurgi noſtri Aulici operatione, perpeſſus per patulum vulnus materiam utprimum egeſſit inſtar cremoris lactei albicantem, quæ quoties vulnus detegebatur, tanta rebellione ad aliquod tempus erumpebat, ut ſiſti vix poſſet ſummâ Chirurgi renitentia: ſucceſſit pedetentim perfectior puris ſubſtantia fœtidiſſima, demum creſcentibus morbi diebus & fœtore vix tolerabili, continuo ſanies exactius elaborata & cocta, usque dum exhauſto pure, corpore moleſti hoſpitis præſentia libero, & ope Siphonis injectis per vulnus in thoracis cavitatem decoctis ex myrrhâ & aloe &c. conflatis bene purgato vulnus ad conſolidationem dirigeretur. Jamque morbonæ jugo ereptus æger ſua ritè munia exequitur, nihil in pectore peregrini, aut in reſpiratione moleſti, nihil in expuitione purulenti obſervat, donec exacto unius anni cyclo fiſtula per paracenteſin cauſata ad cicatricem olim conſolidata, eodem tempore, & præter propter die, quo aperta fuerat, reaperiretur. Hic denuò Empyicus per hoc foramen materiam plus minus olentem, illi, quam fontanellæ ſudant, congenerem derivare cœpit, fiſtulam veluti fontanellam, quà mane quà veſperi pure, quod vomit, liberat, ſua interim munia ſic permittente fiſtulâ inculpatus obit, foramine ne aliud ex conſolidatione malum emergat hactenus patulo, anno circiter ante obitum ex diætæ erroribus, maximè poculorum certamine, cum ii paſſim ubique mores invaleſcant, qui tritum illud verificent: More palatino bibitur ne gutta ſuperſit, unde ſuam poſſit muſca levare ſitim, & cantores, quorum albo inſcriptus erat, ament humores, ex his, inquam, in hydropem incidit, à quo licet ſemel ſibi reſtitutus reſpirarit in eundem iterato lapſus fatalem. Ineunte Decembri 1691. aperto cadavere, nulla in

abdomine materies inventa eſt, fuerat enim paucis diebus ante obitum copioſè ſuâ ſponte evacuata, viſcera omnia ſi ventriculum materiam flaveſcentem complexum exceperis, flaccida; pulmonum lobus dexter deerat, ſiniſtro ſano exiſtente.

## SCHOLIUM.

INteritum ſuum natura ut amoliatur, nihil relinquit intentatum in humana fabrica, priusquam ejusdem ſtructuram diſſolvi patiatur, quidquid nocivi aut peregrini invenit per inſolitas ſæpe vias nobis à priori incognitas ſolita evacuare, via ſurſum intercepta feſtinat deorſum, hinc repulſa transverſim non raro deflectit, invia facit ſibi pervia, ut quidquid eſt moleſtum, exturbet, ſic pus empyematicum Eph. Germ. A. N. C. anno 2. decur. 1. obſ. 146. p. 230. ſub formâ fœdæ ſcabiei, & per ſeceſſum anno ſexto & ſeptimo ejusdem decuriæ obſ. 147. per foramen cutaneum à vena inciſa eliminavit; per abſceſſum ſub alis & umbilico non ſine præſentiſſimo empyematicæ ſolatio pus ejectum legere eſt apud Tulpium l. 2. obſerv. c. 6. p. 108. per os vero, ſedes, urinas & uterum ſucceſſive apud Binningerum Cent. 5. obſ. 58. Cum autem compendioſiore & pleuriticis nonnunquam etiam Empyicis magis familiari via, per anacatharſin ſcilicet pus expurgari ſoleat, liceat mihi in hanc viam inquirere, ſeu potius quorundam authorum afferre opiniones. Galen. l. 5. de locis affect. cap. 3. Eraſiſtrati ſententiam per venas pectoris mediante corde ad pulmones pervenire autumantis ceu incongruam rejicit aſſerens, materiam eam per pulmonum tunicas tranſudare, additque, quod ſi in fracturis, cum cutis oſſibus ſuper impoſita adhuc eſt integra, ſanguis aliquando cutim membranam craſſisſimam transmitti poteſt, & faſcias circumvolutas cruentare, quidni pleuriticorum & empyicorum pus per ſubtilisſimam pulmonum membranulam transſudare poſſit? Andreas Laurentius l. 9. p. 362. diſtento thorace pus à pulmone infla-

inflato vult ſugi inſtar ſpongiæ, contracto autem thorace in aſperam arteriam protrudi: idem penè modernæ anatomicorum inventiones approbant, niſi quis vellet nodum in ſcirpo quærere, & verbis immorari & immori, iisque diſſentire, dum idem aliis terminis effertur. Pulmonum enim ſubſtantia, tenuis, lævis, & poris multis inſignita, qui quandoque tam patentes reperti ſunt, ut piſi majusculi æquarent quantitatem quemadmodum in vivorum diſſectionibus obſervavit Walæus. Barth. anat. reform. l. 2. cap. 9. Malpighius eam eſſe pulmonum ſtructuram, qualem referunt apum favi ex tenuiſſimis ſcilicet & leviſſimis veſiculis orbicularibus & ſinuoſis conflatam detexit. Harvæus l. de generat. animal. 3. p. 43. perforationem pulmonum, cujus ſe venditat inventorem, maximè in pennatis ſcribit tam patulam, ut in ſtruthiocamelo ſeſe meatus reperîſſe aſſerat, apicum ſuorum digitorum capaces, & paulò poſt ſubjungit: *imo vero dubitare liceat, an non in homine, etiam dum vivit, aër per dictos meatus in thoracis cavitatem penetret: quomodo enim aliter Empyicorum pus, & pleuriticorum extravenatus ſanguis illuc affluant? in vulneribus pectoris (illæſis etiam pulmonibus) aër per vulnus foras erumpat? aut liquores in cavitatem pectoris injecti cum ſputo reddantur?* idem ſentit Lindenius Medic. Phyſiol. l. 2. cap. 6. §. 286. aſſerens tamen dictorum meatuum eſſe abuſum non uſum. Via reſerata eſt, nunc reſtat quærendum, cur pus ſemper vel ſaltem ut plurimum hac mediante via non evacuetur? eritne cum Luca Tozzi dicendum, illud ſolummodo elutriari, quod eſt fluxilius, & per ſepti transverſi propulſionem pulmonum lobos proximius attingit? hæc de anacatharſi: Jam ad paracenteſin progredior, hæc quam tutò ſi ſat citò inſtituatur, docet hic noſter Empyicus, certo certius ſuffocandus, ni eadem ſuppetias tuliſſet; quam perperam omittatur, docet Williſius pharm. ration. par-

te ſecunda, ſectione prima, capite decimo, cauſamque ferè inſinuat: quod materiam primo inodoram, poſtmodum tantoperè fœtidam reddiderit, non debebat ſcilicet monente Hippocrate ſectione ſexta, aphor. 27. una vice copioſiſſima materia evacuari, hinc repetitâ ad evacuandum foraminis denudatione aër inter operandum ingreſſus materiæ albicanti hanc alterationem ſive fœtorem induxit, quæ decoctis ſupra inſinuatis ablata ſunt, & pediſſequus hac operatione è mortis faucibus ereptus. Attamen non paucis eſt religio, quos forte minus ſolide avtopſia fundavit in experientia, ad hanc, ut ajunt, lanienam gemebundos ægros cogere, namque quasvis hoſtilis contenti evacuationes naturæ beneficio per vias ei patulas peragi poſſe contendunt, tali crudelitate in corpore vivo neutiquam ſæviendum eſſe aſſerentes, ſcilicet meticuloſi tales artis inexperti ignorantiæ ſuæ tegmen ſalutare à miſericordia mutuantur, ut miſeros exundantis materiæ copia ſtrangulare, quam in libertatem aſſerere malint. Abſit tamen omnem onuſtæ hujuscemodi operationis culpam velle in Medicos derivare, in ægros, in conſanguineos inſanè miſericordes crebro jacienda venit. Eodem anno æquo ſerius ad Domicellam à pleuritide ob inſcitiam Chirurgi Medicaſtri empyematicam factam vocatus, exhibitis ei à materiæ copia penè ſuffocatæ exhibendis, ſuadebam ſedulo paracenteſin, naturâ locum inter quartam & quintam coſtam per tumorem deſignante, at reluctantibus tam ægrâ quàm conſanguineis, miſera poſt aliquot tempus, ut prædixeram, juxta Hippocratem ſectione quinta, aphor. 15. tabida interiit. Periodica conſolidati foraminis per paracenteſin cauſati reapertio nullatenus in operationem, ſed in materiam vitio diætæ per annum collectam redundat: quam natura per eandem viam, quâ olim hoc onus rejecerat, egerere eſt molita; & quin ab inordinata diæta hydrops promanârit nullus dubito, nullius enim viſceris in abdomine,

mine, præter atoniam, inſignior labes affuit, quæ inundationem hanc intuliſſet. Bene itaque *Etmüllerus in ſua praxi parte ſecunda, pag. 30. imo fieri poteſt, ut ſine vitio alicujus viſceris hydrops naſcatur, quando ab errore externo, à potu frigido confertim ingeſto aqua colligitur; atque adeo non ſolius hepatis, ſed & aliorum viſcerum culpâ, imo interdum viſceribus penitus illæſis hydropem generari poſſe conſtat.* Ibique notat pectoris pathematibus hydropem ſuccedere. Quo modo hydrops oriatur, vide quæ in prima obſervatione de humore pedum dixi. In Empyematico ſiniſtri lobi pulmonaris abſentiam ejusque loco 20. pocula ſaniei vide apud Schenckium Obſervation. Medicin. l. 2. p. 249. quod lobus hic poſſit deficere ſtante reſpirationis negotio habet Hippolytus Boſcus de facultate anat. lectione quarta, p. 40. ſeque bis in cadaveribus ob morbum venereum inunctorum obſervâſſe ſcribit; utriusque lobi defectum, absque reſpirationis læſione invenies anno 4. Decuriæ primæ, Ephemer. German. A. N. C. Obſervat. 30. pag. 31.

[*Anno 1692. d. 6. Auguſti Confluentiâ Norribergam miſſa.*]

# OBSERVATIO CLXXVII.
## D. GEORGII TOBIÆ DüRRII.
## Fœcunditas in ſenio.

INter rara fœcunditatis exempla dedit nobis terra Salisburgenſis in Hofmarchiâ Stein ſub dominio Illuſtr. Dominæ Comitiſſæ de Taxis, &c. natæ Comitiſſæ Fuggerin, &c. ubi Cereviſiarii Georgii Lohrs conjux Maria Lohrin, cum in conjugio ſterilis viveret, & annos ætatis ſuæ quinquaginta ſex compleret, mortuo marito, cum ſecundo ad vota matrimonialia deſcendit, eaque tam ſecunda & fœcunda, ut ætatis ſexaginta duorum annorum conceperit, geſtaverit, feliciterq; enixa fuerit primum & ultimum infantem per omnia ſanum, Aliis ſuæ ſortis ſpem ponens, ne omninò deſperent, quamvis vix una aut altera ſit, quæ in arido tali ſenio ſimilem fœcunditatem deſideret, in viridi autem auditur quotidiè Juvencularum lamentatio non modò in illis, ubi inſignis proſapia, aut Crœſi theſaurus jacturam patitur, ſed ubi ſyncerus cohabitandi animus poſteritatem poſcit: ſi ergò ſterilitas ab uteri laxitate & humorum pravorum colluvie dependet, præmiſſis univerſalibus præparantibus & evacuantibus balneum artificiale tripartitum in plurimis optatum præſtitit effectum, quem inter Alias experta fuit Domini Georgii Chriſtophori Widemanni Civis Auguſtani Uxor anteà per plures annos ſterilis, poſteà autem plurimorum liberorum fœcunda mater facta: balneum autem hoc eſt, mundato corpore primum balneum eſt emolliens: ℞. Herbar. mercurial. M. vj. altheæ M. iiij. verbaſci, paralyſeos c. flor. ſalviæ ſylveſtris, meliſſæ, origani, matricariæ, flor. chamomill. melilot. ãã, Mij. Radic. liliior. albor. ℥ij. althææ, enulæ. ãã. ℥j. inciſ. commiſc. ad ſacculum coquendum in aq. fluviali q. ſ. balneet manè & veſperi habitâ virium ratione, continuando per ſex dies, & ſumendo omni mane antè ingreſſum balnei doſin unam hujus pulveris

veris cum juſculo. ℞. Tartari Vitriolati Sal. meliſſ. & corallior. ocul. Cancr. præp. ãã. gr. vj. M.f. pulvis & ſic doſes æquali N. vj. ſecundum balneum eſt laxans. ℞. Herb. mercurialis M.vj. betonicæ, meliſſ. ſalviæ ſylveſtris. ãã. M. iij. chamædryos, origani, artemiſ. matricar. ãã. Mjß. puleg. calaminth. ſatureiæ, flor. chamom. melilot. ãã. Mj. Rad. bryoniæ ℥vj. Ireos noſtrat. ℥ij. rub. tinct. ℥ß. inciſ. commiſc. ad ſaccul. Antè ingreſſum balnei matutini ſumat doſin hujus pulveris cum juſculo ℞. Fæculi bryon. Vitrioli Martis, Salis puleg. Pulv. Syrii ãã. gr. v. M.f. pulvis, & ſic doſes æqual. Num. vj. Tertium balneum eſt corroborans. ℞. Herb. mercurialis. M. vj. betonic. ſalviæ, meliſſ. paralyſ. c. flor. ãã. M. iij. rorismarini, origani, ſerpill. flor. roſar. rubr. ãã. Mij. Spicæ Celticæ. folior. lauri. balauſt. majoran. agrimoniæ. ãã. Mj. Radic. acori paluſtris. caryophyllat. ãã. ℥ij. pentaphyll. ℥ß. Cyper. rotund. ℥iij. inciſ. commiſc. ad ſacculum. Ante ingreſſum pulvis iſte eſt ſumendus. ℞. Salis corallior. dulcific. gr. vj. ſuccini volatil. gr. iij. Pulver. viperini ℈ß. M. f. pulvis ad ſex diſtinct. doſes. Notandum, quod unum balneum quatuor vicibus, duobus nimirùm diebus poſſit uſurpari manentibus ſemper iisdem ſpeciebus, dein renovari oportet, ne fœtorem concipiat. Pro roboratione viſcerum in fine prandii & cœnæ ſimili tragæâ uſus ſum. ℞ Cinam. acut. ʒiij. Spec. Imperator. ʒiß. Corall. rubr. præp. ʒj. Succolad. Indic. ℥ß. eſſent. aurant. ſicc. ℥ij. Panis Martii ℥iij. M. f. pulvis. Felicior autem effectus ex balneo hoc tripartito ſecutus eſt, ſi balneum emolliens ante menſes fluentes, laxans menſibus aut fluentibus aut ceſſantibus (pro conſideratione naturæ & virium) & demùm confortans uſurpetur.

OBSER-

## OBSERVATIO CLXXVIII.
## D. GEORGII TOBIÆ DüRRII.
# Dyſenteriæ periculoſiſſimæ ſuperveniens fluxus hepaticus.

VIrgo Monialis Hilaria Grienbergeria, annorum ſupra triginta, per plures annos duram habebat alvum, ut non niſi quarto aut quinto die excrementa deponeret in menſe autem Septembr. ex affluxu & confluxu humorum acrium bilioſorum, pituitoſorum, acidorum, dyſenteriâ corripitur cum nimis frequenti excretione: pro leni itaque eductione mox in principio morbi die 19. Sept. pulviſculum rhabarbaratum præſcripſi. ℞. Rhabarb. nobil. pulverizat. vin. granator. irrorat. & leviter toſt. ʒj. Nuc. Muſcat. gr. v. M. f. pulvis pro doſi unâ; excretiones ſecutæ ſunt cum tolerantiâ. Pro potu ordinario interdictâ cereviſiâ ob majorem fermentationis metum, erat aqua cum pane calido, cui mixtura hæc ad gratiam miſceatur. ℞. Tinct. roſar. ℥iiij. Syrup. Myrtin. compoſ. de roſis ſiccis. aa. ℥ij. Spir. Vitr. q. ſ. pro manifeſto acore. Die 20. cum fluxus alvi cruentus & purulentus intensè dolorificus & frequentiſſimus eſſet, de pilulis his Extr. tormentill. ℈ij. Theriac. Cæleſt. ℈ß. Balſ. Indic. gr. iiij. M. f. pilulæ Num. lx. pulv. tormentill. inſpert. manè & veſperi Num. iij. 4. aut quinque deglutiat, non neglecto clyſtere ſæpiùs iterato ex lacte chalybeato, terebinthinâ in ovi vitello diſſolutâ, Mithridatio &c. creſcente autem magis fluxu & dolore ad conciliandam naturæ quietem die 22. potiunculam hanc nocturno tempore ſumpſit. ℞. Laudan. opiati cydoniat. gr. v. extract. tormentill. ℈ß. Syr. Corallior. ʒiij. aq. plantag. ℥ß. cynam. cydoniat. ʒij. M. die 23. continuante ferè ſine intervallo excretione, & viribus deficientibus potus ordinarius mutatus eſt. ℞. Radic. tormentill, ℥iß.

℥iß. CC. uſti contuſi ℥ß. Nuc. muſcat. ʒij. Cydon. ſiccat. Prunor. ſylveſt. contuſ. aa. ℥ß. Suberis. ʒij. *Maſtich. in gran.* ℈j. ſem. coriandr. præp. ʒij. inciſ. commiſc. coquend. in ollâ novâ vitreatâ cum aquæ menſur. iiij. Ad conſervandas vires autem ℞. Aq. prunor. ſylveſtr. ℥iß. Margarit. præp. Corall. rubr. Bezoar. or. aa. ℈ß. Confect. Alchermes ℈j. Aq. perlar. uſit. ℥j. M. ad vitr. de quâ cochleatim ſæpiùs ſumatur. noctu pilulas has deglutiat. ℞. Extr. tormentill. ℈ß. Theriac. Cœleſtis. gr. v. M. f. pilul. Num. vij. intereà non neglectus eſt clyſter. ſuperior, & ventri emplaſtrum adſtringens impoſitum. ℞. Bol. armen. Terr. ſigillat. ſanguin. Dracon. aa. ʒiß. Maſtich. Thuris. aa. ʒj. Cort. granat. fl. balauſt. aa. ℈ij. Caryophyll. Cinam. Nuc. Muſcat. aa. ℥ß. Terebinth. ʒij. Colophon. Ceræ Citrin. aa. ʒiij. Theriac. Andromach. ʒij. M. f. la. emplaſtr. die 24. reiteratæ eædem pillulæ, à quibus dolor quidem remiſit, fluxus autem continuus fatalis ſiſtentia ſpecifica requirebat. ℞. Croc. Martis adſtringentis. Flor. ferri. Troch. de ſpodio. Bol. armen. præp. Lapid. rubric. aa. ʒß. Margarit. præp. Corall. rubr. præp. aa. ℈j. Miſc. f. pulvis, ſumatur de eo quantum acumina tria cultri capere poſſunt, mane & veſperi, cum Syrupo ſequenti: ℞. Syr. Myrtin. compoſ. d: roſis ſicc. aa. ℥ij. M. continuatis his unà cum clyſtere & potu ordinario omnia videbantur felicibus avibus agi, cum autem die trigeſimo fluxus hepaticus ſequeretur cum magnâ copiâ inſtar loturæ carnium, viresque adeò dejectæ eſſent, ut ab omnibus adſtantibus pro brevi moribundâ haberetur, res ulteriori hâc via & quidem felici tractata fuit, ℞. Spod. Flor. roſar. rubr. Bol. armen. Terræ ſigillat. Hæmatit. aa. ʒß. Corall. rubr. præp. Charab. Margarit. non perforat. Gum. Arabic. tragacanth. Sem. papav. alb. portulac. malvæ, roſar. rubr. plantag. CC. uſt. Succ. acaciæ, aa. gr. xv. Sperniol. Croll. ʒjß. Miſc. f. pulvis addend. Balſam. Indic. gr. viij. & cum Syrupo Myrtin. compoſ. q. ſ. M f. Electuar. doſis manè & veſperi cochlear. unum. ℞. Eſſent. Catechu. ʒj. Balſ. Sulphuris terebinthinat. g. viij. M. ad duas doſes de die & nocte cum

brodio ſumend. ſæpiùs autem utatur hâc gelatinâ diſſolut. in Juſculo ℞. Ichthyocoll. ℥ß. Raſur. ebor. & CC. aa. ℥ß. aq. fontan. ℥vij. coq. ultra dimid. coletur & refrig. externè cordi & utrique pulſui epithema impoſitum. ℞. Aq. cordial. è ſuccis ℥iiij. Aq. Carbunculi ʒj. acet. è rubo idæo, fl. tunicæ aa. ʒiij. Spec. pro epithemat. Cord. ℈j. Miſc. Tandem inter prædicta, non leve attulit auxilium pulticula hæc bis aut ter in die de eâ ſumendo. ℞. Maſtich. in granis. Gum. Arabic. Ceræ alb. ſubtiliſſimè raſ. aa. ʒß. M. f. pulvis includendus in pyro aut malo cydonio, & cum modico aq. & ſacchar. coquend. in formam pultis.

## OBSERVATIO CLXXIX.

## D. GEORGII TOBIÆ DüRRII.

## Sudor ſanguineus in Juvene.

JUvenis quidam Studioſus N.N. cum propter inſolentias nocturnas & alia tentata carceri injiceretur, talem timorem & anxietatem cordis paſſus eſt, ac ſi ad mortem uſque deliquiſſet, ut ſparſim in pectore, manibus & brachiis guttulæ ſanguinis erumperent & transſudarent: Re ad Inclytum Magiſtratum delatâ, juſſus ſum Eum viſitare & hiſtoriam explorare, quæ omnia cum oculis meis vidiſſem & Incarceratum in periculo vitæ conſtitutum deprehendiſſem, ad inſtantiam meam (pœnâ quidem reſervatâ) dimiſſus, & tenuior factus ſanguis ſublatâ omni anxietate ad priſtinum ſtatum reductus eſt.

[*Auguſtæ Vindelicorum An. 1692. d. 9. Auguſt. exhibitæ.*]

OBSER-

## OBSERVATIO CLXXX.

## D. JOH. MAURIC. HOFFMANNI.

*De*

# Partu ſingulari catellorum glabrorum & piloſorum.

ADduxerat hûc ſecum ex Angliâ Amicus quidam canem femellam glabram, ceterum autem nullâ pulchritudinis ſpecie commendabilem, ſed capite oblongo ſuilli imaginem exactè repræſentante deformem; quam cùm canis piloſus è noſtratibus compreſſiſſet, ſuccedente partu excluſit duodecim catulos, ſed duplicis quaſi proſapiæ, ita ut ſex maternam glabro, ſex rurſus piloſo corporis habitu paternam progeniem ſervaverint. Mater autem nullo fœtus hoſce ſuos fovebat amore, ſed placentis involucrisque membranaceis ſingulorum conſvetis avidiſſimè devoratis, pedibus eosdem calcitrabat, iratoque morſu impetebat, ſicque omnes ſpatio viginti quatuor horarum morti tradebat; cumque interea ubera lacte turgida evaſiſſent, conducta ab hero vetula blanda digitorum ad papillas factâ preſſione lac emulgere jubebatur. Poſtmodum amicus diſceſſum parans canem iſthanc femellam ſecum quoque abduxit, quam nos aliàs libenter retinuiſſemus, viſuri, an denuò ingravidata ſimilem prolis varietatem partu ſit editura.

# OBSERVATIO CLXXXI.
## D. JOH. MAURIC. HOFFMANNI.
*De*
## Procidentiâ uteri nothâ.

UTerum, primum illud viventium hoſpitium dicam an ergaſtulum? nonnunquam revera inverti, & poſt partum ab imperitis audaculisque obſtetricibus placentam utero adhûc arctius connexam cum funiculo umbilicali violenter nimis extrahere allaborantibus quaſi evelli, Cl. Fr. Ruyſchius in Obſervat. Anatom. Chirurg. Centur. Obſ. X. add. Figur. XII. eruditè demonſtravit, ſimilemque caſum aliquando me obſervâſſe memini: Extra partum autem tunicæ interioris vaginam uterinam inveſtientis nimiam extenſionem, & inde ſubſecutam propenſionem ſub uteri ipſius prolapſi ſpecie Medicis & Chirurgis quandoque impoſuiſſe certum eſt, & à Jobo van Meekren Obſervat. Medico-Chirurgic. cap. LIV. p. 250. & ſeqq. confirmatum: Confer. David. van der Becke Diſſert. Anatomico-practic. de procidentiâ Uteri. Atque hanc in rem genuinam ego afferam obſervationem: Nempe enim mulier quædam paulo poſt medium geſtationis tempus torminibus ventris forte correpta obſtetricem & matronas aliquot advocari deſideravit, atque parturiendi præſentes creditos conatus, illis annuentibus, ſtrenuiſſimè proſecuta eſt, ſed irritos, loco enim fœtus expectati per validiora ſuſcepta molimina tunica interna vaginæ uterinæ rugoſa nimium protenſa ſeſe in conſpectum dedit, & extra pudendum pendula adſtantes in ſtuporem abripuit; Perterritæ igitur ſingulæ, cùm quid agendum eſſet, animi decem ipſis in pectore incerti certâſſent, Medicum expetierunt conſilium; vocatus ego comparui, atque prædictam tunicam ſub rotundo tumore prominulam, præmiſſo congruo fomento, median-

diante candelâ cereâ ad eum uſum affabre factâ blande retrudi curavi, neque denuò excideret, linteo triplici Aquæ fabrorum ferrariorum, cui rad. plantag. biſtort. pentaphyll. flor. roſar. rubr. ſumach. & cortex guajaci incocta erant, immerſo & poſtmodum expreſſo, ſuperinductâ faſciâ conveniente, firmavi, demum ſequens Emplaſtrum regioni pubis externè admoveri juſsi: ℞. Rad. biſtort. cyperi, fl. chamæm. roſar. rubr. balauſt. gallar. aa. ʒj. Nuc. cupreſſ. acaciæ thuris aa. ʒß. Maſtich. caſtor. aa. ℈ij. G. ladani ʒij. Picis & colophon. aa. ℥iß. M. f. Emplaſtrum. Horum autem remediorum ſuſcepto uſu optime rurſus ſe habuit patiens, & ſubſecuto juſto partus tempore fœtum maſculum peperit adhuc vitalem. Sed ut nunc alteram qq. memorem obſervationem, talem mihi ſuggeſſit ancilla quæpiam paupercula, ante aliquot annos deflorata, quæ ex intenſiſſimâ ſpiritus cohibitione ſub ponderis gravioris elevatione inſtituta pariter tunicam internam vaginæ uterinæ ultra modum extendit, ut extra pudendum proruperit, & inflammationem ſumme dolorificam ſuſceperit, ut adeo coacta ſit opem implorare, quam etiam poſt decentem repoſitionem ex anodynorum, adſtringentium, ſiccantiumque remediorum uſu ſenſit.

## OBSERVATIO CLXXXII.
## D. JOH. MAURIC. HOFFMANNI.
*De*
# Vulnere oculi.

JUvenis, annos natus decem ſupra octo, cultri acie violento impetu in oculum dextrum adactâ vulnus paſſus eſt per corneam tunicam & diſſectum papillæ inferiorem ambitum verſus interiorem oculi concamerationem exporrectum, ad quod ſtatim inſequebatur humoris aquei ſuprà genas effuſio: Perterritus ille me illico advocavit anxie in

auxilium, quod ut præſtarem, per Chirurgum vulnerato oculo primum inſtillari, dein, cum petiâ admoveri juſſi albumen ovi probè conquaſſatum, & tantillo Aquæ roſar. alb. dilutum; (utpote quo ſolo evporiſto antehac vulnus albugineæ & corneæ tunicæ conſolidaveram,) nec minùs juxta cum diætâ exactâ, atque quiete ægro demandata, inflammationi, dolori, aliisque metuendis ſymptomatibus remediis idoneis proſpexi: Sic idem optime per quatriduum ſeſe habuit, adeoque audacior redditus quinto die è lecto ſurrexit, & cum ſodalibus largiori cereviſiæ potui indulſit, peſſimè tamen rebus ſuis conſuluit, inſequente ſiquidem nocte vomitio atque ſub hac facta violenta capitis concuſſio affluxum tantum ſanguinis ad oculum afflictum concitaverunt, ut inflammatio ſummè dolorifica, lacrymarumque ſtillicidium comites ſeſe adjunxerint individuos, & vulneris labia jamdum contactu propinquo ſibi juncta rurſus dehiſcere cœperint. Pro quibus coërcendis Venæſectionem revulſoriam, veſicatoria ad nucham applicanda, & pediluvia ſalſo nitroſa ſalubria futura ſuaſimus, oculo autem tale collyrium inſtillavimus:

℞. Aq. plantag. euphraſ. roſar. alb. papav. errat. ſambuc. aa. ℥j.
Sief. alb. ſine opio ʒß. Sacch. Saturni ℈ß.
Matris perlar. præp. Nitri ſambucin. aa. gr. v.
Ms. ad uſum.

Poſtea palpebris impoſuimus aluminis crudi & boli armeni pulverem, cum albumine ovi in formam linimenti redactum: & linteolo molli exceptum. Placato hunc in modum dolore, & inflammatione mitigata, de vulneris conſolidatione nos apprime ſollicitos eſſe decuit, quapropter oleum Saturni rubrum tantopere à Fel. Würrzio in chirurgiâ ſuâ laudatum oculo quotidie inſtillavimus, demum autem ſequens collyrium cum linteolis intinctis applicuimus.

℞. Boli armeni diligentiſſime ſuprà porpyrit. cum Aq. roſ. alb. lævigat.
Sief. alb. ſ. o. aa. ℥ß.
Ceruſs. lot. Tut. præp.
Lap. calaminar. præp. aa. ℈j.
Aq. plantag. euphraſ. roſar. alb. aa. ℥j.
Syrup. de Roſis ſiccis ʒiij.
Ms. Dr. ad uſum.

Atque ita divinâ adſpirante gratiâ feliciter curavimus prædictum vulnus, exiguâ cicatrice conſpicuâ relictâ, oculo autem globoſam figuram prominulam per humoris aquei antea deperditi reſtaurationem à ductibus aquoſis novis, ſtudio Celeberrimi Nuckii luci publicæ expoſitis, ſuggeſtam rurſus adepto.

## OBSERVATIO CLXXXIII.

## D. JOH. MAURIC. HOFFMANNI.

*De*

# Salis lixivi ſive alcaliſati citra acidi aſſociati beneficium eveniente & perdurante cryſtalliſatione.

CRyſtalliſatio Salium operatio notiſſima, (ſub quâ particularum Salinarum vel ſolarum, vel metallicarum mineraliumque molecularum connubio junctarum, ope menſtrui antea ſolutarum, in ſubſtantiam ſplendore pelluciditate atque angulosâ eminentiâ cryſtallo ſimilem, factâ fluidi diluentis q. ſ. ſeparatione, concretio evenire ſolet, non immerito invitat curioſos rerum ſcrutatores ad contemplationem figurarum diverſarum in cryſtallis Salinis notabilium; quarum quidem varietatem, aut ab ipsâ molecularum Salinarum, aliarumque conjunctarum rigidarum, diverſimode jam figuratarum, ac per motum à particulis circumfuſis fluidis æthereisq; ſubeuntibus impreſſum variè extenſa-

tenſarum, per quietem ſuccedentem demum ſibi invicem in molem majorem factâ adaptatione & concretione provenire ſuſpicamur, ſicuti aliâ forſan occaſione paulo curatiùs declarabimus. In præſentiarum autem id phænomenũ ſaltem recenſebimus, quod haud ita pridem inter alia varia Laboratorii noſtri chemici nobis obtigit. Nimirum vulgari equidem more receptum eſt, Salium lixivorum ſive alcaliſatorum vegetabilium poſt incinerationem & elixivationem prolicitorum cryſtalliſationem adjecti Sulphuris per deflagrationem exſolvendo acido facilitare, atque ſic futurum in aëre humidiore eorum præcavere deliquium: ſed enim verò cùm textura alcalica liberaliori præſertim addito Sulphuris connubio imũtetur, & ad ſalſam ſive enixam indolem redigatur, celeberrimi Bohnii, Fautoris honoratiſſimi, in Diſſertat. Chymico-phyſic. XIII. S. 27. veſtigia preſſimus, atque Salis lixivi, ex carduo benedicto, althæâ, & hyſſopo ſimul concrematis poſt primi lixivii factam inſpiſſationem relicti ſolutionem cum Aq. recente inſtitutam lento blandoque arenæ calore ad cuticulæ apparitionem evaporari fecimus, ſic poſt aliquot dierum elapſum ſpatium cryſtalli concreverunt, egregii, in loco frigidiore & humidiore hucusque à deliquio immunes.

## OBSERVATIO CLXXXIV.

## D. JOH. MAURIC. HOFFMANNI.

# De Chryſanthemo foliis matricariæ petalis fiſtuloſis.

FLora noſtra Altdorffina in horto Medico inter ampliſſimas ſuas delicias ex fœcundo terræ gremio in patentiſſimum lucis theatrum eduxit chryſanthemũ fol. matricariæ petalis aurei coloris (aliàs planis) fiſtuloſis ſingulis ad ambitum diſci medii æquo ordine diſpoſitis, ut propter hanc naturæ ludentis novitatem illud delineari, atq; curioſis Spectatorum exterorũ oculis hîc exhiberi curaverimus. Fig. XXIV.

OBSER-

*Chrysanthemum foliis matricariæ petalis fistulosis.*

*Fig. 24.*

*pag. 360.*



BRITISH MUSEUM
NATURAL HISTORY.

## OBSERVATIO CLXXXV.

### Dn. Lic. CHRISTIAN-FRID. GARMANNI.

# Rei deglutitæ per umbilicum excretio.

DEglutita aliquando non per inteſtina ocyus exturbari, ſed moram in corpore agere ſatis diuturnam, & per inſueta loca demum expelli, Obſervationes Medicæ ſatis ſuperque loquuntur. Cumulum harum abunde ſuppeditant *Jo. Schenckius* L. III. Obſ. Med. p. m. 505, *Isbrand. à Diemerbroek* L. I. Anat. c. XVII. p. 148. & *Cornel. Stalpart van der Wiel* Cent. II. Obſ. XVIII. p. 200. ſeqq. qui res deglutitas, v. g. aciculas, clavos, globulos plumbeos, fungorum particulas, ſemina & nucleos vegetabilium, per veſicam redditas commemorant. Addam his aliud exemplum raritate ſua citatis forſan ſuperius, &, quod ab oblivionis injuriis vindicetur, non indignum. Matrona quædam apud noſtros pietate & reliquis virtutibus conſpicua, Viri plur. Reverendi Dn. M. A. S. amici, dum viveret, conjunctiſſimi conjux, dum in prandio coctæ gallinæ alam comedit, & hujus extremitatem in ore tenens mandit, & exſugit, oſſiculum triangulare in alæ extremitate conſtitutum ex improviſo deglutit. Terretur, ſibique incommodum inde futurum ominatur, ſed fruſtra. Nihil inde mali, nec oſſiculum illud per aliquot dies in ſcybalis quæſitum comparet. Metu libera tandem omnem hujus memoriam & curam abjicit. Quid fit? Poſt tres menſes tuberculum furunculi inſtar, pruritum magis, quàm dolorem acutum concitans ſuper umbilicum ſentit, quo aperto, oſſiculum illud incorruptum plane oculis intuentium ſe objicit, quod ſancte aſſervabat, & curioſis ſubinde exponere ſolebat. Adeſte curioſi! mentis aciem huc convertite Lyncei! & ingenii divitias & facultates explicate. Oedipo conjectore hic opus eſt, per quas vias è ventriculo aut inteſtinis ad corporis peripheriam oſſiculum illud tranſiit? Singulare æque

& tantum non prodigioſum eſt, quod recitat *Helmontius* Tr. de inject. mat. §. 8. p. 477. *Prægnantem*, ſcribit, *libido invaſit edendi conchylia nigra. Edit autem aliquot præcipitanter, ut & teſtas crudas bis terve dente conciſas devoraret. Dein mox intra horam fœtum parit ſanum & adultum cum iisdem ſemimanſis teſtis, & vulneratum in abdomine. Ergo teſtæ*, quærit Helmontius mecum, *absq; apertura membranarum ſtatim penetrarunt ſtomachum, uterum, & ſecundinas? vel novæ teſtæ generatæ ſunt ſuper fœtum? Neq; enim poſterius verum eſſe poteſt. Nam fuerunt vera fragmenta conchyliorum, non autem ad imitationem figuraliter æmulata.* Idem de officulo. An igitur penetrationem dimenſionum vindicabimus naturæ cum *Helmontio*, qui hanc l. c. & Tract. Progymn. Meteor. n. 39. p. 57. eidem vernaculam demonſtrare ſategit? Sed nec hæc omnes difficultates expediet, parumque ad rhombum facere multis videbitur. An ξύῤῥοια illa *Hippocratica*, de qua VI. Epidem. ſect. VI. text. 1. Lib. de aër. aq. & loc. & Lib. de aliment. ex orco revocanda, quam multorum in arte paradoxorum matrem Tr. de hepat. defunct. p. 574. proclamavit *Th. Bartholinus*?

## OBSERVATIO CLXXXVI.

### Dn. Lic. CHRISTIAN-FRID. GARMANNI.

### Non reſiſtere putredini cadavera fulguritorum.

FUlmine tacta cadavera ad longum temporis ſpatium eſſe ἄσηπτα, *Plutarchus* L. V. Sympoſ. Quæſt. XX. p. 279. prodidit. Credidit inde apud eundem *Florus* fulmen hanc ob cauſſam æque ut ſolem, ſacrum dici & divinum. Sequuntur *Plutarchum* è recentioribus plurimi, inter quos *Caſp. à Reies* Camp. Elyſ. Quæſt. XXXIV. n. 20. p. 410. eminet. Ideò *Euripidis* Poëtæ Clymenem damnari dixit *Jul. Paul. Craſſus*

Quæſt. med. & nat. XXXIV. quæ Phaëtontem de cœlo tactum in vallibus putreſcere cecinit. Deberi id exſiccationi humorum facile corruptibilium à fulmine illatæ *Zachias* L. IV. Quæſt. med. legal. tit. I. Qu. X. n. 3. p. 361. auctor eſt, cadavera à fulmine, aut potius ſulphurea acidaque fulminis emanatione & impreſſione tanquam ſale condiri aſſerunt *alii*. Teſtatur id fulminatorum odor ſulphureus gravis adeo, ut eos ne attingere quidem dignentur aves canesve, multo minus deguſtare, quod *Ambr. Pareus* Tr. de renunciat. Opp. p. m. 655. notat. Addit l. c. *Reies*, occultam fulminis vim corporis ſubſtantiam ita fixam & indiſſolubilem reddere, ut non ſolum putredini, ſed defluxioni quoque reſiſtat. Quocirca veteres nec cremaſſe, nec inhumaſſe fulguritos *Pareus* concludit, de quo tamen *Gutherius* L. I. de Jur. Man. c. III. p. 12. ſeqq. & *Kirchmannus* L. I. de fun. Rom. cap. III. p. 10. ſeqq. multa diſputant. An ἱεροὶ νεκροὶ ideo dicti, vid. *Guther.* c. l. p. 16. & conſecrati, de quo *Urſin.* P. I. Analect. Sacr. p. 153. & Exercit. de Zoroaſtr. p. 20. disquirant Philologi. Incorruptibilitas & mumiſatio illa an perpetua ſit, dubitare me fecit αὐτοψία, his quippe fulguritos vidi paucis horis à fato elapſis non ſolum magnum in modum intumeſcere, ſed & cadaveroſum virus exhalare narium judicio deprehendi, ut ob putredinis tyrannidem ocyus fuerint tumulandi. Et quomodo iſta incorruptibilitas cum *Senecæ* experimento L. II. Quæſt. nat. XXXI. p. m. 684. ſtabit, qui prodidit venenata fulmine icta intra paucos dies verminare?

[*Chemnitio Norimbergam miſſa 25. Jul. 1692.*]

## OBSERVATIO CLXXXVII.

### Dn. Lic. ROSINI LENTILII.

# Mirus effectus curæ ſeri lactis.

MUlier nobilis 45. circiter annorum, bilioſa, cardialgia vehementi cum ardore circa præcordia crebro afflicta, ſuaſu Medicorum utitur cura ſeri lactis caprilli ſine additamento per menſem integrum, unde quidem ſublata, cum ardore moleſto, cardialgia, ſed orta, quod mirum, in ſiniſtræ manus tribus digitis paronychia longe dolentiſſima. Menſe hujus anni Julio, cum dicta rurſum cardialgia tentaretur, ejusdem ſeri lactis caprilli uſum repetit cum euphoria. Sed ecce denuo paronychia dextræ manus auricularem & indicem ſiniſtræ occupavit, cum ardore & dolore ſummo, denique in ſuppurationem terminato. Quin ejus filiola circiter annorum octo, cum & ipſa ſerum iſtud hauriret, in apicibus digitorum aliquot paronychias quædam præludia adhucdum ſentit, licet in tantam inflammationem dolor & parvus tumor apicum nondum eruperit. Cum Cardialgia ſemper fuerit ab ejusmodi cura ſeri lactis penitus ſublata, & inſecuta valetudo ſatis commoda, paronychiam iſthanc criticam pronunciare nihil, opinor, prohibet, haut ſecus ac in tertianis febribus experimento multoties comprobato circumligatione pelliculæ ex ovi recentis teſta detractæ, circum digitum auricularem, paronychia quaſi artificialis, abacta plerumque tunc febre, ſuſcitatur.

[*Nordlingâ Auguſtam Vind. d. 13. Auguſti A. 1692. miſſa.*]

OBSER-

## OBSERVATIO CLXXXVIII.

## D. GEORGII ABRAHAMI MERCKLINI.

*De*

# Doloroſiſſima Colica ſpaſmodica, ejusque inutili quidem per Mercurium vivum, ſalutari verò contra, per balneum aquæ dulcis curatione.

PLebejus Opifex erat, isque Figulus, Vir temperamenti ſanguineo-cholerici, triginta duorum circiter annorum. Hic in atrociſſimos ventris dolores incidit, neſcius, ex qua cauſa, niſi fortaſſis ex fumo illo nervis imprimis infeſto, quem hujusmodi Opifices à Vitriatione vaſorum figlinorum inſpirare ſolent. Malum duplicabat arctisſima alvi conſtrictio, quâ factum, ut vix ac ne vix quidem Enematis canalis intrudi potuerit, & cùm alimenta, tum medicamenta pleraque, ſi non omnia, per vomitum regererentur. Hi dolores miſerum hominem eâdem ſemper vehementiâ tam efflictim excruciabant, ut intra continuas tres illas ſeptimanas, ſomnum in oculis ne per momentum quidem viderit, & dolore expreſsâ vociferatione tantam raucedinem ſibi contraxerit, ut loquens vix amplius audiri aut intelligi potuerit; quin & inquietiſſimus animo & corpore nunc huc nunc illuc diſcurrerit, ſæpe etiam in ipſum pavimentum ſe projecerit, atque ſic ventrem comprimendo doloris mitigationem extorquere allaboraverit, ſalvo interim permanente pulſu, nec viribus adeo multùm labefactis, ſiti autem p. n. perpetim urgente. Sed quibus ad debellandum tam tyrannicum hoſtem armis uti viſum eſt? Laxantia & purgantia varii generis variarumque formarum exhibita ſunt; aſt omnia fruſtra. Enemata itidem injecta ſunt quamplurima, mitiora,

ra, fortiora, fortiſſima; ſed & hæc omnia incaſſum. Sic & fomenta, unguenta, olea, exteriùs illita, nil quicquam profuerunt. Alterantia etiam, quamvis aliàs canonica quaſi & commendatiſſima colicam ſimilesve ventris cruciatus ſopire ſolita (opiata adhibere ob perennem alvi conſtipationem non fuimus auſi) parum aut nihil levaminis attulêre. In tam dubio ergo, deſperato penè, & periculo pleniſſimo caſu quid tandem conſilii? quidve ſperandum auxilii? Duro nodo durus hîc quærendus erat cuneus: hoc eſt, ad Mercurium vivum, ultimum quaſi aſylum confugiendum duxi, utut non ignarus, quòd nec hic voto ſemper reſpondeat. Inſcio ergo hydrargyri unciam unam & dimidiam in lacte propinavi, ſed ſine ſperato effectu; unde tertio pòſt die globulum ex regulo antimonii deglutiendum exhibui, ſed qui ſimiliter rem neutiquam confecit. Quare ſecundùm Mercurii vivi uncias duas cum dimidia priori modo ingeſſi. Hæc omnia Figulus per integrum octiduum in corpore ſuo retinuit, quo exacto unà quicquid Mercurii aſſumpſit cum ipſo globulo per inferiorem gutturem, ut cum Plauto loquar, excrevit, poſtquam per proximos tres poſtremos dies balneum aquæ dulcis emollientibus herbis alteratum in crebriorem uſum vocaſſet, expertus nempe plurimum inde levaminis ſui doloris. Quærere nunc juvat, quæ hæc ſit morbi ſpecies? Paſſionis Iliacæ, reſpondebunt proculdubio plerique: ſit ita: nec ego contrarior, modò ne intelligatur illa Iliacæ paſſionis ſpecies, quâ ipſa inteſtina convolvuntur, vel quâ una pars inteſtini aliam ſubit, vel quâ valvula retorquetur. In his enim Iliacæ paſſionis ſpeciebus plerunque, ſi non ſemper protuberantia quædam vel intumeſcentia in conſpectum venit, ſed quæ hîc nuſpiam apparuit. Cæterùm ſi quis colicam vocare mallet, rectiùs fortaſſis meâ opinione & magis propriè ita vocaret. Sed qualem? verbo me expedio, ſpaſmodicam. Quæ verò ſpaſmodicæ colicæ atque adeo hujus noſtri præſentis affectus genuina eſt cauſa? Hîc ego quidem ſuſpicor, nullam aliam illam

eſſe,

eſſe, quàm ipſam contractionem nervorum inteſtinalium ab acida vappeſcentiâ ſucci nervoſi prognatam, à quâ ipſorum etiam inteſtinorum coarctatio eorumque fibrarum inverſio atque ſphincteris ani conſtrictio dependet. Hæc autem ſi ita ſe habent, quid emolumenti in hoc caſu præſtare potuit hydrargyrum? Neque enim inferior Ilei inteſtini portio ſuperiorem intravit; multo minùs ipſa inteſtina convoluta fuerunt; neque valvula inverſa erat, uti paulò ante ob dictas rationes evicimus; in his autem Iliacæ paſſionis ſpeciebus unicè Mercurii vivi uſus prodeſſe poteſt. Accedit, quòd meam hanc opinionem morbi eventus probârit; quandoquidem non multò poſtquam Mercurius vivus aſſumptus eſt, iterum ſeceſſit, ſed tum demum, cùm blandè calefacientis ac relaxantis Balnei beneficio contracti nervi remitterent, atque ſic ipſa Inteſtina anique ſphincter in priſtinum & integrum ſtatum reſtituerentur, quô factum, ut mox non ſolùm Mercurius eâdem prorſus quantitate & qualitate, quâ aſſumptus eſt, ſed & globulus ipſaque excrementa hactenus cumulata ſuâ ſponte ſe proripuerint, ſicque Figulus noſter eluctatus fuerit, hodienum benè habens atque valens. Balneum ergo aquæ dulcis eſt, ex emollientibus herbis conſtans, quod palmam omnibus aliis præſidiis atque medicaminibus præripuit, quodque non ſolùm huic noſtro priſtinam valetudinem reſtituit, ſed & aliis eodem affectu, ſpaſmodicâ nempe Colicâ detentis reſtituere aptum natum eſt, uti ego in mea praxi interea temporis atque noviſſimè demum in Amico mihi conjunctiſſimo ſemel iterumque feliciter expertus ſum, hoc ipſo propterea nomine commendatiſſimum & nunquam non in hoc caſu tempori & priusquam vires nimio dolore atteruntur atque labaſcunt, non tamen omiſſis cæteris neceſſariis faciendis, in decentem uſum vocandum.

OBSER-

## OBSERVATIO CLXXXIX.

## D. CHRISTIANI FRANCISCI PAULLINI.

# Iſchuria cum tumore corporis verminoſo.

UT voto tuo ſatisfaciam, (ſcribit mihi anno ſuperiori Nobilis Naturæ Conſultus ex primaria Imperii civitate, in quam exulem furor gallicus pepulerat M. C. W.) mitto Tibi hanc obſervatiunculam. Puellus nondum biennis à plebeja matre, rure domum reverſa, una cum offa lactis, fores ante ædium exponitur, ut ederet & interea pauſam daret matri, quò cœnam commodè pararet pro paupercula familia ſua. Edit puſio inter crepundia ludens. Accurrit alius natû paulò major, ex eadem patella lac hauſturus. Quem cùm ille ferre nollet, hic puſillus nequam cariem lignorum, quam antea collectam chartæque incluſam ſcævâ tenebat, lacti inſperſit omnem, ſicque ſe ſubduxit. Minimus puſio de omni malo ſecurus cum lacticinio ſimul pulverem iſtum abſorbuit. At ecce; paucis elapſis ſeptimanis, ſubitò totum abdomen cum capite, pedibus & ſcroto adeò intumuit, ut jamjam rupturam metuerent parentes, Iſchuriâ perpetuâ comite. Omnibus incaſsùm adhibitis, lætum tandem lethum omnem ſuſtulit fletum. Certè lignum carioſum armato oculo qui inſpexerit, cum Kirchero in Scrutin. Peſtis S. 1. c. 7. §. 2. Experim. 4. p. 74. innumeram vermiculorum turbam in eo deprehendet, quorum alii cornuti ſunt, alii alati, alii acutiori proboſcide inſtructi. Dic mihi, ſodes, annon omnes iſtos lachrymas Tu mecum abs iis derivaveris. Sic ille. De totius corporis intumeſcentia ex urinæ ſuppreſſione vid. D. Poliſ. in Dec. II. Eph. ann. V. obſ. 162, & Marcell. Donat. L. IV. hiſt. mirab. c. 28.

OBSER-

## OBSERVATIO CXC.
## D. CHRISTIANI FRANCISCI PAULLINI.
# Hernia Maniâ curata.

EXcell. D. D. Hanæus, Regius Prof. Otthiniæ in Fionia, Amicus & Collega ſinceriſſimus, in literis nuper ad me ita: Non equidem plane inuſitatum erit in Medicina obſervâſſe morbos per morbos interdum curari. Diu enim eſt, ex quo primùm annotavit Hippocrates, febrim ſolvere ſpaſmum, rigorem, cauſum, hæmorrhoides, inſaniam, hydropem, maniam, diarrhœam, anaſarcam. L. IV. aph. 57. ſeq. & L. VI. aph. 5. 29. Enterocelen abſceſſu inguinis ſpontaneo ſanatam deſcripſit Celſus noſter in Dec. II. Ephem. ann. XX. obſ. 164. p. 20. Vivit hodie Vir quidam, qui cum difficilima enterocele diu multumque conflictatus fuerat. Tandem in morbum graviſſimum incidit, deſinentem in maniâ, & dari videbatur ſatis afflicto nova afflictio, tanto ſuperpondio, ut de ſanitate ipſius deſperarent omnes. Sed quid fit? Dum miſerum hunc occiſiſſimis annumerarent ſinguli, & ſtatuerent firmius, ipſam, ſi vel maximè vellet, ſalutem nunquam eundem ſervare potuiſſe, diſparuit commodùm hernia, ipſaque tandem poſtliminiò rediens, ratio maniam auſpicatò discuſſit. De veritate hujus hiſtoriæ non eſt, quòd quisquam dubitet, cùm vivat hodienum hic ipſe, piſce quovis ſanior, de ſarcina ramicis priore, tanquam nihil ad ſe pertinente, jam ſecurus omnimodè, nec volam, nec veſtigium ſui, nunc annos nonnullos oſtendente herniâ. Mihi veriſimile eſt, mente motum ſubegiſſe diutius collapſa inteſtina, & ſubacta tandem ac probè ſubigata in abdomen retruſiſſe ferocius, tanquàm aliud agendo: Reddita verò ſuis laribus viſcera habitâſſe in hypogaſtrio firmiusculè affirmavero, quod nacta fuerint ſupra rupturam peritonæi ſitum transverſum, dum in-

terea per callum, aut novum fortaſſe Naturæ ſufflamen, tempore decubitus longiuſculi ſe coarctaverit coaleſcens fiſſura.

## OBSERVATIO CXCI.

## D. CHRISTIANI FRANCISCI PAULLINI.

## Sternutatio à vino hiſpanico.

SOror Iſrael. Schmidii, Pruſſi, vix errhino ſumto ſternutabit, hauſto autem ſemel tantùm vino hiſpanico natura irritatur, ut vel viceſies, ſeu triceſies ſternutet cum levamine. De cereviſia idem aſſeruit Lic. Hünerwolff Dec. II. Eph. Curioſ. an. VI. obſ. 93.

*[Miſſæ ad D. Wurffbainium Norimbergam Iſenaco. d. 1. Auguſt. 1692.]*

## OBSERVATIO CXCII.

## D. PETRI ROMMELII.

## Dyſenteria contumax, uvis recentibus, & muſto curata.

NOn ſolum miracula interdum in medicina fiunt, quod apud Practicos non ſemel obſervatum legimus; ſed quandoque etiam monſtra contingunt, hoc eſt, tales eventus morborum accidunt, quales, ratione methodi medendi adhibitæ, nemo unquam, neque per inſomnium ſperare, aut ſibi imaginari potuiſſet. Non rarò enim id, quod aliàs certorum morborum cauſa eſſe ſolet, in ſalubre medicamentum, præter ſpem & expectationem cedit.

Non Medicis tantum, ſed lippis & tonſoribus notum, immò notiſſimum eſt, tempore autumnali iis, quibus propria

pria valetudo curæ eſſe ſuevit, uvarum recentium, ut & muſti ſeu vini recentis eſum & potum prohiberi, eò quòd ab eſu & uſu horum facile in Diarrhœam vel Dyſenteriam periculoſum incidere poſſint, cujus rei exempla plurima nullibi deſunt. Nihilominus tamen experientia docuit uvarum eſum & muſti potum, maximè profuiſſe, omnibusque medicamentis aliis incaſſum adhibitis, ſalubre hujus tædioſisſimi ſimul ac periculoſisſimi morbi, remedium extitiſſe, quod ſequentibus hiſtoriis confirmabo.

Fœmina honeſta, J. J. C. civis Ulmenſis uxor, mediæ ætatis & haud firmæ valetudinis, Dyſenteriâ epidemicè graſſante, multosque infeſtante, ea etiam corripitur, peſſimèque exagitatur, ita ut vix tandem oſſa cuti adhærerent, & ad incitas jam redacta videretur, nihil proficientibus omnis generis, contra hunc hoſtem aliàs militantibus, centiesque cum ſucceſſu expertis, remediis. Re itaque intra ſacrum & ſaxum conſtituta, & quaſi deſperata, patiens in limine mortis jam hærens, ſui juris eſſe, nec medicis præceptis amplius obtemperare voluit, ſed ſuadente appetitu, disſuadentibus licet aliis, uvas recentes adportari ſibi curavit, mortisque quaſi candidata, gulæ adhuc ſemel indulgere voluit; cujus obſecrationibus & obteſtationibus, maritus cum adſtantibus, amplius contradicere noluerunt, piaculum ſe commiſſuros rati, ſi petitioni & deſiderio flagranti moribundæ deeſſent. Impetrata igitur, vel potius extortâ ita veniâ, uvas tam anxiè expetitas imò efflagitatas, comedit, nec malè ut adſtantes opinati erant, ſed melius ab earum eſu habere incipit, proinde edendo pergit, levamen non parvum exinde ſentit, tormina, frequentiſſimæ & ſummè doloroſæ dejectiones remittunt, excretiones cruentæ ac purulentæ ſenſim imminuuntur & mutantur, ſomnus, appetitus & vires redeunt, brevique, quæ jam in cymba Charontis pedem ferè utrumque habebat, reconvaleſcit, ſuamque reconvaleſcentiam, poſt Deum, unice uvarum eſui tribuit.

Illuſtr. & generoſi D.D. Lib. Bar. de B. amantiſſima conjux juvenis, ante triennium Dyſenteriâ bilioſâ, æſtivo tempore graviter affligebatur, cum quâ per undecim ſeptimanas, plurimis medicamentis, ſpecificis, & alias millies probatis, à variis Medicis (forſan & Medicaſtris,) dimicatum fuit, ſed fruſtrato eventu; nam quo magis morbo adverſabatur, eò magis iſte reſiſtebat, majoresque acquirebat vires, Medicosque ſimul cum medicamentis ludibrio quaſi habebat ut, quid amplius agendum neſcirent. Tandem illuſtr. Domina patiens, à morbo tam gravi & moleſto, ad trimeſtre ferè jam ſe extendente, ſummè debilitata & conſumpta, proprio conſilio, ſuaſore appetitu, ad omnia edulia languente, uvas nondum adhuc prorſus maturas expetit, ut ſaltim gulæ aliquo modo gratificaretur, contranitentibus quidem præſentibus, periculumque ab earum eſu majus præſagientibus, ſed iis non auditis, expetitas ſuas cupedias, uvas inquam, pro ratione virium, prorſus ferè proſtratarum, avidè edit, indeque non mediocre levamen & juvamen percipit, miſſisque aliis medicaminibus, ſolis uvis utitur, ſicque vitæ & ſanitati brevi reſtituitur, ejusq; recuperationem Deo ſoli & uvis adſcribit.

Vir juvenis robuſtus, autumnali tempore Dyſenteriâ dolorificâ correptus, præ aliis variorum potuum generibus, muſtum recens optimè ferre potuit, maximumq; ab ejus potu ſolatium ſentit, reſtitutionemq; in integrum, muſteo huic potui ſe debere adhuc gloriatur.

Ex his exemplis, quibus adhuc unum vel alterum adjicere poſſem, patet, ea, quæ maximè inſalubria utplurimum cenſentur, optimis etiam medicamentis imo ſpecificis, & magnis alias jactatis arcanis, palmam interdum præripere, iisque ſalubriora exiſtere: interdum dico hoc fieri, non enim eum in finem hæc adduxi, ac ſi in ſimili caſu, ſimiliter procedendum eſſe contendam, imitationemque probem; ſed ſaltim, ut inde palam fiat, in Medicina etiam monſtra contingere.

Utrum

Utrum effectus conſequutus, uvis ipſis, earumque ſucco vel muſto, vel appetitui & deſiderio flagranti ſit adſcribendus, jam non definio, quanquam non inficias eundum opiner, in ſecundo caſu, crudis & non prorſus maturis uvis, aliqualem adſtringendi facultatem eſſe concedendam, quæ potens fuerit, fermentum dyſentericum acre, aut fermentationem à miaſmate bilioſo dyſenterico ortam compeſcendi, quemadmodum à Practicis magnis annotatum legimus, in bilioſa Dyſenteria ſæpius blanda acida adhiberi ſolita eſſe, qualia ſunt ſuccus citri, acetoſæ, Berberes, Ribes, &c. qualia etiam à Foreſto commendantur. Appetitum magnum, & flagrans deſiderium ad cibum vel potum aliquem, magnam in œconomia animali mutationem, excitare poſſe, nullum eſt dubium.

Ab eſu uvarum & muſti potu, facile etiam nova in inteſtinis fermentatio, fermentationi dyſentericæ contraria oriri, ſicque quod alibi & in aliis ſubjectis morboſum extitiſſet, in hoc medicamentoſum eſſe potuit. Unde colligi poteſt, non ſemper ægrotis quod appetunt, ſtrenuè eſſe denegandum, cum Natura nonnunquam, quæ ſibi proficua eſſe arbitratur, appetat, ſed quandoque appetitui eſſe indulgendum. Sicut nec ſemper verum eſt, fructus horreos, aliaque perperam aſſumta ex. gr. Cucumeres, pruna &c. hujus morbi cauſam eſſe, cum toto die experiamur, quamplurimos hisce, ſine ullo ſanitatis diſpendio, copiosè & quotidie frui; quia ſæpiſſimè in ipſo aëre, non verò in fructibus ſolùm cauſa inſtar contagii latet &c.

# OBSERVATIO CXCIII.
## D. PETRI ROMMELII.
## Menſium defectum, menſtruum alvi profluvium ſupplens.

ADmiratione non omnino indignum videtur, quando ſubinde in Praxi Medicâ obſervari contingit, quâ ratione Natura (liceat mihi pace Dominorum Bontekoiſtarum, hoc vocabulo, à plurimis ſeculis ſummis Philoſophis & Medicis uſitato, etiamnum ſine cenſura uti!) ſibiipſi ſubvenire & opitulari, multaque aliàs obvenientia incommoda & pericula antevertere & præcavere ſoleat, ſanitatemq; omiſſâ hâc ſolicitâ proſpectione ſummè periclitantem, conſervare ſtudeat.

Quantæ utilitatis in ſequiore ſexu menſtrualis & ordinarius Catameniorum fluxus ſit, quantisque ſexus hic, hoc deficiente, vel minus rectè ſe habente obnoxius fiat calamitatibus, nemo eſt qui ignorat, etiamſi in Medicina plane hoſpes ſit. Proinde mulieres valetudinis ſuæ amantes, omni ſtudio adlaborant, quo menſtrua hæc & naturalis evacuatio, rectè ſe habeat & conſervetur; quanquam hoc non obſtante, vel centies contingat, hunc menſtruum fluxum, diverſimodè turbari, imminui, ſupprimi &c. ita ut ope medicâ denuò in ordinem redigi, neceſſe habeat. Non rarò tamen Natura, ſine medicina aut medicamentis, ſuiipſius medicatrix exiſtit, & quod uno modo deficit, alio compenſare non ſaltim adnititur, ſed etiam ſat commodè ſupplet. Nolo hîc in recenſendis exemplis prolixus eſſe, ſed miſſis jam aliis, unicum hoc, hac vice in medium proferam, quod ita ſe habet.

Ruſtica quædam mulier, uxor Georgii Berkharts/ mediocris ætatis, ante quatuor circiter annos, puerperio feliciter abſoluto, juſto tempore, ſed ſemel tantum, menſium fluxum ite-

iterum experta, in hunc usque diem absque menſtruis vivit, initio gravidam ſe iterum eſſe rata, ſed hallucinata fuit: Loco tamen menſium, ſingulo menſtruo ſpatio elapſo, circa tempus, quo lunare alias debitum perſolvere neceſſum foret, alvi profluvio corripitur, largiterq́ue ſaburram vitioſorum humorum dejicit, perq́ue integrum biduum, & interdum ultra hunc terminum, continuat; quo præterlapſo, diarrhœa illa menſtrualis ſponte remittit, alvo poſthac conſuetum ſuum officium ritè iterum obeunte, donec abſoluto menſtruali intervallo, eodem rurſus modo, quod naturæ moleſtum vel ſuperfluum eſt, eliminet, motumq́ue hunc præcise obſervet. Mulier quamdiu hoc profluvio detinetur, eadem ipſa ſentit ſymptomata, quæ menſibus ritè adhuc prorumpentibus comperta eſt, & communiter etiam alias fœminas, inſtantibus & præſentibus menſibus concomitari ſolent &c.

Sic itaque Natura (quæ Dei amanuenſis, ſui juris eſt, nec ad humanas leges ſe adſtringi patitur, quovisq; Medico, Helmontio teſte, ſapientior, magisque gnara eſt ſuæ utilitatis atque damni, quam cuncta Scholarum ingenia,) tanquam præcipuus & internus morborum Medicus & arbiter, defectum menſtrui fluxus ordinarii, alio minus ordinario, copioſiori & quidem biduano alvi profluvio ſupplet, ſibique ipſi ſine ductore vias invenit, non ſine emolumento mulieris ruſticæ. Hæc mihi narranti conſiliumq́ue meum poſcenti, ſuaſi, naturæ ut totum opus relinqueret, neque profluvium hoc, ſeu diarrhœam menſtruam incautè ſiſtere, vel ſupprimere, hâcque ratione ipſi naturæ vim inferre præſumeret, atque ita majus incommodum, periculo haud cariturum, accerſeret, non omiſſis tamen, levibus quibusdam, domeſticis & facile parabilibus (ob rem domi anguſtam) remediis, ex radicibus, herbis &c. præparandis, quibus forſan poſtliminiò, ordinarius menſium fluxus denuò in ordinem & ad conſuetam naturæ viam redigendus & reducendus eſſet; Quia natura duci, non cogi vult, vimq́ue ipſi illatam, majori violentia avertere nititur,

titur, illaque invita nihil efficere licet. Cæterùm ſana vivit ruſtica.

## OBSERVATIO CXCIV.
## D. PETRI ROMMELII.
## Sudor unius tantùm lateris.

ILluſtr. & generoſa quædam Baroniſſa, re exigente, ad ſudorem proclivis, in lecto facile ſudare poteſt, nec leve inde juvamen ſentit, utpote eryſipelate haud rarò vexata. Circa ſudationem tamen hoc ſingulare habet, ut quoties ſudare vult, unicum ſaltem latus, & quidem illud, quod liberum eſt, & cui non incumbit, ſudare obſervet, altero omninò ſicco manente; cum itaque ad ſudandum ſe componit, illi lateri incumbere neceſſe habet, quod ſudore minus opus habere credit, alia demum vice, alterum latus etiam pari modo ad ſudandum, debito ſitu, diſpoſitura. Mirum ſane videri poſſet, oppoſitum & minus incaleſcens latus ſudare, cum tamen rationi & naturæ magis conveniens videatur, latus magis calefactum & reliqui corporis mole, præter ſtragula, magis onuſtum, quàm illud, quod reſpectu hujus, lecto vel ſtragulis leviter ſaltim tectum eſt, ſudare debere.

Forſan pori illius lateris cui incumbit, (ſupina jacere illi moleſtum) ob molem reliqui corporis ſuperjacentis arctius conſtringuntur, & canaliculi, quibus latex ſeroſus continetur, & glandulæ ſubcutaneæ, ab incumbenti onere viſcerum, muſculorum, totius imò corporis, nimium comprimuntur, viaque præcluditur, quo minus, ſeroſitas in iis contenta ad- & exfluere poſſit.

Alia mulier, uxor Joh. Jacobi Kutenrieds/ ſcirrhoſa hepatis duritie laborans, mihi retulit, ſe neque in lecto, neque in ſudatorio (quod more plebejo per ſe & proprio conſilio facere ſolita eſt) in latere & hypochondrio dextro ſudorem

proli-

prolicere poſſe, etiamſi latus ſiniſtrum rectè madeat & ſudorem emittat. Imò non ſolum dictum latus non ſudat, ſed quod mage mirandum, dum totum corpus reliquum incaleſcit, & ſudore quaſi diffluit, hoc tamen latus ſemper ſiccum & frigidum manet, & patiens frigus haud leve illius lateris ſentit.

De ſudore unius tantùm lateris, conferatur etiam oculatiſſimi & perſpicaciſſimi Argi, Illuſtris ſc. & Magnifici D. Georgii Franci, Profeſſoris primarii in Celeberrima Wittebergenſi, Fautoris & Amici maximè venerandi, Obſ. 100. An. IV. & V. Decur. I. pag. 103.

## OBSERVATIO CXCV.

## D. PETRI ROMMELII.

# Mictionis difficilis facile remedium.

ALia vice εὐπόριστον poſui, quomodo & ſtranguria abigi, & difficilis mictio, facile promoveri poſſit, de quo anni præcedentes videndi. Illis jam aliud ſubjungere placet, & Eruditorum cenſuræ ſubmittere.

Nobilis quidam Vir, D. J. S. ſæpiſſimè urinam difficulter mejebat, licet nullum aut ſaltem exiguum dolorem, ſed ſolùm hanc moleſtiam ſentiret, quod non ſtatim pro lubitu, mictionem inchoare valeret, quale ſymptoma etiam iis accidere ſolet, quorum veſica, urina admodum repleta eſt: noſter tamen patiens, moleſtam ſibi mingendi, vel potius incipiendi difficultatem, veſicâ minimè refertâ, aut ab urina diſtenta experiebatur.

Quo igitur mictionem promoveret citiusque & cum aliis aliquando commingentibus, ſe expediret, ſequens ſæpiſſimè expertus eſt, ab alio ſibi communicatum facillimum remedium: Exonerare nempe veſicam volens, nec ſtatim illud valens, numeros recitabat, ab unitate incipiens, recto ordine nu-

numerabat, usque ad decimum aut duodecimum &c. pergens numerum, quo facto, antequam denarium vel ſuperiorem numerum, numerando attingebat, urina ſine moleſtia fluere & mictio procedere incipiebat, quod ſi non faciebat, conſuetam moleſtiam experiri cogebatur.

Multum hic conſuetudini, ſi non ſuperſtitioni, tribuendum puto, altera enim natura prior non immeritò dicitur.

## OBSERVATIO CXCVI.
## D. PETRI ROMMELII.
## Urina actu frigida emiſſa.

FOemina quædam honeſta, ſanguine mihi juncta, anno 1686. in feriis paſchalitiis, vagis artuum doloribus divexata, poſt ſudorem ſponte à natura productum, & debitè abſterſum, urinam reddens, & juxta meum, alia vice, aliamque forſan ob cauſam, datum conſilium, manus eâ, naturaliter calidâ, lavare ſatagens, eam modo & recentiſſimè emiſſam, omninò frigidam eſſe, manibus percipit, ita ut ab ulteriori lotione, ob horripilationem à frigore cauſatam, abſtinere coacta fuerit, quanquam inter mingendum nullum dolorem ſenſerit, vel aliud aliquod moleſtum ſymptoma ſubſequutum fuerit, Fœmina etiam adhuc optima fruatur valetudine.

## OBSERVATIO CXCVII.
## D. PETRI ROMMELII.
## Mutus canens ſeu cantillans.

HAbemus hic hominem à nativitate mutum, quinquaginta circiter annorum, non quidem, quod aliàs in mutis haud infrequens eſt, ſimul ſurdum, ſed tamen fatuum; nihilominus verò ad obeunda quædam officia domeſtica & ſervilia, ex. gr. purgandam domum, portandum

randum ligna, aquam & ſimilia ſatis aptum & ſedulum, numeratâ pecuniâ etiam cereviſiam apud Zythopœum petit, nummos autem ipſos, neque eorum valorem novit. Hic, inquam, ab utero mutus, quod valdè mirandum, plurium cantionum ſacrarum, & in templo (quod tamen nunquam ingreſſus eſt) cantari ſolitarum, verbi gratia, **Nun lob mein Seel den HErren/ꝛc. Allein GOtt in der Höh ſey Ehr/ꝛc. Aus meines Hertzens Grunde/ꝛc. Werde munter mein Gemüthe/ꝛc.** melodias, tam apprimè callet, ac ſi planè non mutus, maximeque mentis compos eſſet; juſſusque ſtatim cantilenam deſideratam, non quidem expreſſis verbis cantat, aut pronunciat, ſed tamen voce, pro ratione cantûs, & melodiâ requirente, modo altiore, modo remiſſiore, ſono & tono ritè flexo, cantillat, ut rei ignarus, haud perſuaderi ſibi pateretur, ab alio quàm optimè loqui valente, hæc talia modulari. Optima hic mutus, quoad corpus, ſemper fruitus valetudine, viriumque robore plures alios ſuperat.

## OBSERVATIO CXCVIII.

## D. PETRI ROMMELII.

# Experimenta non ſemper, ac ubique ſuccedunt.

QUam fallax ſit Experientia, ſuo jam ævo docuit divinus ſenex, & hodienum quotidie, qui medicinam exerceant, verum eſſe experiuntur. Sæpè ſæpius enim accidit, ut quod uni & alteri etiam centies bene ceſſit, non tamen ubique & apud omnes, eundem effectum producat, nec experimenti titulum ſemper mereatur; non operoſus ero in colligendis & recenſendis exemplis, ſed unico duntaxat hac vice, prolata probabo.

Non ita pridem oſtendi, mihi non ſucceſſiſſe laudatum

ab Hoffmanno experimentum probatiſſimum, quod pag. 361. b. Meth. Med. Wal. contra menſium ſuppreſſionem commendat; quando nimirum menſium ſuppreſſione laborantem induſium recenti menſtruo alterius adhucdum conſpurcatum, induere, indeque reſtitutionem menſtrui vectigalis, ſperare jubet: quod quidem, uti ibidem proteſtatus ſum, non eâ intentione ſcripſi, ac ſi Viro tam celebri, atque de re medica optimè merito, contradicere geſtiam, ejusque ſummam experientiam ſuggillare aut dubiam reddere ſatagem; ſed ſaltim, quò palam fiat, non omnia omnibus, ubiq; & ſemper, eodem modo ſuccedere, & probatiſſima aliàs remedia & experimenta, fallere, ſpemque de iis conceptam fruſtrari poſſe.

Quod de induſio mulieris menſtruatæ in ſuppreſſione menſium dixi, idem jam de induſio virili, quo hæmorrhagia uterina, vel menſium fluxus nimius coerceri poſſe ſcribitur, repetita ſed identidem fruſtrata experientia, dicere jubet. Scribit D. Joh. Fridericus Helvetius in ſuo Diribitorio Medico, de morborum definitionibns & curationibus ex ſaporibus, odoribus, fœtoribus &c. cap. 16. §. 11. de ſpermate pag. 117. *Cæteroquin induſium per octiduum à viro geſtatum, ſi mulier, cui menſes nimio abundantius fluunt, ſibi induerit, Rheuma ſiſtetur non ita multò poſt.*

Fermento ſive Tincturæ alicui mumiali, hæc fluxum ſiſtendi facultas, dubio procul erit attribuenda, ſi res ita ſeſe habeat.

Liceat mihi hîc pace tanti viri, qui hoc ſæpius ſe probaſſe aſſerit, aſſerere; me ſæpius hocce remedii genus, à mulieribus in nimio menſium, ut & lochiorum fluxu, adhiberi vidiſſe, effectum verò talem nunquam obſervâſſe. Communis enim ferè apud nos mulierum mos eſt, novellæ puerperæ, ſtatim poſtquam à fœtu & ſecundinis liberata eſt, mariti induſium (quod ille tunc ab obſtetricantibus exuere jubetur,) complicatum & convolutum, abdomini adplicare, & ſuperligare,

potius

potius quidem ad dolores partum ſubſequuturos (ut ipſæ dicunt,) compeſcendos, quàm ad nimiũ ſanguinis fluxum ſiſtendum: ſexcenties tamen expertus ſum, tale induſium, non prohibuiſſe, quin ſæpius maxima ſanguinis optimi (quem mulieres das Hertz-Geblüt/ vocant,) profuſio, non ſine vitæ periculo (quandoque etiam mors ipſa) conſequuta fuerit, quæ longè alia auxilia & magis præſentanea experimenta poſtulârit, qualia ſi non opportunè adhibita fuiſſent, nimium fluentes, non obſtante induſio virili, mortis dominio omni dubio procul, reliquiſſent. Quod de puerperis modo dixi, id ad alias etiam menſium immoderato fluxu laborantes, extenſum eſſe volo; proinde mihi perſuadeo, ſucceſſum quem laudatus Author induſio adſcribit, potius aliis medicamentorum generibus, ſimul forſan in- & externè adhibitis tribuendum eſſe, vix enim mihi perſuadere poſſum, quemquam Medicorum tantum fiduciæ in tam fallax experimentum poſiturum, ut ſepoſitis & omiſſis aliis ſolùm hujus modi pentaculo ſive (liceat ita appellare) amuleto fidat, vitamq; & ſalutem ægrotantis, unicè tali medio exponat & concredat.

Objici mihi quidem hîc poſſet, ſucceſſum ab Authore laudatum propterea non eſſe ſequutum, quod tales ægrotæ induſium viri induere, non verò complicatum abdomini (ut à noſtratibus fit,) imponere: item quod eâ intentione, ut ſanguinem copioſius fluentem ſiſtat, induere debuiſſent: quod ſi factum eſſet, etiam res ipſa ex voto ſucceſſiſſet? Aſt valdè dubito, utrum major virtus (ſi modo aliqua inſit,) in explicato & induto, quàm convoluto, & ventri per ligaturam adaptato induſio lateat) & an intentio ad hoc aliquid contribuat? Sane hoc, apud noſtrâtes mulierculas uſitato modo, major ſanguinem ſiſtendi vis, ligaturæ, quàm forſan induſio, mumialibus miaſmatibus tincto, attribuenda foret. Quicquid ſit, etiam in aliis fœminis non puerperis, ſed nimium ſanguinis fluxum patientibus, induſiumque juxta authoris præſcriptum geſtantibus, laudatum effectum nondum videre

mihi contigit. De Authoris fide & experientia quidem non dubito, ſed ſaltim non ubivis, & non ſemper ſuccedete affirmo, nec ubique locorum, corpora humana æqualiter diſpoſita eſſe; mihique concedendum erit, miaſmata fermentativa & mumialia, in hoc vel illo ſubjecto, aut in hac vel illa regione, hoc vel alio tempore, facilius vim ſuam exerere, orgaſmum citius & felicius vel excitare vel impedire, fermentationem promovere vel infringere, ſolere quàm in alio ſubjecto, aut in alia regione, vel alio anni tempore.

Dubito præterea, an alterum Authoris effatum ſemper experientiæ reſpondeat, quando l. c. ulterius ſcribit: *Iſthoc tamen filiabus ad gignendam ſobolem habilibus, foret tam periculoſum, ut ipſæ deinceps menſes nunquam recuperaturæ eſſent, ſæpius probavi.* Si talis eventus ſequeretur, non video, cur maritatæ non etiam idem periculum incurrere deberent, ac filiæ ad gignendum habiles: ſed fateor, de hoc me nullum experimentum feciſſe, nec inpoſterum facturum, ſi credibile mihi videretur, eas nunquam deinde fluxum menſtruum eſſe recuperaturas.

[*Ulmâ Auguſtam Vind. d. 17. Auguſti 1692. miſſa.*]

## OBSERVATIO CXCIX.
## D. THEODORI ZWINGERI.
# Tertiana Febris ſpaſmodica.

PUella 14. annorum, habitus boni & laudabilis, ætatis & temperiei ratione ſanguinea, ſed ob fortunæ tenuitatem malo uſa victu ſalſedinem maſſæ humoralis ſcabioſam, & ante biennium quoque, menſe Martio & Aprili Ann. 1691. Tertianam Febrim contraxit, meridianis ſemper horis, ſolito quidem cum rigore per bihorium durante, recurrentem; aſt rigor ille non ſolitarius fuit, quin dira in principio Febris tormina ventris, in progreſſu morbi ſimul convulſio-

vulſiones, ſive colicam ſpasmodicam, pro comitibus habuit: quibus equidem ſpasmis non tam caput, quàm artus & inteſtina mirè, dum rigor durabat febrilis, torquebantur, manente interea ratione & ſenſu. Ceſſante rigore & eadem convulſiva tormina ceſsârunt, ſubſequutus verò inſignis corporis æſtus, cum ſiti intenſiſſimâ & laſſitudine membrorum magnâ, ſed ſine cephalalgiâ; tandem verò poſt horarum ſex vel octo intervallum paroxyſmus cum ſudore plus minus largo finivit. Ego ad Ægrotam nondum adhuc menſtruatam vocatus, magnamque pituitæ ſalſo-acidæ & acris copiam in ventriculo, inteſtinis atque meſenterio hærere ratus, tertii paroxyſmi die, ſummo mane Tartari emetici granum cum Scammonii ſulphurati tribus, & Cremoris Tartari quindecim granis in hauſtu Aqu. Card. bened. exhibui, â quo emetico *ἄνω καὶ κάθω* ingens blennæ viſcidæ copia fuit eliminata. Sed rediit eo die paroxyſmus, licèt tardiùs, cum iisdem, ſi non vehementioribus ſymptomatibus. Poſtridie autem, qui fuit dies vacuus à Febri, pulveres aliquot præſcripſi ex Ebore, Alcis ungulâ, Bezoardico Minerali, Lapidibus Cancrorum, & ſale juniperino, cum Laudani granis aliquot paratos, atque mane veſperique per dies quosdam ſumendos: juxta hos pulveres tamen uſum ſuccorum è Naſturtio, Beccabungâ, Chelidonia minore, & Plantagine recentibus expreſſorum ad ſesquunciæ doſin bis quotidie cum juſculo ſumendorum intimavi. Quorum remediorum diligenter uſurpatorum ope, unus quidem & alter paroxyſmus ſatis fortes recurrerunt, ſed ſeptimus jam remiſſior apparere cœpit, ſequentesque ſenſim mitiores evaſerunt, Decimusque fuit ultimus. Præcepi tamen adhuc uſum ſucci illius herbacei per octiduum & ultra continuandum, unde appetitus ciborum planè reſtitutus, ſanitasq; non reſtituta ſaltem, ſed & in hunc usque diem confirmata fuit. Tandem coronidis loco ad reliquias, ſi quæ adeſſent, Febris exterminandas, Infuſum Foliorum Sennæ ordinavi, Ægræque valedixi.

OBSER-

# OBSERVATIO CC.

## D. THEODORI ZWINGERI.

## Grando Palpebræ oculi feliciter & promptè discuſſus.

IN Praxi medicâ, qui cum ratione quotidiè verſatur, frequenter admodum glanduloſos obſervabit morbos, dum Lympha quocunque modo tenax ac viſcidior reddita in hujus aut illius externæ, vel internæ glandulæ tubulis ſtagnans & coagulata tumorem quendam, primò laxiorem, poſtea duriusculum efficit. Obſtructiones ejusmodi prout nunc magis nunc minùs induruêre, ita plus minusve reſerabiles animadvertimus; & ubi internorum viſcerum glanduloſa textura hâc ratione eſt affecta, diu certè remediorum convenientium uſus non eſt differendus, ne tumore nimis duro aut ſcirrhoſo reddito, fruſtranea, evadat, qualiscunque impenditur opera: ſed & remediorum ſtudioſa ſelectio facienda, ne ex minore malo oboriatur majus, aut partis affectæ uſus inſigniter lædatur.

Filia Viri Nobilitate & Virtute eximii, annorum circiter undecim, ſanguinea, atque formoſa ſatis Verno tempore Anni 1691. glanduloſum tuberculum in mediâ ſuperiore palpebrâ contraxit, exiguum illud primò, nec ita durum, quod, cùm præter lenem quandoque pruritum ad frictionem invitantem nihil vel parum incommodi pareret, nec etiam conſpicuum valdè eſſet, prorſus negligebatur.

Poſtquam autem Grando iſte (quo nomine Practici tuberculum grandineo grano ſimile inſignire voluerunt) ſenſim augmentum caperet, & jam piſum grandius ſuâ magnitudine excederet, ſub cute digito huc illucve mobile, ac præterea palpebram nonnihil deprimendo deformitatem vultui ſatis venuſto conciliaret, Parentes admodum ſolliciti ſubſidia quæ-

quærunt, & in Chiurgos, Medicosque incidunt, qui externis emplaſtris atque Cataplasmatibus, neſcio qualibus, grandinem diſcutere laborantes, prorſus Inflammationem; in Abſceſſum procul dubio abituram, doloreq; jam comitatam inſigni, excitant: quod cùm haud adeò feliciter eventurum, imò oculo fortaſsè nociturum prævideren, Inflammationem collyriis debitis iterum diſcutiunt, Parentibusque tandem perſuadere conantur, tuberculum illud ſub cute mobile, nec ulterius auctum, omnium optimè ſcalpello exſcindi poſſe, debere. Quo deterriti conſilio Parentes Nobiliſſimi, aliorum quoque ſententiam priùs audire, quàm ſimile quid in Filiâ formosâ admittere geſtiverunt. Menſe hinc Majo Anni ſupradicti meum ſimul per Litteras requirunt conſilium, hiſtoriâ morbi mecum communicatâ. Ego verò exiguum illum Affectum, non niſi Grandinem eſſe ſtatui, ab extravaſatis guttulis quibusdam Lymphæ Lachrymalis ſpiſſioribus, viſcidioribus, acido-auſteris, leniſſimâ acrimoniâ præditis, ac ſucceſſu temporis induratis oriundum, vel juxta aliorum opinionem à glandulâ quadam eo loci obſtructa & ſcirrhosâ redditâ derivandum; qui, modò ſibimet ac naturæ relinquatur, haud majus incrementum capeſſiturus, ſed ſenſim, inprimis accedente æſtivi Solis ardore, contribuente ſimul ætate tenerâ, complexioneque delicatâ, per ſe diſpariturus ſit: id quod & in memet ipſe ante 14. plus minùs annos, & in aliis pluribus ſimiliter expertus ſum. Quò tamen eò citiùs atque feliciùs hoc in Virgine Nobiliſſimâ contingeret, præſcripſi purgans aliquod cum Mercurio dulci, hinc ſuaſi, ut ſingulis matutinis atque veſpertinis horis pulvis granorum Caffé toſtorum unà cum ſemine Fœniculi in Aquâ ſimplici decoqueretur, & vapor inde exhalans ad oculum aliquandiu admitteretur, ſtatimque calido linteo per ſemihoræ ſpatium oculus tegeretur, Exciſionem verò tuberculi, periculo non vacantem, omninò reprobavi. Quod meum qualecunque conſilium cùm locum inveniſſet, remedia ſtatim in uſum tracta

fuerunt, grandoque intra paucos dies disparuit, qui ſibi relictus diu adhuc imò per integrum annum durare potuiſſet.

## OBSERVATIO CCI.
## D. THEODORI ZWINGERI.
# Puellus ſine cerebro natus, ad momentum vivens.

CEleberrimus Scaphuſienſium, diverſorumque S. R. I. Principum Archiater Dn. D. *Johannes Jacobus Wepferus*, Patronus mihi ſummè colendus, *Ephemerid. Curioſ. German. Decur. I. Ann. 3. p. 205.* rari admodum in humano genere monſtri ſine cerebro nati hiſtoriam dedit, eruditiſſimâ diſſertatione illuſtratam: cui non abſimile exemplum eodem *Ephemeridum Anno* Pueri absque cranio & cerebro nati Dn. D. *Carolus Raygerus*, Medicus Poſnanienſis addidit. Quæ quidem obſervationes, cùm notatu digniſſimæ exiſtant, jungam ego tertium exemplum Puelli ſine cerebro non ita pridem Mühlhuſii in Alſatiâ in lucem dati, cujus hiſtoricam narrationem amicè mecum per Litteras communicare dignatus eſt Vir Experientiſſ. & Clariſſ. Dn. D. *Johannes Hoferus*, Poliater ibidem meritiſſ.

Verena Müllerin / ex pago Kränichen / Uxor Adami Schmid / è pago Hentſchicken / ditionis Bernenſis, tres & quadraginta annos ætate complens, ſtaturæ brevioris, macilenta, duorum adhuc viventium ac vegetorum liberorum mater, per quinque menſes Tertianâ Febri excruciata fuit, quâ ceſſante Abdomen ſibi expandi percipiens, Aſcitis principium eſſe credidit, usque dum motus & calcitrationes Embryonis in utero perſentiſcere, ac de impprægnatione cogitare cœpit: quæ opinio ipſam minimè fefellit, etenim remediis, quibus antea utebatur, procul miſſis, re Naturæ conceſſâ, tandem poſt abſolutam quadraginta hebdomadarum periodum, die 7. Junii

nii 1691. fœtum tertium, partu haud difficili, poſt inſignem effluentiam aquarum copiam, enixa eſt, quoad ſtaturam maturum, perfectum, maſculum, viventem, artusque flectentem, imò aliquot vagitûs ab adſtantibus clarè auditos edentem; ſed quoad ſtructuram in capite deformem, ac monſtroſum. Unde ad conſiderandum, aut ſi quâ emendari poſſet, corrigendum inſolitæ figuræ caput advocatus Medicus, puellum mediâ poſt partum hora mortuum invenit, quoad artus & reliquum corpus benè conformatum, ſolo excepto capite, in quo primùm oculos non loco ad Naſi radicem naturali, ſed in ſupremo fronte ſitos contemplatur; quorum dexter quidem apertus bulbo ac palpebris naturaliter inſtructus; ſiniſter verò clauſus, palpebris in cilio conglutinatis, uterque in orbitâ quadam collocatus fuit. In hac oculorum præternaturali Regione caput ultra duorum digitorum transverſorum latitudinem non exæquavit, ſupra oculos autem acuminatus extitit ejusdem vertex; hinc occiput versùs non fornicatum, ſed declive admodum, & ad ſcapulas usque ſacci in formam pugni magnitudine dependens comparuit. Quibus ſingulis probè conſideratis interiora quoque luſtrare animum ſubiit; novaculâ hinc cutim capitis denſiſſimam cruciatim incidit, ac undiquaque à Cranio ad ſcapulam usque ſeparat, ſtatimque non ſine admiratione intuetur, cranium ad extremam propendentis in ſcapulas ſacci portionem extendi, coloreque tantillum incarnato (ſine tamen ullis veſiculis ac puſtulis ſuperjacentibus,) præditum eſſe. Cranium verò miram in figuram contortum, dum findere tentat Medicus, en maximam ipſi hinc difficultatem natam, quatenus ſummo cum labore ſaccum illum, qui totus quantus, non niſi oſſeum compigmentum fuit, dividere vix potuit. Reſecato autem Cranio, dum avidus in cerebri figuram inquirere pergit, ne gry quidem illius. imò nec cavitatem eidem recipiendo idoneam invenit, ſed exigua ſaltem veſtigia fibrillarum & vaſculorum hinc inde diſperſorum animadvertit.

Cranium ipſum valde depreſſum, & hinc inde trium digitorum transverſorum craſſitiem adæquare notavit, cæterà ſpongioſum valdè, poroſum, durum; ut cerebrum ipſum in oſſeam duritiem converſum dixeris. Oſſea enim hæc moles intra cavernulas atque tubulos ſuos materiam gelatinæ ſimilem, non cohærentem, continuit, cavernæ iſtæ in occipitio paulatim magis amplificatæ in foramen ſpinalis medullæ naturaliter ſe habens deſinebant. In reliquo, quod ſimul aperuit Medicus, corpore viſcera omnia ac ſingula naturaliter conformata invenit, præterquam, quod Hepar juſto grandius apparuerit, atque potiorem inteſtinorum partem unà cum ventriculo contexerit. Mater toto imprægnationis tempore, nullo, quantum meminit, unquam terrore affecta, neq; lapſum ex alto paſſa fuit.

Fig. XXV.


[*Baſileâ Auguſtam Vind. d. 7. Auguſti ſt. n. A. 1692. miſſæ.*]

## OBSERVATIO CCII.
## D. JOH. GEORCII SOMMERI.
# Eryſipelas capitis curatum.

DUciſſa quædam Sereniſſima & pientiſſima, dum viveret, non raró gravibus capitis inſultibus affligi ſolita, aliquando obruebatur diro eryſipelate per totum caput cum cutis rubore, febre continuâ, delirio, vigiliis & doloribus, quibus opponebam laxantia, diaphoretica, invertentia, ſpecifica & revellentia, inter alia liq. C.C. ſuccinat. Eſs. viperin. Mixt. ſimpl. & ſimilia. Externè utriusque brachii parti ſuperiori applicabatur veſicatorium, caput involvebatur linteis calidis ſuccino, myrrha, olibano & ſabina fumigatis. Poſt biduum tota capitis pars piloſa & potior pars faciei

Puellus monstrosus sine cerebro natus et vivens.

Fig. 25. pag. 388.



BRITISH MUSEUM
NATURAL HISTORY.

faciei cum utraque aure veſiculis latis colluvie flaveſcente elatis urebantur. Interim correctio & expulſio malignantis hujus acrimoniæ ſupradictis medicamentis urgebantur, parteſque ulceratæ eſſentiâ myrrhæ camphoratâ cum ſpir. ſamb. per ferm. parat. ſæpe illiniebantur, adhibito ſimul ſuffumigio ex maſtiche, ſuccino & ladano, quibus per DEI gratiam magni hujus mali felix ſequebatur diſpulſio.

## OBSERVATIO CCIII.

## D. JOH. GEORGII SOMMERI.

*De*

# Uſu ſuturarum cranii.

UTi infantes, quibus illa capitis pars, quæ ad ſuturæ coronalis & ſagittalis commiſſuram eſt, in qua pulſus ſe longè fortius exſerit, quàm in quavis corporis parte aliâ, & propter ſingularem egregiæ διαπνοῆς effectum, puta acrium nervoſo generi infenſarum fuliginum tranſpirationem ſcitè ab Anatomicis fontanella & fons pulſatilis, Gallis la fontaine, Germanis das Blätgen dicta, à nativitate cranio contiguo clauſa eſt, vel juſtô citiùs oſſe obducitur, illi aut graviſſimos affectus capitis patiuntur, aut vitam vivunt perbrevem; ita etiam omnes adulti, qui ſuturas habent arctè coalitas, intenſiores & crebriores dolores capitis ſentiunt, ceu ſectiones eorum teſtantur, qui propter defectum omnium vel quarundam ſuturarum cranii multos capitis dolores paſſi ſunt, quia fuliginoſus ichor in cranii ergaſtulo concluſus nec inſenſibiliter, nec per ſudorem diſſipatur. E contrariò qui benè tranſpirabiles ſuturas, aut loco illarum quædam foraminula in cranio, aut cranium tenue & poroſum ſortiti ſunt, illi cephalæa, epilepſia, aliisque gravibus capitis affectibus minus affliguntur. Sic virum non adeò robuſtorum oſſium novi,

cui poſt omnem cibum acidum totum caput, maximè in ſuperiore parte plana ſtatim ſudore ita perfunditur, ut largè hinc inde defluat, & ita cerebrum cum pia & dura matre ab hoſtili acrimonia, quæ in multis individuis turget, ſalvatur: ex cujus ſudoris incommoditate huic dicto viro emergit commodum, quod per totam ferè vitam doloribus capitis expers vivat. Hujus rei illuſtrem confirmationem exhibet *Hippocr. lib. de loc. in homine, ſect. 4. p. m. 80.* ſcribens: Ὑγιεινότεροι δ' εἰσὶ τὴν κεφαλὴν, οἱ τὰς πλέονας ῥαφὰς ἔχοντες. *Sanioris ſunt capitis, qui plures ſuturas habent.* Et *Galenus* ex nimis firma ligatura arctatis ſuturis, cohibitisque excrementis, tantam vidit obortam inflammationem, ut oculi ex orbitis eruperint.

[*Arnſtadio Norimbergam miſſa d. XXV. Aug. 1692.*]

## OBSERVATIO CCIV.
## D. JOH. CHRISTIANI FROMMANNI.
## Inflatio inteſtinorum.

VIr quidam honeſtæ conditionis, annorum ſupra quinquaginta paucorum natus, cùm ab octo ferè hebdomadibus lecto æger eſſet affixus, & duorum ſucceſſivè Medicorum conſilia imploraſſet, meam quoque præſentiam d. 24. Octobr. A. 1690. per Agnatam exorat. Invitus, fateor, eam commodare promiſi, tum quòd Medici iſti duo practici boni ſpe ſuâ, in malô domari neſcio, eſſent fruſtrati, tum quia jam *tympanitide*, jam *colicâ flatulenta*, illum laborare fama jam ante auribus meis nunciârat, quorum affectuum prior hydrops periculoſisſimus audit, vix unquam ſui curationem admittens, propterea à me medicamenta efficaciora, quàm iſti præſcripſiſſent, expectanda non eſſe, mecum collegi: petitum tamen ægro abnuere, quòd tum charitati Chriſtianæ, tum vinculo affinitatis, nonnihil licet remotioris, eſſet contrarium, religio fuit. Promiſi ergò, ſed

ea

ea cum conditione, præſentiam, ut *urina* ſeq. die ante mitteretur, quàm clinicum adirem. Iſtius autem parvâ quantitate miſſæ oculisque meis ſubmiſſæ *rubedo* inſignis & eodem modô cum quadam *pelluciditate* perſtans, gravitatem mali funeſti mox prodidit, quæ, ut animum adeundi modò non omnem abjicerem, effecit. Idem prognoſticum è *facie*, quæ primô intuitu mihi ægrum viſitanti, opemque, quantum in me fuerit, Medicam ferre parato, Hippocratica videbatur, legebam: neque facies tantum, ſed & *totum corpus*, ſi loqui ita licet, erat Hippocraticum, excepta *infimâ illius regione*: partes ſiquidem reliquæ omnes extenuatæ ita erant, ut reverà Sceleton coriô opificis manum experto veſtitum videretur. Non enim tantum nares acutæ, oculi concavi, tempora collapſa, color totius faciei pallidus, quæ, vigente morborum acutorum tyrannide, oborta, inter notas faciei Hippocraticæ competentes, referunt Senis Hippocratis cultores, ſed & *claviculæ*, *brachia*, *manus*, *coſtæ cruraq;* carnoſo & nitido apparatu omni deſtituta, commiſerationem & admirationem intuentium provocabant. Spatium, quod pollicis & indicis mei extremitates conjunctæ circuli formâ fovent, humero, mihi ad menſurandum dato, digitisque iſtis ambientibus clauſo deprehendebatur majus. Major erat ægrotantis querela de interno *æſtu in abdomine*, præſertim circa *umbilicum*, quem externus & blandus *cutis calor* fallere videbatur, quàm inter varios de affectu ullo alio, ſeriem illorum conſtituente, puta vigilias, anorexiam, alvi inobedientiam, & virium jacturam. Rarus hic abdominis tumor (qui tum temporis, non ſemper) anodynus erat; frequentiores *flatus* in abdomine, ſeu ſub umbraculo theatrali latentes ac per vices tyrannidem exercentes & oculos & aures præſentium ſui raritate, ut curioſiores attentioresque adeſſent, invitabant. Non uno in loco fixi hærebant flatus, ſed *mobiles* tentoria viſum incurrentia multa ſtruebant. Primùm in dextô latere inteſtinum *colon* tumidum, epatis ampliſſimi in altum evidenter

denter ſublati ſpecie, imponebat; ſub hoc aliud, datô interlineari ſigno, idque ad ſenſum minus prominebat. Sed ab alio quaſi ſuppreſſum inteſtinum, & inde aliorum, minus tamen in utroque latere conſpicuorum, quæ tenuia erant inteſtina, notabatur motus & tumor remiſſior. Superiori ventris inferioris parti manus impoſita illam *inteſtini craſſi* partem, convexasque & interſtitiis ligamentoſis diviſas cellulas luculentè novit diſtinguere. Diutinus autem non fuit humoris quaſi ex occulto ſurſum ebullientis, effervеſcentis & in flatus converſi aut convertendi improviſus & ſenſibilis in inteſtinis impetus, quo remiſſo, remittebat variantium figurarum ſpectaculum; nova autem & tumultuaria flatulentia reverſa eadem exhibuit Schemata, id quod horæ quadrantis paulò amplioris ſpatio bis, his oculis meis, ipſe vidi. Adſtantium etiam auribus vacuis eodem tempore *ſonos* inconditos, *murmura* & *borborygmos* flatus dabat inteſtinus, quorum extra paroxyſmum veniens ſonus clementiùs auditûs organum feriebat. His hactenus allatis, beneque eo tempore obſervatis & ad incudem rationis, pro Judiciô Medicô formandô, revocatis bivio me expoſitum ſenſi curationis vel negandæ vel aggrediendæ. Ipſam formidandus certæ mortis caſus disſuadebat; ægri autem adſtantiumque ſpem recuperandæ ſanitatis tacitè, quamvis non ſine contrarii metu foventium, inſtantia urgebat. Graviſſimo tandem morbo *remedia*, ſi non multa, non tamen nulla præſcribere, ſi non pretioſa, non tamen otioſa, opponere; ſi non hoſtiliter thraſticis, tamen civiliter mitioribus illum tractare, precibus convictus conſultum duxi, præmiſſâ inſtituto hac proteſtatione, non eſſe in Medico ſemper, relevetur ut æger, quod interdum doctâ plus valeat arte malum, propterea Medicum, Conſiliarii inſtar, fidem quidem, non autem eventum præſtare, teneri; fauſtum eventum à Summi Numinis omnia dextrè dirigentis nutu, dependere. Quoddam ergò, idque *ambiguum*, ne ſerenitas conceptæ ſpei omnis rotundo & ingrato ingrati fati

nuncio

núncio obſcuraretur, prognoſticum ægro, adſtantibus autem certum deſperatæ curationis ex certis ſignis hauſtum propalavi. Recipiendo autem ad materiam flatuum genitricem eam exturbare, quod qnidem neceſſitas imperabat, animus erat, ſed quo id fieret modo, dubius hærebam. *Purgantium* auxilio id effectui dare, ob metum ὀργασμȣ̃ ulterioris & excitandæ ſic flatuum exitum non invenientium agitationis furioſæ conſultum non duxi; *clyſteribus* autem eam provocare, præcedentia, quod fruſtra fuiſſent applicita, enemata deterruerunt, quanquam ſi unum & idem remedium ſemel & iterum Medici induſtriam eluſit, non tamen propterea ſe fruſtratum & à ſpe omnimoda ſemper dejectum iri, probe mihi conſtiterit. Animum nihilominus ad alium converti *ſcopum*, nimirum materiam dictam, quæ craſſitie & viſciditate ſua obſtructioni variarum viarum occaſionem ſubminiſtrare ſolet, diſſolvere, atque, ut diſſoluta & præparata ad vias vel urinarias vel alvinas præceps daretur, curare, neglecto multo longitudine ſuperbientium receptarum apparatu. Præſcripſi itaque hunc ore ſumendum pulverem: ℞. *arcan. dupl.* ocul. 69. præp. tartari vitriol. an. ʒj. M. F. P. dividendus in partes æquales ſex, totidem diebus manè in brodiô carnis cui radices ononid. petroſelin. & glycyrrh. cum cumino eſſent incoctæ, ſumendas: abdomini autem flatuum discutiendorum ergò extra Cataplaſma hoc: ℞. ſtercoris ovilli præter propter ℔j. pulv. carvi & ſulphuris an. ℥iij. in aqua & vino commiſta coquantur, & intra lintea duplicata calore debito prædita imponantur, & ſub integumentis, ne iſtius calor juſtò citiùs elabatur, ſollicitè ſerventur: caloris autem jactura, ut novô decocti calentis calore compenſaretur, juſſi. Verùm intentionem effectus contrarius, quem mirabar, excepit. Pulveris enim illius uſus non quidem fluxum, *laxitatem* tamen *alvi* peperit, occluſam hactenus alvi portam reſerando, excrementaque exturbando, primô quidem triduo, plura quàm præcedentibus ſeptimanis & diebus fuerant excluſa, non ſeroſa,

ſed nonnihil ſpiſſa, liquida, eaque flava, viſcoſa, de pituitæ viſcoſæ præſentia teſtantia, qualia ſectio poſt mortem in inteſtinis obvia exhibuit, quibus motus, ex me per famulam, an pulveris ingredientibus vera *purgantia* eſſent ſociata, quæſivit æger. Reſponſioni negativè datæ is acquieſcens pulveris ejusdem uſum ad nutum meum continuare non dubitavit, maximè ideò, quia inde evidentem & doloris ferè omnimodam, & tumoris aliquam remiſſionem ſenſit tantâ, quam inde conceperat, cum reconvaleſcentiæ ulterioris ſpe, ut ſibi de primis his curationis feliciori ſidere magis ſperandæ gradibus gratulatus apud domeſticos Archiatro cœleſti & mihi, tum abſenti tum præſenti, gratias, non ſine mente, quæ ſana ſemper manſit, illi devotiſſimas, mihi magnas egerit. Verùm tantus nihilominus latentis mali fuit furor, ut eidem reſiſtendo vires tandem fuerint impares, ſenſimque imminutæ ita, ut die curationis quinto, & quidem horâ tertiâ matutinâ, extremum inſultus hoſtilis æger paſſus plures in mortalium cœtu natales celebrare deſierit, ad plures & eos, qui ſecula beata in cœlis æternùm celebrant, abeundo. *Corpus exanime* cultro *anatomico* ſubmittendi copiâ à meridie mihi ad hoc negotium prompto & interiorum curioſo datâ acceſſi, & primo intuitu ventrem jam ſeipſo tumidiorem, quàm ante extremum vitæ articulum fuerat, deprehendi. *Abdominis* ſic tumentis ſplendor apparens manum, ut exiguum ferri acumine *foramen* explorandi gratia in latere procurarem, primùm invitavit, ex quo *ſtrepitus* brevis & levis in auram ſolus, fœtore naribus moleſto nullo prorupit, auribus autem percipiendus; ex eo verò ſubſidentiæ in abdomine ſaltem levioris ſpecies oculis cernenda obveniebat. Manus mea inquirere pergens ſola abdomen, factâ inibi crucis in formam novaculâ aperturâ reſeravit, ſed mox *inteſtina* turgida & *flatibus* onuſta impetu quodam prodeuntia & aſſurgentia viam, quam legere iſtis fuerat datum, primùm ampliare conando, conatum reſerandi ipſamet promotum ire videbantur; ſed tum

nec

nec flatus nec aquam extra inteſtina *in abdominis cavo* vagari animadvertebatur. Chirurgus Henricus Juſtus Braun Magiſter cum ſuô diſcipulô labori meo ſuperveniens, ſociamque in extrahendis & perſcrutandis viſceribus operam conferens, non unam *inteſtini* partem, ſed turgida & flatu ſufflata, *modò non omnia*, mecum vidit. *Rubedo* in locis, quorum multa fermè in omnibus inteſtinis, erant, gradibus intenſionis ratione varians, *inflammationis* & *gangrænoſæ diſpoſitionis* præſentis index erat certiſſimus, nec non cauſæ ſitis clamoſæ, quæ præcedentibus diebus nuper ante meum adventum orta, potulenta ægroto ſæpe imperârat. *Putredinoſa* erat *inteſtinorum* textura, quæ propterea leviſſimum cultri attactum minimè patiebantur, quæque læſæ parti proxima mox evomebant *excrementa*. Iſta non indurata, niſi in Duodeni ventriculo vicinâ parte, eaque pauca, coloris obſcuri, & quaſi ſicca. In reliquis autem viſcoſa craſſitie quadam & flavedine inſigni prædita, per omnem inteſtinorum compagem erant conſpicua. *Flatus craſſi* ſubſiſtere, nec per foramen cultrô factum ſucceſſiva unius poſt aliud per iſtud migratio notabatur, ſed ſolus, qui aperto loco erat vicinus, occurrebat, reliquis ſuam quaſi poſſeſſionem obſtinatè tuentibus, turbationemque ſui renuentibus, quaſi, quod eſſent viſcoſis excrementis incruſtata & ſic firmata, ad collapſum inepta, ſufflaminantibus ſine dubio expanſionibus quæ inteſtinorum gyros modò non paſſim conſtringentes remoram euntibus flatibus injiciunt. *Ventriculus* parvus in locum, flatuum in inteſtinis præſentium impetu, parvum & anguſtum detruſus latebat, omentum autem nullibi. *Meſenterium* potiſſimum circa Duodenum erat corruptum, quod Chirurgus manu prehenſum, digitis explicans, es iſt vermodert/ non ineptè dixit. *Hepar* coloris ſatis genuini debitæque magnitudinis lobis deſtitutum, *veſiculam velleam* ferè marcidam fovebat; *Lien* autem parvus ovi gallinacei longitudinem non excedens non parvam intuentibus nobis admirationem peperit. *Pulmonum* exter-

nus color ad albedinem vergens punctulis nigris erat variatus. Viſcera reliqua, *Cor, Ventriculus, Renes* &c. quod reprehenſionem ob peregrinæ conſtitutionis iniquitatem mereri poſſet, offerebant nihil. Ita Tragœdiæ hujus autores *flatus* in inteſtinis, quæ theatrum dederunt, fuiſſe evidens eſt. Unum adhuc, quod non priores Medicos, ſed me, vel ex injuſto patientis pudore, vel ejus oblivione latuit, ne Lectorem lateat, ſubjungo. *Hernioſum* ægrum fuiſſe, tum demum in ſectionis actu oculorum manuumque fidei patuit: non tamen magnum fuiſſe malum, & viſui & manibus inteſtinum captivitate facilè liberantibus, quod nec reſiſtentiæ juſtò longiori, nec turgeſcentiæ juſtò majori locum dediſſet, conſtabat.

## SCHOLIA.

R*Atio inſcriptionis*, quam obſervatio præfert, ex dictis jam patet. *Inflatio* fuit *inteſtinorum*, *non Tympanitis*, *non Colica flatulenta*, quorum affectuum ſpecies cauſarium corpus nonnullis exprimere videbatur. Morbi ſanè multi identitatis rationem ad invicem ſæpè in principiô ante exhibent, quàm vel partem ſui incrementi, vel faciem plenam ſiſtunt, quæ ratio nonnunquam ſub promiſcuâ acceptione confuſionem peperit. *Tympanites*, *Aſcites* & *Inflatio inteſtinorum* initio & paulò poſt, ſignis nondum ſatis maturis exiſtentibus, inter prodeundum ſub eodem vexillo venire cùm videantur, præmatura eaque diverſa judicia provocant; quam diverſitatem, ſi in Practicorum monumentis occurrit, miretur nemo. Germanorum Æſculapius D. Sennertus ipſe *lib. 3. Pr. Med. Part. I. Sect. 2. cap. 4.* ingenuè fatetur, Flatus & Aquam ita interdum miſceri, ut, utrum ad *Aſciten*, an verò *Tympaniten* ſit referendus, ambigere quis poſſit: Adeò expertâ mente manuque ſcripſit Hippocrates *lib. 6. Epid. ſ. 8. t. 80. Bonis Medicis ſimilitudines errores parere ac difficultates.* Quâ de ſimilitudine, Morborum nimirum, peculiarem & elegantem Diſputationem

nem Excell. Dn. D. Wedelius Anno 1689. Jenæ edidit. *Colica* equidem *flatulenta* affectus hic præſens ſalutari poteſt, non tamen in *ſpeciali acceptione*, quæ ſolius coli tormina ſignat, ſed in *generali*, quatenus quemvis infimi ventris dolorem notat inſignem, qui, non in inteſtini coli ſolum, ſed & in reliquorum inteſtinorum regionibus obſervabilis venit, ſiquidem reliquorum etiam inteſtinorum ſtructuram omni dolore deſtitutam & ſalvam manſiſſe, cauſarum multitudinem, ipſarumque circumſtantiarum in Titio natatarum apparatum, & in hoc Herniam ſcrotalem, evolventibus, non venit veriſimile. *Colicam* in *humoroſam*, *flatulentam & ſtercorariam* dividere quibusdam placet, ſub humoroſa *bilioſam* & *pituitoſam* intelligentes, *ſcorbuticum* tamen characterem, ſi non in omnibus, in plurimis tamen ſubjectis & cauſis ſimpliciter non excludentes. Flatus quidem præcipuè Oeconomiam Titii noſtri inteſtinalem turbaſſe, ſed & bilem, pituitam, ſtercora imò ſuccum etiam pancreaticum proprio fonte ſcaturientem ſymbolum contuliſſe privata partium ibidem ratio & conſtructio confirmat. Evolvamus porrò, ut dictis majorem lucem conciliemus, aliorum monumenta. Helmontius *Tr. de Hydrop. ignot. §. 43. Tympaniam* ab *Hydrope* differre aſſerit: gigni enim flatus in inteſtino à localis Archei indiſpoſitione & proprio alimento membranarum in flatum verſo. Franciſc. Joeli Practico Celeberrimo *lib. 5. Pr. Sect. 1.* Tympanites eſt ventoſus hydrops, aut aqua intercutanea, in qua inteſtina ex collecto nebuloſo aëre aut flatibus repleto diſtenduntur. Felix Platerus *tom. 3. Prax. p. m. 282.* tres *Tympanitis* conſtituit ſpecies, quarum *primam* à flatu in inteſtinis ſolum conſiſtente, *alteram* à flatu & aquâ in abdominis cavo coacervatis, *tertiam* à ſolo flatu ibidem incluſo enaſci ait. Sylvius *lib. 1. Prax. Med. c. 14. §. 26. Tympaniten* flatibus nunc in ipſorum inteſtinorum cavitate permanentibus ac concluſis, nunc extra eadem quoque in abdominis cavum penetrantibus ibidemque peritonæum expandentibus, ortum ſuum debere ſcribit. Jonſtonus

nus *Id. Medic. lib. 3. act. 5.* Tympaniten quidem deſcribit, quod ſit abdominis ex multo flatu in illius capacitate concluſo diſtenſio, ſed in loci deſignatione eum nec in ventriculo eſſe, quia per ructus ejiceretur, nec in inteſtinis, quia per alvum excluderetur, ſed inter meſenterii & inteſtinorum tunicas plerumque generari ait. Verùm an plerumque intra an verò extra iſtorum tunicas in abdominis cavo flatus, ſicut in Aſcite aqua reperiantur, ulteriori experientiæ, ſi conſulenda datur, relinquitur. D. Dolæus *Encyclop. lib. 3. cap. 9. §. 3. Tympaniten* raró quidem ſolitariam eſſe, ſed ordinario *Aſciten* habere comitem dicit, à flatibus tamen in inteſtinis incluſis eam oriri ſtatuit. Paulus de Sorbait *Med. Pr. lib. 1. tr. 1. cap. 60.* cauſam Tympanitis materialem vel in ventriculô, vel in inteſtinis eorumque membranis contineri ſcribit. Plurium monumenta evolvere ſuperſedeo. Hæc omnia Vir de Republ. Medicâ meritiſſimus Dn. D. Sebizius doctâ manu feliciter extricat *Specul. Medic. Pract. tom. 1. Part. 4. Sect. 4. cap. 18.* ſcribens, Hippocratem hanc Hydropis ſpeciem (*Tympaniten*) ὕδρωπα ξηρὸν, *ſiccum Hydropem Sect. 4. aph. 11.* appellare, ut ab *Aſcite* diſtinguatur, non quòd nulla in ea ſit aqua, (ſic enim Hydrops vocari non poſſet) ſed quod plus in *Tympanite* flatuum ſit, quàm aquæ, quamvis & in *Aſcite* plurimum quandoque flatuum obſervetur; flatus autem ab aquæ copia, longè ſuperantur. Et paulò poſt: Notandum Practicos obſervaſſe, flatus non ſemper in abdominis capacitate fuiſſe incluſos, ſed etiam in inteſtinis. Verùm affectus iſte *Tympanias* non eſt, ſed *inteſtinorum inflatio*, ἐμπνευμάτωσις à Græcis dicta. In Titio autem noſtrô diſſectio oſtendebat, nihil apertô abdomine erupiſſe flatuum, nec ventrem ſubſidiſſe, ſed inteſtina omnia, exceptâ ſuperiori Duodeni parte, flatibus gravida mirumque in modum diſtenta fuiſſe, ut ſectione factâ cum impetu quodam proſilierint. Flatus autem ille levis & brevis, quem primum in ſectionis actu laborem adacto leviter per abdomen cultri acumine elicuiſſe diximus, contradictionis

nos

nos arguere nequit: cur enim defunctorum quorundam abdomina poſt aliquod tempus à flatu in molem attollantur, & quaſi tympaniticè intumeſcant, vide ſis in fine, qui Decur. 2. Ann. obſervationem noſtram, quæ ibi centeſima ſexageſima octava eſt, terminat.

Humorum & hinc Flatuum ortorum cognitioni & doctrinæ facem ingentem accenſam & prælucentem in venerandi Medicinæ Antiſtitis, Hippocratis librô de priſcâ ſeu veteri Medicinâ habemus, quam tamen Galenica & Peripatetica, Arabumque Schola deinceps quatuor primarum qualitatum mole modò non extinxit; eademque mutua interpretum ſubſcriptione extincta manſiſſet, niſi ſuperiori ſeculô Paracelſiſtæ & hoc noſtro Helmontiani rationis & experientiæ auræ motu eandem redivivam dediſſent. Quare ortâ in Microcoſmo â flatibus tempeſtate præſentis ſeculi Medici feliciori jam ſidere navigant, magis magisque Chimiæ præſertim ſubſidio edocti Flatuum eſſentiam, materiam, cauſam efficientem, locum, differentiam & dolorum ſymptomatumque inde ortorum varietatem. Hippocrati equidem flatus aër eſt, quod his aſſerit: *Spiritus quidem* (πνεύματα) *qui in corporibus inſunt, flatus* (φῦσαι) *nominantur, qui verò extra corpora, aër:* id quod tamen comparativè reſpectu humorum & fluidorum, quæ non in auram abeuntem, ſed manibus & oculis obviam habent conſiſtentiam, flatus autem emiſſi & diſperſi ob levitatem motus ad motum aëris ſui præſentiam oculis ſubtrahunt. *Humidum* quidem qua tale *ſimplex*, in motum agitatum, expanſum, & rarefactum, inque minutiſſimas evolutum particulas mites gignit vapores, qui impetuosè, niſi heterogeneis particulis, ſeu multis illum augentibus, ſeu activis eundem ad motum incitantibus imprægnetur, & comprimatur, vix movetur. *Aër* ratione *eſſentiæ* & in ſe ſpectatus, omnis in ſuâ indifferentiâ qualitatis activæ expers eſt, nec flatibus, niſi ſubjectivè, inſervit: at ratione *exiſtentiæ* conſideratus aër, cum flatu, & hic cum illo conferri poteſt. Sic & Flatum

Flatum naturalem extra nos genitum, aërem, qui in nobis generatur, repræſentare Gliſſonius *Tr. de Ventric. & Inteſt. pag. 528.* operosè demonſtrat. Fienus quoque *Tractatus ſui cap. 2.* de Analogia Flatus cum vento agit. Qui terram & mortales in ea degentes circumſtat aër, quemque ſpiramus, ex particulis aëreis, ætheriis & igneis eſt compoſitus, quibus porrò accedunt particulæ aqueæ, oleoſæ, ſalis aliorumque corporum reſolutorum, uti Dn. D. Reyherus Prof. Kiliæ celeberrimus in eleganti *Diſſert. de Aëre* præclarè innuit. Inde aëris & ventorum varietatem legunt Philoſophi Phyſici. Idem de Microcoſmi aêre internô & flatibus ſentiunt Philoſophi Medici. Quò nimirum minor eſt heterogeneitas particularum aëris in Microcoſmô latitantis, eò lenior ibi ſurgit aura: quò major illa per fermentationem vitioſam vitioſis ex humoribus orta, eò craſſior evadit, flatus nomine veniens, turbines & præſteres ibi excitans; quos flatus, quòd neque ad vapores, neque ad exhalationes referri queant, ad tertiam claſſem hujusmodi entium, ſive ad Gas ſylveſtria, ſeu Spiritus incoërcibiles revocat cum Helmontio D. Etmüllerus *Inſtit. Medic. Patholog. cap. 3. theſ. ult.* Accedemus propius ad Subjectum noſtrum, Titium, quæque Hiſtoriæ præſenti applicatione digna cenſebimus, applicabimus, generalia ſuis ſedibus relinquentes. Præſens & commoda fuit Flatuum generationi & collectioni *ſedes*, *materia* inſuper apta, atque *efficiens* genuina.

I. Commune quidem & primarium *flatuum diverſorium Ventriculus & inteſtina* ſunt. Verùm in hoc noſtro Ventriculus ab iis fuit immunis, causâ ſive efficiente, ſive materiali, ſive utrâque crebriorum vomituum inſultibus ſine dubio exclusâ, partimque ſurſum per ſuperius, partim deorſum per inferius orificium ad inteſtina, præcipuè colon, depulſa. Putandum autem non eſt, ita uni colo inhæreſcere flatus, ut non in cætera quoque inteſtina exſpatientur: imò verò cùm efferveſcendi occaſio duntaxat in tenuibus ſit, neceſſe eſt ex illis

illis lentè in Coli ſpatia prorepant, & ob valvuloſos cellulatosque tunicarum proceſſus, tum etiam ſegniorem motum periſtalticum diutius ibi hæreant, tandem quoque ab accreſcente cum tempore lymphæ fermento ad novam & tumultuariam flatulentiam diſponantur, uti D. Pechlinus *lib. 1. obſerv. Medico-Phyſic. 57.* ſub inſcriptione, *Flatuum mirificos eſſe luſus*, diſſerit, illudque argumentum more ſuo ingenioſè & eleganter tractat. Propterea inter rara referendum eſt exemplum pueruli illius ſemeſtris apud Petrejum *diſſert. harmon. 19.* cujus ventrem in ſtupendam cum graviſſimis & continuis torminibus magnitudinem à flatibus ſolùm in Colo obviis, diſtentum, reliqua autem inteſtina cum Ventriculo iisdem deſtituta fuiſſe, memorat: quanquam ſuperiori ſeculo Fernelius *lib. 6. Pathol. cap. 10.* in non paucis, flatus qui cohibere conſueverant, colon dilatum brachii amplitudinem æquante, ſectionis beneficio, adnotârit. Rariorum tamen ordini eam obſervationem, quam Collegio Nat. Curioſ. *Decur. 2. Ann. 6.* Dn. D. Joh. Petr. Albrecht communicavit, extantem ibi ſub *Num. XI. pag. 34.* de cujusdam hydropem utricularem etiam poſt fata mentientis, Anatome, jungere non dubitamus. Factô in hoc ſcrutiniô Anatomico deprehendit is globum flatulentum, ſuperiorem abdominis regionem adimplentem, qui fuit inteſtini *Coli* quædam portio tam intensè dilatata, quaſi flatuum iſta ſola refugium fuiſſet omnium. Hiſtoriam noſtræ affinem prælaudatus Dn. D. Pechlinus recitat de Virgine annoſâ, variis morborum tædiis exercitâ, cui duabus plerumque horis poſt cibos inteſtina craſſa, tam lateralia, quàm illa hypochondriis ſubjecta à flatulento ſpiritu tumeſcere cœperunt, ut impoſita manus illam inteſtini à cæteris partem, convexasque & interſtitiis ligamentoſis cellulas luculentè diſtinguere poſſet, ſubſidente rurſum poſt trium horarum intervallum illo tumore & complanato ventre. Incerta fuerunt in Hiſtoriâ noſtrâ temporum intervalla, quæ tamen ſemper & viſui & tactui locorum varietatem cum vagabundorum & fermentantium in locis illis abditis flatuum mo-

motum haud obſcurè referebant. Hæc ille. An inteſtini cœci aliquæ hic quoque fuerint partes, quod in ſubjectô noſtrô non omninò obſtructum deprehendimus, aſſerere non auſim. Diverticulum illud halituum & flatuum, imò & fecum per ileum pergentium eſſe, ſi collecta forſan in Colo dura & exſiccata excrementa ſubſiſtant, quæ ſententia eſt Dn. D. Simon. Paulli *Quadripartit. Botanic. pag. 84.* aſſenſum difficulter impetrat, cùm ſpatium ibi ſit improportionatum, quod pluribus Excell. D. Wedelius *Phyſiol. Reform. cap. 9. pag. 265.* evolvit: quanquam idem Patholog. *Medic. Dogmat. Sect. 2. cap. 3. pag. 206.* ex innato & felice conciliandi ſtudio pollicem Viri ejusdem ſuaviter premat.

II. *Materiam* generationi Flatuum aptam *αὐτοψίᾳ* cum ratione in hoc noſtro ſubjectô exhibuit, nimirum *Bilem, ſuccum pancreaticum,* (qui duo liquores circa duodeni & jejuni confinia promanant) *lympham* ex glandularum inteſtinalium tubulis ſcaturientem, *chyliq; ſerum*, pituitæ propaginem. Omnia & ſingula hæc in ſtatu naturali benè, in præternaturali malè audiunt, miram, in præternaturalis, præſertim fermentationis, negotio, ludentes fabulam. *Bilis* ſui in ſubjecti noſtri præſentiam, colore eminente flavo, quo tincta fuerunt excrementa, extra Duodenum obvia omnia teſtata eſt; veſica fellea marcore ſuo multum bilis in inteſtina etiam præter eam, quæ per ſuperiora ante hæc tempora fuerat rejecta, detruſum fuiſſe & inibi captivum manſiſſe, conjiciendi dedit anſam: iſta verò cum ſuccô pancreaticô concurrens crebris fermentationis præternaturalis actibus majorem & acrimoniam & craſſitiem à ſero pituitoſo acquirere potuit: marcoris autem iſtius cauſa fuit negatus per morbi vehementiam & hinc ortam inediam, pro uberiori alimenti, remotè cibi, proximè ſanguinis ad hepar, affluxus. *Fermentativa* eſt *Bilis*, quia heterogeneis conſtat particulis. Talia autem ad fermenteſcendum ſunt apta, ut habet Williſius *diatrib. de Ferment. cap. 1.* Cùm enim in omni fermentatione adſit luctamen quoddam, neceſſariò diverſarum rerum id erit actio: quomodo enim bellum inveni-

veniretur in re unicâ & ſimpliciſſimâ? bene infert *Kergerus l.c. cap. 11. Partes bilem componentes* ſi quis exquirat, non dubitat Fr. de le Boe Sylvius *in Diſput. Medic. 6. §. 39.* aſſerere, conſtare ipſam multô ſale lixiviosô, paucâ aquâ diluto, concurrente ac intimè ipſis admiſto & oleo & ſpiritu volatili quantitate mediocri. Idem *lib. 1. Prax. cap. 46. §. 24.* hoc notat: *Quisquis bilem examinaverit, & tam cum acidis liquoribus, quàm cum ſalibus lixivis quibuscunq; confuderit, facilè capiet, bilem concurrere ad excitandam efferveſcentiam ratione ſalis lixivi, ſed multis modis in ipſa multum temperati.* Eadem Bilis in corpore alias cacochymiæ obnoxiô facilè degenerat, ſuique qualitatem corruptivam peregrinantibus per inteſtina humoribus imprimit, & quia plurimis pollet particulis activis elaſticam vim obtinentibus, facilè & fermentatur & fermentat, fermentativum motum volatilibus & urentibus ſuis particulis obviis humoribus conciliando; id quod etiam in Titio eveniſſe nobis perſuaſum manet.

*Succus* in inteſtino alter *Pancreaticus*, uti amicè cum bile conſpirando, ejus frænum, quod ſulphur eſt, ſuſtinendo, aciditatemque, ſi quam habet, in ſuavi complexu deponendo, ut ſtatus corporis naturalis conſervetur, cooperatur: ita degener, id eſt, acidus, acerbus, acris, auſterus factus, biliquè acrimonia æſtuque pollenti junctus, nocivam corpori procurat efferveſcentiam, aut inter ſe mutuò, aut etiam cum chylo, inprimis ſi hic nimis acidus, nec ritè volatiſatus fuerit, ut in hypochondriacis contingit, eam inducendo. Imò ex vitiosâ iſta efferveſcentiâ (verba ſunt D. Ettmülleri in *Annotat. Pract. ad Inſtit. ſuas Medic. Phyſiol. pag. 82.*) orti flatus, rugitus, murmura, ructus, borborigmos & ſimilia quam plurima abdominis vitia & ſymptomata inducunt; qualia v. g. in hypochondriacis, item in Paroxyſmis febrium intermittentium, item in Diarrhoeis ſunt obviæ, &c. *Pituita* egregiè ſymbolizat. Mucus enim, quo inteſtina oblinuntur, quid niſi ſerum eſt coagulatum, quod chyli ſerum in inteſtina influens auget? Hoc à dictis jam humoribus vitioſis in ſtatum elaſti-

cum & reſolutionis deductum, factioſiſſimum flatuum gignit proventum. Si *Pituita* viſcidior, inquit Bernh. Swalve *in lib. quem inſcripſit Pancreas Pancrene*, *pag. 130.* debellari ab aliis neſciat, horribilem *Flatuum* omnigeno dolore diſtendentium proventum ſcias: ac prout manſit inflicta vel *Bilis* vel *Succi Pancreatici* acrimonia, ita hanc ſurſum ac deorſum excretam non ſine tormine videas. Alias immanens ſe ſubſternit in cauſas plurimorum affectuum Colicorum, Hypochondriacorum, ſimiliumve. Et *pag. 207.* Debentur *Flatibus* tot rugitus, murmillantesque ſonitus, borborygmi, Clydones & fluctuationes; debentur tot dolores tenſivi, punctorii, tot ructus & crepitus. Agnoſcunt autem prodigioſi *Flatus* matrem, viſcoſam *pituitam* à *bile* acriore cum *Succo Pancreatico* colluctantem obſeſſa. Cauſarium Titii noſtri corpus *Pancreatico Succo* cum *Pituitâ*, quæ nunquam in ſanis & ægris deficit, abundaſſe, non ex flatuum ſolummodò præſentia, ſed & ex corrupta Meſenterii parte ad Duodenum porrecta, das daſelbſt vermodert war / quod relatio Hiſtorica indicavit, legimus: inſuper ater excrementorum in Duodeno contentorum color & ad ſiccitatem vergens eorundem conſiſtentia à bile non tantùm ſed & à Succi pancreatici ponticâ & acerbâ qualitate orta in hanc ſententiam nos trahit. Si Medicorum judicio Pancreatici Succi aciditas in cauſticam nonnunquam degenerat, quis aliam in Hiſtoriâ noſtrâ particularis illius in Meſenteriô corruptionis cauſam, quàm prænominatum ſuccum accuſabit? præſertim ſi obſcuri & nigricantis coloris autorem eundem iſtum eſſe recoluerit.

III. *Cauſa efficiens flatuum* eadem hìc fuit, quæ ſanitatis tempore coctionis debitè peractæ, *Spiritus* nimirum ſive *Archeus* proprius, ſed jam aberrans. Multi *calorem* modò intenſum, modò remiſſum & languidum, item frigus accuſant. Verùm neque *calor*, neque *frigus* tanquam cauſa flatuum primaria agnoſci poteſt, ſiquidem tantum abeſt, ut actuale & qua tale frigus excitet, ut potius eorundem materiam conſtringat, & reſolutioni ineptam reddat. *Calor* quidem *flatuum*

*tuum cauſa*, non tamen primaria, ſed *adjuvans* eſt, qui ſolo Archei dominio materiam reſolutioni aptam, humidum nimirum rarefacere conatur, quod ſi bene & plenè hoc perficit, naturalis & *fortis* dicitur: ſi verò in agendo ob fractam potentiam in commodum corporis non, ut debebat, actionem exercere poteſt, *debilis* eſt & dicitur, imò eodem nomine etiam efferatus in febribus calor venit, quia à rectitudine in agendo deviat. *Debilitari à frigore* externo internum calorem & propter hunc, Archeum ipſum, ipſe ego exemplo meo didici. Hilperhuſam enim veſtibus bene munitus iter aliquando Eques faciens ventum in via Borealem impetu & frigore mihi adverſum experior, omnes veſtimentorum aditus & rimas penetrantem. Ructuum, Borborygmorum & murmurantium ex improviſo ſurgentium in abdomine meo flatuum cum doloribus percipio ſonos. His Aquæ vitæ, quam in fundâ minore parvo vitro incluſam mecum portabam, hauſtum oppono: & ecce! protinus ſilentium hauſtus imperavit, ex quo felicem flatuum à debitâ caloris viſcerum confortatione diſcuſſionem & dolorum remiſſionem collegi. Quærenti: quorſum ergo tenderunt iſti in inteſtinis oberrantes flatus? quam viam legeruut? Dico, aqueum in ſeri inteſtinis inhærentis à debili calore reſolutum flatus conſtituiſſe non craſſos, ſed tenues, quos calor à medicamentô confortatus per poros membranarum inteſtinalium profligando diſcuſſit. Poris membranas iſtas eſſe præditas earum perſpicuitas, raritas, & ut dilatari patiantur, facilitas docet: absque iſtis enim ſi eſſet, neque dilatari neque conſtringi poſſent membranæ, ut propterea neque denſitas aliàs inteſtinis attributa obſtet, cùm & denſo & raro poros ineſſe Philoſophantium chorus affirmet.

Calorem equidem ad Flatuum in Titio ortum concurriſſe aſſerenti non repugnabo, modo eundem ſolum omnem paginam hìc abſolviſſe, & eminentiorem cauſam præter calorem adfuiſſe largiatur, fermentationem nimirum non tantum ad inteſtina tendentium, ſed & commorantium ibi hu-

morum præternaturalem, quæ etiam maſſam ſanguineam in tumultum egerit. *Fermentationem* in cavis Titii viſceribus regnaſſe, temporaria & viſibilis, inteſtinorum, præcipuè Coli turgeſcentia in Hiſtoriâ notata, prodidit: ſiquidem nulla fit fermentatio ſine expanſione & turgeſcentiâ, Kergero *de Fermentat. Sect. 1. cap. 9. & Sect. 3. cap. 3.* ita diſſerente. Humidum enim illud aqueum, quod flatibus ineſt, reſolutioni in fermentationis negotio ſubjectum aëris craſſi naturam induit: aëri autem cùm recentiorum, ritè philoſophantium calculo, competat attenuatio & dilatatio, compreſſio & agitatio, & quidem ſecundùm gradus varios varia, idem pro diverſitate caloris in corpore humano, jam excedentis, jam remittentis, ſive interni, ſive externi evenire, & ſub tegmine communi ſchemata in inteſtinis ob ebullientium flatuum varietatem varia figurari rationi congruum manet: ſicuti in thermoſcopiis aêrem conſtringendo ſe & minorem locum occupando, aquam ſurſum metu vacui rapere, & extendendo ſe eandem dimittere oculis patet. Caloris autem jam exuperantis, jam deficientis viciſſitudines in corpore variis morborum tædiis, præcipuè particularibus vaſorum obſtructionibus exercito, ſuperiorum influxu tacitè nonnunquam concurrente, facilè oboriri, mihi perſuadeo. Quæ autem de *Flatuum* à *calore debili* ortu diximus, habito ad ſubjectum Hiſtoriæ noſtræ reſpectu propoſuimus, propterea *nec abſolutè* intellecta volumus, quaſi flatus ſemper ſint effectus & proles caloris debilis: hoc enim authoritatibus & experientiæ omninò refragari, Excell. Dn. D. Bruno *in notis ad Jeſſen. de Sangu. V. S. dimiſſo pag. 195.* probat: neque abſolutè de causâ affectûs, quo Titius laboravit, nimirum fermentationis & inde ortorum flatuum procatharticâ loquimur, quæ in genere ſpectata ex indole ſua cauſam antecedentem in corpore movet, & ut cauſæ proximæ naturam induat, occaſionem præbet: ea cùm *Ira* fuerit, ejus non in omni flatuum productione præſentiam requiri, ultrò patet.

Inter ſummè nociva pathemata *Ira* primum tenet locum, quæ juxta Zenonis apud Plutarchum *de ira conducenda* τῶν

παθῶν

παθῶν πανσπερμία audit, qua, quod vehementiùs humores cieat, nihil eſt, datô præſertim ex improviſo jam ante turbatæ menti objectô, ignominiæ & damni ſpecie ingrato, id quod ſibi contigiſſe, indeque abdominis tumorem ſucceſſivè increſcentem, morborumque, quorum fatalitatem præſenſit, ſeriem manaſſe Titii querela fuit crebra. Quanta autem excandeſcentia in commovendis humoribus vis ſit & efficacia, aliquot exemplis ex irâ mortuorum confirmatum apud Camerarium *memorabil. Medic. cent. 10. §. 52.* legas, & ex mirô hoc, quod Dn. D. Libavius *de cruent. cadav. pag. 302.* de quodam arthritico, quem novit, adducit, qui, cùm egredi non valeret, nec crura movere, concitatus tamen irâ crura extendit, & ad offendentem uxorem per medium ſolus cubiculum percurrit. *Ira ſpeciatim ſtimulat & fermentat bilem, inq; gas elaſticum citat, inde promptiſſimè in aliis epilepſia, in fœminis affectus hyſterici & ſpasmodici, in aliis diarrhœæ, febres, phthiſis, vomitus &c. oriuntur.* Ita Dn. D. Wedelius *loc. cit. Patholog. p. 318.* Conferantur, ſi placet, Hiſtoriæ noſtræ gratia, quæ de Fermento naturali, non naturali & præternaturali inteſtinorum idem in *Propempt. inaug. Ann 84. edito*, verba fecit. Tortores itaque Titius habuit inteſtinos Flatus variis modis eum excruciantes; ſiti præſertim, doloribus & caloribus internis, ne de vomitu, alvi obſtructione, cordis anxietate, de ventriculi ob anguſtiam, cibi etiam deſiderati nihil vel parum admittentis, indignatione. Inflammationis & Gangrænoſæ diſpoſitionis funeſti mali veſtigia paſſim exhibuerunt inteſtina, iliacis doloribus non minus ac colicis laborantibus non rara, ſicut & D. D. Pechlinus *loc. cit.* vix quenquam ex ejusmodi dolore (iliaco) occubuiſſe advertit, cui non ſimul inflammatio inteſtinorum, ſtagnante nimirum ob tenſionem in capillaribus ſanguine, contigerit. Cauſarum hactenus enarratarum in Ægri noſtri corpore varietas dolorum, non uni, ſed variis, idem fuiſſe ſubjectum ſpeciebus, nemo non poteſt intelligere; *Speciales Dolorum* differentias, quas index Sylvii Praxi adjectus & D. Etmüllerus in Praxi ſua, ſub denario numero

mero ſiſtunt, ſubjecto noſtro applicare ſuperſedemus. *Lienem* præterire nolumus. Solito in humanô genere minor cum Titii lien fuerit, officia hunc debita non ad leges naturæ perfectè exercere, neque ſanguinem plusquam perfectum reddere potuiſſe, vel ex hoc ſatis inclaruit, quod ad genium Melancholicorum ſuo ſenſu, qui ſingularis ferè ſemper, & obſtinatus ſæpe fuit, aliorum monitis ſanis raro locum concedens, abundaverit. Agilitas tamen corporis in ſanitatis ſtatu ſatis carnoſi & habilis, ex crebrô in provinciam ad prædium ſuum excurſu, nullâ lienis culpâ impedito, fuit obſervata. Colicis quidem doloribus, ſine dubio etiam iliacis, eodem in ſtatu nonnunquam fuiſſe correptum, domeſtici retulerunt, quibus tamen ſpecifico quodam ſibi familiari remedio medelam attulerit. Ex *Urinâ rubicundâ* cum quadam pelluciditate mihi ante acceſſum miſsâ prognoſticum malum me formaſſe Hiſtoria refert. Cauſam hìc expono. Colorem enim iſtum deberi Sali & Sulphuri plus ſolito in maſsâ ſanguineâ aduſtis ſeroque largiùs incoctis intellexi, ipſaque viſcera de tono ſuo dejecta, ex hoc & ſignorum aliorum contextu amplo, non meâ ſolum, ſed & aliorum experientia fretus, prædixi. Succurrit eo tempore, quæ Dn. D. Wedelius Diſſert. Medic. *de Urinar. ſignif. cap. 5.* annotavit. *In hydropicis*, ait, *quando viſcera jam ſic ſatis ſunt de tonô ſuo dejecta & à lixiviosô ſerô corrupta, vel ſcirrhoſa quoque; ſolent præbere urinas rubras craſſas, ubi magis conveniunt nitroſa, arcanum duplicatum Mynſichti & alia temperata; raro tamen tunc evadunt; unde ſi hydropicus urinam albam offerat, melior ſpes erit concipienda. Rubra verò & pauca in hydropicis peſſima eſt.* Hoc Viri Experientiſſimi monito, quaſi tacitè impulſus præſcripſi Clinico arcanum duplicatum duobus aliis, quorum abſorbens unum, alterum ſtimulans fuit, junctum, quod variè per ſudores, ſedes, & interdum etiam ſomnum facere Mynſichtus, tradit: D. Ettmüllerus *Chimiæ ration. & experim. lib. 1. c. 9.* ut optimum in affectibus chronicis, in febribus intermittentibus & ſcorbuto, item ut egregium ſtomachicum commendat.

Præſcripſi autem manu dubiâ, certum ex eo poſt tanta pertinacis obſtructionis tædia beneficium non exſpectans, nec ſucceſſum ullum; quem nihilominus nitroſa medicamenti vis promovit, fluxilem in inteſtinis reddendo amurcam, & hac ratione tum ad excretionem faciliorem materiam diſponendo, tum inteſtina ad excernendum ſtimulando. Effectus hic laudabilis quidem, ſed ſerò ortus, longioris vitæ beneficium procurare neſcivit, medentem tamen hoc docuit, non depravatum fuiſſe in Titio inteſtinalium fibrarum motum Iliacæ paſſionis in ſenſu rigido (aliis alio) nomine venientem, quæ cum moleſtiſſima fecum per vomitum fit rejectione. Tali enim fibrarum ſtatu ſemel p. n. orto, in ordinem priorem redigi, &, ut memores excretionis per inferiora rurſus fiant, vix eædem compelli queunt. Maturior vitæ quâm voti finis, cauſarum ignaris adeſt. Herniâ, qua Clinicum noſtrum laborâſſe αὐτοψία docuit, iliacam paſſionem inferri potuiſſe, experientiæ equidem ſuffragio conſtat: verùm cùm facilis inteſtinorum è ſede indecente fuerit poſt fata retractio, & excrementorum datô prædictô remediô excluſio, infarctum eorundem leviorem fibras ad inverſum motum non diſpoſuiſſe, atque obſtructionis præcedentis pertinaciam etiam à contorſione & oppreſſione in loco incarceratorum inteſtinorum ab alio, excrementorum & flatuum mole tumido ab expreſſorum concurrente ſimul causâ convulſionem inferente, oriri potuiſſe ſuſpicor. Tantum in rationem Status, quem vocatus in Titio vivo & mortuo, ego deprehendi, commentari placuit: pluribus & forſan accuratioribus, ſiq; à conſiliis ipſi mox ab initio adfuiſſem, & omnia oculis uſurpare mihi præſenti licuiſſet, majori ſolertiâ hæc potuiſſe tradi, lubens fateor.

*[Coburgo Noribergam allata Calend. Septembr. 1692.]*

# OBSERVATIO CCV.
## D. JOHANNIS PAULI WURFFBAINII.
*De*
## Maritorum vomitu, dentiumq́ue dolore loco Conjugum utero gerentium.

UTut Primeroſius de Errorib. Vulgi in Medicin. Lib. II. Cap. XIII. Viros, gravidarum ſuarum conjugum loco nonnunquam ægrotare, inter errores maximè ridendos numeret, & nullibi terrarum quàm in Anglia hoc obſervatum ſe audiviſſe aut legiſſe ſcribat, rei tamen hujus veritas quotidiana etiam in Germania noſtra confirmatur experientia; quod duplici hâc vice Exemplo mihi notiſſimo demonſtrare ſufficiat. Medicus quidam Civitatis noſtræ Expertiſſimus, Collega dum viveret, amiciſſimus, ante biennium demum piè defunctus, quoties ex amplexu conjugali Conjux ejus nunc relicta adhuc in vivis vidua conceperat, toties beatiſſimus Collega, prout hoc publicè non unâ vice in Dnn. Collegarum adhuc ſuperſtitum præſentia non modò enarravit, ſed & ſanctè affirmavit, primis ingravidationis menſibus, ſingulis mane diebus, moleſtiſſimo ac vehementiſſimo conatu, limpidiſſimam evomebat lympham, dilectiſſima ſua conjuge nequicquam de familiaribus utplurimum aliàs gravidarum ſymptomatibus ſentiente. Eandem ferè ſortem Theologus apud noſtrates, Eruditione, doctrinâ, vitæque pietate haud leviter ſe commendans, expertus eſt, qui aliquot liberorum pater, usque dum Conjux ejus primos fœtûs ſenſerat motus, dentium dolore ſemper fuit vexatus, reliquo tempore à dolorifico hoc ſymptomate vel planè liber, vel rarius, nec tam continua temporis ſerie afflictus.

OBSER-

## OBSERVATIO CCVI.
## D. JOHANNIS PAULI WURFFBAINII.
*De*
# Folio Lactucæ monſtroſo.

ABerrare haud rarò naturam à conſueta ſua ſemita, ſic & in vegetabilibus quoque proferre monſtra, non una Ephemeridibus hisce Academicis inſerta probavit Obſervatio, quibus & hanc meam de Lactucæ folio, pauciſſimis addam: Occupata verò erat Ancilla mea Lactucæ ad cœnam præparatione, & à ſordibus hunc in finem repurgatione, cum incidiſſet fortè fortuna in folium ejus monſtroſum, è cujus ferè medio ſat longo petiolo pendulus enatus erat flos, ejusdem cum folio coloris, caliciformis tamen, quem facilius in appicta figura delineare, quàm verbis tantùm exprimere atq; deſcribere licet.

Fig. XXVI.

## OBSERVATIO CCVII.
## D. LUCÆ SCHRöCKII, Luc. fil.
*De*
# Fungulis minimis ſeminiferis.

QUamvis actum agere videri queam, dum Fungum iſtum parvulum ſeminiferum, jam à Nobil. *Dn. D. Günth. Chriſtoph. Schelhammero Ephem. harum Dec. II. Ann. VI. obſ. 110.* & Excell. *Dn. D. Rudolph. Jacobo Camerario Ann. VII. obſ. 156.* (præter Ill. *Dn. D. Chriſtian. Mentzelium* in *Indic. plant. triling. Pugill. rarior. plantar.* & poſtea Cl. *Dn. Joh Rajum hiſt. plant. Tom. 1. pag. 105.*) prolixè deſcriptum denuò proponere audeo; cùm tamen nonnulla ſingularia

circa eundem nuper obſervaverim, hæc quoque addidiſſe, Curioſis noſtris fortè non diſplicebit. Duæ autem hujus Species mihi ſeſe obtulerunt. Unam quidem ab Amico & Adfini æſtimatiſſimo, Nobiliſs. atque Conſultiſs. *Dn. D. Chriſtoph. Jacobo Laubero*, JC. & Conſiliario Reipubl. Auguſtanæ meritiſſimo, ante biennium obtinui; Cui uti plantarum aliarumque rerum naturalium curioſâ cognitione graviores curas demulcere volupe eſt: ita & hanc quoque exiguam obſcuramque terræ ſobolem, ceu hactenus minus cognitam, eò lubentius mihi communicavit. Ejus autem locum natalem ibidem, uti priores indicati funguli, ligneas tabellas fuiſſe retulit; quin & figuram eandem, pyriformem nempe, coloremque externè terreum, cinericeum internè hic fungulus oſtendit; in cujus cavitate, & quidem ejusdem parte inferiore, poſtquam per maturitatem capitulum ſe aperuit, fungulo ſic calicis formam induente, duodeviginti utplurimum minutula ſemina, quorum unum fundo, reliqua lateribus circumcirca per craſſam ex plurimis filamentis viſcidiſſimis conſtantem pediculum, qui ex medio ejus corpore emergit, alligantur, ſe conſpicienda ſiſtunt; ipſe verò ſtriato corpore præditus eſt, ſulcis plurimis per longitudinem excurrentibus, in ſummitate autem laciniis quaſi coronâ ornatus, quæ laciniæ ſunt tunicæ exterioris extremitates; ſiquidem is ex quatuor tunicis componitur, primâ illâ exteriori muſcoſâ, mediâ fungoſâ, interiori duplici membranaceâ exſiſtente; ipſam ejus integri figuram *num. XXVII.* & diſſecti *num. XXVIII.* videndam exhibeo.

Altera Species hoc Anno itidem ad latera arculæ ligneæ, ſeminum quorundam germinationi in terra jam per biennium ibi recondita deſtinatæ, & quidem qua Solis radios rariores, vel nullos admiſit, primo verno tempore copioſè propullulavit, nec adhuc, adultâ jam æſtate prodire ceſſat: Hæc colore itidem externè terreo, paulò tamen dilutiore, internè verò cinericeo pollet, figurâ itidem primò pyrum, ceu *num. XXIX.* oſtendit, refert, poſtea lateribus ſeſe paulatim amplian-

tibus,


Fig. 26.
pag. 411.
num. 28.
num. 32.
num. 33.
num. 31.
num. 30.
num. 27.
num. 29.
pag. 412.

tibus, ſuperiori parte ſenſim attenuatur atque in pelliculam albicantem abit, quæ poſt aliquot dies ſponte disrumpitur, limbo ſe poſtea magis ampliante, ut figuram campanulæ ſeminibus plenæ, prout ab Ill. *D. Mentzelio Tab. 6. Pug. rar. plant.* delineata fuit, & hîc *num. XXXII.* & *XXXIII.* repræſentatur, eleganter referat. Prout autem in priori Specie ſulci per longitudinem excurrunt: ita in hacce mera intus viſitur glabrities, ſic tamen ut orbiculares quædam lineæ in eadem compareant. Subſtantiam ipſam itidem, ut in priori ſpecie, in quatuor membranulas dividere mihi licuit, quarum extima muſcoſa eſt, intima tenuis, inque duas pelliculas diviſibilis, media craſſior & poroſa vel ſpongioſa. Semina cum ſplendore nonnihil albicant, dum recentia ſunt, præterea turgidula adparent, & lenticulam figurâ, circumferentiâ nempe rotundâ, omninò referunt, non magnitudine, qua interdum vix medietatem ejus attingunt; ſed exſiccata fiunt compreſſa & colore ad fuſcum inclinant: in medio vel centro alterutrius lateris cavitatem habent, ex qua cauliculus vel protuberantia alba viſcoſa, in ipſam ſeminis medullam implantata, & Microſcopii fide ex multis pertenuibus, albis filamentis conflata prominet, in quam tenuiſſimus funiculus ex fungi latere enatus inſeritur; cujus ope non ipſi funguli fundo, ſecus ac in Exc. *D. Schelhammeri* fungulis accidit, ſed lateribus ſeparatim & inordinatè ſemina denarium numerum complentia vel etiam ad 12. 15. usque excedentia adnectuntur, ceu id figura *num. XXX.* monſtrat. Hæc ſeminum configuratio facilè mibi perſuaſiſſet, Nucem vomicam, ſeminibus noſtris ſatis ſimilem, pariter, quod olim fuit creditum, eſſe fungum, niſi recentiorum ſcriptorum fide, ceu præter *Hortum Malabaricum*, à *D. Paulo Ammanno* in *Prax. vuln. leth. pag. 258.* citatum, ex *Laboratorio Ceylonico Bartholomæi Pielat* diſcitur, (Conf. etiam *Antonii de Heyde cent. obſerv. 50. & 53.*) fructum arboris lignum colubrinum ſuppeditantis eſſe conſtaret. Noſtra autem ſeminula ex calice à vento vel alia occaſione ſi fuerunt

excuſſa, quod ob funiculi illius ſummam tenuitatem faciliſmè contingit, iſta protuberantia alba viſcoſa ſi radiculas obvias habuerit aut lignum offendat, ſeſe ibi firmiter, atque interdum etiam in membranam tenuiſſimam ſe una dilatans (cujus ſpecimen *Fig. num. XXXI.* ſiſtitur) adglutinat, quaſi radices ibidem actura, quamvis has adquiſiviſſe deprehendere hactenus non potuerim. Obvolvuntur eadem (id quod etiam in prioris Funguli ſeminibus obſervavi) tenui membranulâ, ex innumeris fibrillis contextâ, quæ ſine difficultate detrahi poteſt, ſub qua craſſior & durior alia, nigricans occurrit, quæ cum medulla arctiſſimè cohæret, & vix cultelli acie abradi interdum à me potuit; ipſa medulla exterius albicat, interius paulò obſcurioris eſt coloris, atque in medio quaſi rimam oſtendit, unde eam in duas partes dividi poſſe, mihi primò videbatur, quod tamen impetrare haud potui, ut ita plantulæ alicujus rudimentum fruſtra ibi quæſiverim, atque funguli hujus primordia utrùm ex hoc corpuſculo ſemen æmulante ſperare liceat, valde dubitem; qui ſanè illud variè tractando nihil obtinui; quod etiam Exc. *D. Camerario* contigiſſe, ipſe *loc. cit.* refert. Meos etiam fungulos ex ſemine non prodiiſſe plusquam certum eſt, qui eos à minimo principio oriri conſpexi; ubi enim in ciſtula lignea albicantem mucum vel ſitum inveni, ibidem parvulos, rotundos fungillos microſcopii ſubſidio detexi, qui dein paulatim incrementum ſumentes, poſt aliquot dies nudis etiam oculis ſe videndos dederunt. Radiculas non tantùm inter ligni ſemiputridi, cui videlicet adhærent, fibras altè infigunt, ſed per terram quoque vicinam copioſè dimittunt, albicantes, ſed cortice terrei coloris obtectas; in quibus hoc ſingulare notavi, quod plurimas hæ patiantur anaſtomoſes, quarum aliquot *Figuræ num. XXXII.* & *XXXIII.* oſtendunt; quamvis multò plures radiculas habuerint iſti delineati funguli, quarum nempe pars ob magnam illarum ſubtilitatem, & quod aliis radicibus intricatæ fuerint, quò minùs diſrumperetur, præcavere haud potui.

potui. Unde jam conjecturari mihi liceat, cum iſti funguli ex ligno putreſcente & huic innato ſitu vel muco ortum trahant, quod ex ipſius ligni humore nutritio viſcoſo vel reſinoſo, qualem nempe ciſtulæ illæ ex ligno abiegno vel pinaſtri conflatæ, continent, dum is ex disruptis canaliculis exſudat, enaſcantur; atque ita aliquam cum verrucarum in corpore humano generatione adfinitatem haberent. Eſſe autem ſuccum aliquem viſcoſum vegetantem, vel ex eo etiam magis probabile redderetur, ſi artificialis fungorum productio, ab Autoribus paſſim deſcripta, ſuccederet, qua fungorum decoctum vel ſuccum expreſſum radicibus arborum vel terræ adſperſum ſimiles progignere fungos innuunt. Conf. Celeb. *D. Marc. Malpighius Anat. plantar. part. 2. in fine tract. de plantis quæ in aliis vegetant.*

Fig. XXVII. XXVIII. XXIX. XXX. XXXI. XXXII. XXXIII.

OBSER-

## OBSERVATIO CCVIII.

## D. LUCÆ SCHRöCKII, Luc. fil.

*De*

# Fixatione Salium volatilium urinoſorum.

QUibus modis Salium urinoſorum volatilium fixationem aliqui moliti fuerint, ſatis equidem notum eſt; artificioſi verò cujusdam modi mentionem cum fecerim in mea *Pharmacopœia Auguſt. reſtitut. pag. 274.* paucis jam de eo quædam proferre lubet. Ejusdem autorem magni nominis Chimiatrum indigitari, isque eſt plurimis notiſſimus *Dn. D. Jacobus Barnerus*, qui ipſe etiam hujus operationis in Libello *de ſpiritu vini ſine acido pag. 30.* meminit. Hanc magni quidem cum ipſo Domino Autore primùm feciſſe me haud diffiteor, vileſcere tamen poſtea apud me cœpit, non quòd fixitatem nullam ſalibus volatilibus ſic accedere dubitarem, ſed quòd non ea, qua priùs credebamus, ratione eam ſuccedere, i. e. non à Spiritu vini eadem figi, nec firmam adeò adeſſe fixationem animadverterem. Quo ipſo quidem *Dn. Barnerum* temerè redarguere neutiquam intendo, cujus cineres ſcientiamque haud vulgarem chimicam adhucdum veneror, ſed tantùm Curioſis, quid ſub iſto ſecreto artificio lateat, quod multi olim ſcire deſiderarunt, oſtendo. Fundamentum hujus operationis conſiſtit in decantata illa Spiritus vini ab urinæ ſpiritu coagulatione, qua nempe coagulum hoc ſalinum, ſi à liquore ſeparatum, vel etiam poſt inſtitutam in leni calore ſolutionem in cryſtallos poſtea redactum, leniſſimè exſiccetur, ſal quodammodo fixum largitur. Quâ ratione etiam loco ſimplicis ſpiritus vini ſumendo abſinthii, aniſi &c. Spiritum, & dein cum urinæ, cornu cervi, ſalis ammoniaci vel ſimili ſpiritu miſcendo,

ſcendo, Salia compoſita, amaro, dulci &c. ſapore imbuta impetrantur. Uti verò hæc coagulatio dictorum Spirituum nulla eſt, vel ſaltem non talis, qualem vulgò ſibi, inprimis *Joh. Bapt. Helmontius cap. 3. de lithias. §. 5.* imaginati quondam fuerant, & revera tantùm ſalis urinæ, cornu cervi, ammoniaci &c. coagulum obtinetur, dum phlegma eorum Spiritui vini ſe immiſcuit, id quod optimè Exc. *Dn. D. Georg. Wolffg. Wedelius* in *Pharmac. in art. form. red. pag. 201. 202.* aliisque in Scriptis ſuis demonſtravit: ita ipſa quoque exin deducta fixatio locum non invenit. Negari equidem nequit, quasdam ſpirituum vinoſorum particulas in illo Sale coagulato urinoſo abſcondi, & quaſi captivas detineri; ſiquidem, ut de ſapore, v. g. amaricante ex abſinthii ſpiritu, reſiduo nil dicam, ſalium etiam iſtorum forma cryſtallina à particulis tum ſpiritus vinoſi, tum urinoſi phlegmaticis, unà concoagulatis exoritur; prout nullam ſalium fieri poſſe cryſtalliſationem egregiè oſtendit Nob. *Dn. D. Joh. Bohnius Diſſert. chim. phyſ. 1. §. 23. Diſſ. 5. §. 1.* & *Diſſ. 13. §. 25.* niſi aqueæ partes acceſſerint, hoc tamen in loco attendi iſta non merentur. Quidquid autem ſit, Sal ejusmodi coagulatum, ſi exſiccatum aëri exponatur, ſæpius per longum temporis ſpatium remanere, nec avolare, quin nares quoque odore ſuo ampliùs non ferire, ſicque revera fixum eſſe redditum obſervamus. Illud tamen neutiquam Spiritui vini in eo latitanti, ſed ipſi ſali urinoſo ab aqueis liquidisve particulis quoad ſuperficiem ſuam liberato debetur; ſiquidem & idem in cryſtallis urinoſis per ſe & ſine Spiritu vini concretis, aut etiam in ſale ipſo in pulverem redacto ſuccedere videmus. Ut ita in aëre potiùs iſtam fixandi vim quærendam eſſe videri poſſet; cujus rei in *citata mea Pharmacopœia pag. 272.* etiam mentionem feci; mediante ſcilicet aëre, ubi pars aliqua ſalis volatilis auras petat, reliquum verò fixum remaneat, idem quosdam moliri innuens. Verùm neque aëri hoc negotium competit, cum etiam in

leni calore, (non fortiori, quo penitus in auras diſpelleretur) vel ſimplici in charta bibula exſiccatione, idem obtineri queat. Unde multò minùs ab acidulis moleculis per aërem oberrantibus fieri credibile eſt; præſertim quia inſuper humoris aquei additione, aut ſaltem aêris humidioris admiſſione ſal hoc fixum ſtatim volatilem reinduit naturam, atque non tantùm nares odore ſuo ferit, ſed oculis quoque, exhalando, ſeſe ſubducit. Hæc fixandi ratio quamvis pauló pretioſior ſit, quàm quæ vulgò cum ſpiritibus acidis inſtituitur, ſiquidem in iſta aêri expoſitione tertia vel quarta pars ſalis, prout nempe magis minusve humidum illud eſt, diſperditur, vires tamen ſuas, ſecus ac in altero illo modo contingit, Sal hoc retinet, atque ita, modò nullus atomis humidis ingreſſus, quem nempe humidum aërem, uti fixa quoque alcalia, promtè admittit, ſicq; facilè dein aqueis his alis inſtructum avolat, concedatur, diutiſſimè adſervari poteſt.



BRITISH MUSEUM
NATURAL HISTORY.

# ADDENDA

## Ad Decuriæ hujus II. Anni V. Obſerv. LXXVI.

*Embryi intra uterum mortui & conquaſſati effigies monſtrum præ ſe ferens.*

1.1.1.1. Tibia & fibula decuſſatim laxata.

2. 2. Palpebræ exſiccatæ extortæ, quas vulgus auribus monſtroſis adnumerabat.

3. 3. Pili erecti, longiores hoc loco, quamvis per totius corporis cuticulam lanugo ſparſa eſſet.


4. 4. Auricularum exſiccatarum ſpecies.

### *Ad Decur. II. Ann. ult. Obſ. I.*

De

## Cultrivoro Halenſi Saxonico.

CUm ad finem properarent Typographi in excudendis hujus anni Ephemeridibus operæ, ampliorem de Cultrivoro Halenſi Saxonico relationem mittit Exc. Dn. D. Krugius. Ex cujus ad Aca-



demiæ Præſidem literis ſequentia haut ab re erit excerpere.

Ipſe quidem cultellus die 11. Auguſti ex abdomine protractus fuit ſolerti Medicorum & Chirurgorum diligentia. Cum enim trium præter propter digitorum intervallo infra cordis ſcrobiculum, quem vocant, apoſtema protumuiſſet in abdomine, iſtud ubi ad maturitatem perveniſſet, lanceola fuit apertum, apparuitq; protinus cum effluente pure cultelli cuſpis, quæ ne retrò ageretur, alligato filo fuit firmata, vulnusq; paullò amplius diductum, donec protinus extraheretur, nullo aut ſaltem exiguo cum dolore cultrivoracis pueri. Inventum ſic fuit manubrium cultelli, quod ex cervino cornu paratum fuerat, penitus corroſum ab acidis propinatis; ipſum etiam ferrũ aterrima mucagine obductum, ad omnes dimenſiones conſumptum apparuit, ita quidem, ut cum duarum præter propter unciarum pondus habuerit, antequam deglutiretur, nunc vix tres drachmas penderet. Quæ nunc porrò obſervabuntur in perſanatione vulneris, pueriq; in priſtinam ſanitatem reſtitutione, cujus ſpem indubiam concepere Medici, ea inpoſterum curioſo & ſagaci calamo Exc. D. D. Krugii accuratè deſignabuntur, quò avidos veritatis & ſcientiæ lectores remittimus.

# APPENDIX
## *AD*
# ANNUM DECIMUM
## DECURIÆ II.
# EPHEMERIDUM
## MEDICO-PHYSICARUM
## NATURÆ CURIOSORUM
in Germania.

---

*NORIMBERGÆ,*
ANNO M DC XCII.

# CONTENTA APPENDICIS.

1. D. Michaëlis Bernhardi Valentini Diſſertatio Epiſtolica de Conſuetudine altera Natura, ad Perilluſtrem Dn. Joh. Georgium Volkamerum, Acad. Cæſareo-Leopoldinæ Naturæ Curioſorum Præſidem.

2. Dn. Joh. Chriſtophori Sturmii Prof. Publ. Altdorffini Stricturarum in Anton. Vincentii Majoli Aſſertiones Hypotheſios Galenicæ, Continuatio.

3. Cl. Joh. Coſmi Bonomi Obſervationes circa humani Corporis Teredinem, ad Illuſtriſs. Dn. Franciſcum Redum Italico ſermone conſcriptæ, nunc à Joſepho Lanzono Latinitate donatæ.

4. Dn. Lic. Roſini Lentilii Parallelismus ad Obſervationes in Anno I. Decur. I. Ephem. Curioſ. contentas.

5. D. Davidis Reichii Medicina Univerſalis, Menſtruo Catholico & labore Herculeo quærenda, cui inſerta eſt hiſtoria de quibusdam Lapidibus curioſis.

6. Dn. Bernhardi Ramazzini in Mutinenſi Lyceo Medicinæ Profeſſoris Diſſertatio II. de Conſtitutione Anni M DC LXXXXI. ad Illuſtr. Virum Dn. Guilielmum Godofredum Leibnizium, Sereniſs. Erneſti Auguſti Lüneburg. & Brunſuic. Ducis Hiſtoriographum & Conſiliarium.

7. Dn.

7. Dn. Lic. Roſini Lentilii Phyſici Reip. Nordlingenſis Curlandiæ quædam memorabilia.

8. D. Thomæ Sydenham Proceſſus integri in Morbis ferè omnibus curandis.

9. D. Joh. Matthiæ Fabri Sereniſs. Würtenberg. Ducis Archiatri & Civitatis Heilbronnenſis Medici ordinarii Pilæ Marinæ Anatome Botanologica.

10. D. Friderici Wilhelmi Clauderi Memoria Clauderiana.

# MICHAELIS BERNHARDI VALENTINI

# DISSERTATIO EPISTOLICA

## DE

# CONSUETUDINE ALTERA NATURA.

Ad

*PER-ILLUSTREM DOMINUM*

DN. JOH. GEORG. VOLCKAMERUM,

S. C. M. Medicum, Com. Pal. Nobilem, Acad. Germ. Cur. Præſidem, Recup. in Ital. Colleg. & Coll. Med. Noriberg. Seniorem Graviſſimum.

---

NORIBERGÆ,

*ANNO M. DC. XCII.*

# Magnifice Domine Præſes,
## Senex Venerande.

PEccavero dubio procul in ſuetas amicitæ leges, quòd nullum uſque ſpecimen ediderim, quô dudum tibi debitam à me obſervantiam in publicum conteſtarer: Aſt dabis aliquid Germanorum *conſuetudini*, qui, quod ſemel ſtatuendum, diu ante in deliberationem vocare ſolent. Licet enim ab eô, quo, variis hinc inde caſibus exercitus, in Patriô ſolo pedem fixi tempore, nunquam non animo id ipſum volverim, malui tamen tacitâ piâque recordatione commodum Tuoque Genio non indignum præſtolari argumentum; donec ipſa *Conſuetudo* aurem mihi vellicaverit, & ut mori laudatiſſimo, quo ſcriptis invicem literis ſe literati venerantur, morem gererem, tandem admonuerit: Cui prolixiori hîc ſilentiô obſtrepere, piaculo mihi duxi; Quis enim eluderet ejus vim & efficaciam, quæ in omni vitæ genere adeò partes ſuas agit, ut neſciam quam Tyrannidem illi vulgò tribuant. *Conſuetudo* Equidem à teneris ſtatim unguiculis violentiam ſuam exercet, à quibus ut aſueſcere multum eſt, ita ingenio non minus quàm annis etiam adultis parcere neſcit, quùm omnes ferè artes & ſcientiæ inevitabili huic *conſuetudinis* jugo ſint ſubjectæ. Quantum enim negotii faceſſat conſcientiis tenerioribus ſueta peccandi libido, illud in SS. Theologiæ ſtudio neutiquàm ignotum erit iis, qui vel mediocriter in caſibus conſcientiæ enodandis ſunt verſati; & quantæ non efficaciæ ſunt in Forô conſuetudines, quæ ceu jura non ſcripta communi quoque juri derogare valent, De ſummis

mis verò ejus viribus in rebus Medicis, non eſt ut multa proferam, quùm non tantùm *Galenus* ſuo jamdum tempore, ſed & BARTHOLINUS, BRUNO aliique eaſdem ex condictô, demonſtrârint. De cauſis ſaltem hujus rei haud inutilem quis diſquiſitionem inſtituere poſſet, circa quas haud minima videtur eſſe ea, quòd conſuetudo ſit altera natura, & ad inſtar hujus (ſi dicere fas eſt) ſui conſervationem intendat. Qua verò ratione id fiat & quomodo conſuetudo Vicaria ſit Naturæ, à Nemine quod ſciam ex Profeſſo expeditum eſt; Quamobrem haud ægrè feres, *Vir Celebratiſſime*, ſi tribus ſaltem verbis hoc argumenti Genus proſequar & quid ſibi velit tritiſſimum Philoſophorum axioma, brevibus enucleem cùm exinde multum lucis fœnerari poſſimus rebus Medicis, ab aliis aut obiter attactis, aut ob difficultates ſubterverſantes prorſus derelictis.

In eô verò *conſuetudo* tanquam *altera natura* coincidit cum Inſtinctu Naturæ, quod in Regno Animali præcipuè ſit conſpicua; Quæ enim vel ruricolæ vel metallurgi de *Terra ſoliq́ue conſuetudine* ſæpe garriunt das Erdreich ſey zu dieſen oder jenen Gewächſen nicht gewohnet / cùm non quævis ferat omnia tellus, illud elegantius ad mechanicam pororum conſtitutionem externiq; caloris influxum refertur, quàm naturæ conſuetudinem. Hæc enim propriè loquendo à principiô motûs intrinſeco dependet, ut ipſa natura cui ſororiâ quaſi cognatione jungitur, adeoq; in homine potiſſimum & brutis eſt conſpicua. Conſuetudo enim eſt, qua bruta & ferina & domeſtica homini ſenſim aſveſiunt, inter quæ priora tamen indolis ſuæ adeo non obliviſcuntur. Ut natura ſæpe conſuetudini prævaleat, eaque ad fugam inſtiget. Novi enim *Vulpium & Luporum catulos* in Magnatum aulis educatos, & ut videri poterant, ad ſummam manſuetudinem cicuratos facilè recidivam paſſos eſſe & data commoditate non ſine ſpoliis & furtô clam ſe ſubduxiſſe. Novi pariter teneros admodum *perdicum* pullos à Gallinis domeſticis enutritos illisque

liſque aliquantiſper aſuetos, agmine poſt facto avolaſſe, ut vel inde videamus inſtinctũ Naturæ, majores obtinere vires, quem licet expellas furcâ, tamen uſque recurret: Quod ſi verò is ſive adjuvet ſive facilitet conſuetudinem, non poteſt non junctis Naturæ utriusque viribus altiores in brutorum actionibus radices agere. Hâc enim ratione bruta ſive præmiis inhiando ſive pœnas evitando *artes* varias addiſcunt, tam *œconomicas* quàm *athleticas*: Ita, quippe canes apportandis è macello carnibus ſolent aſvefieri, quas pendentibus de collo corbibus ſæpe domum ferunt incolumes, modo caveatur, ne viſum illorum feriant ipſisque ſalivam moveant. Facilè enim fieri ſolet, ut dum Objecta movent ſenſus, artium ſuarum obliti ad ingenium ſui redeant ad inſtar *Canis ſaltuarii*, mihi non ignoti, qui licet artis hujus dudum fuerit gnariſſimus, adeò tamen non pepercit carnibus ab aliis ſibi occurrentibus moloſſis mordicus detractis, ut potius ſymbolum ſuum in iisdem devorandis maſculè contulerit, unde proverbium Aulicum ſubnatum: Er friſt mit wie des Jägermeiſters Hund. Tutiores autem ſunt artes brutorum athleticæ, dum ad tibiam vel cantum ſaltare, artem equeſtrem vel alias geſticulationes exercere diſcunt, ut in Canibus, Urſis, Equis & aliis ad luſus & ſpectacula paratis animalibus videre eſt. Tandem eâdem ratione *aves* ſonoræ *cantus*, aliæ verò carnoſiori mobilique magis lingua præditæ *loquelam* hominum æmulari ſolent, id quod in Corvis, Picis, atq; Pſittacis haud infrequenter accidit. De *Corvo* Cæſarem Auguſtum è victoria redeuntem his verbis ſalutante: Ave Cæſar, Victor, Imperator, res nota ex Macrobio *l. 2. Sat. c. 4.* Quod ipſum de *Pica* referunt quoque alii, quam non tantùm voces, ſed & Cantilenas hominum expreſſiſſe novit KIRCHERUS. De eadem verò *Martialis* in *xeniis* ſequenti modo ludit:

*Pica loquax certa Dominum te voce ſaluto.*
*Si me non videas eſſe negabis avem.*

Sic memini me Pariſiis in hoſpitio *au petit ſuiſſe* ſuburbii S. Germani olim *picam* vidiſſe, prætereuntes Gallorum exclamatione *parlez donc* elegantiſſimè alloquentem, cùm ejusdem ſpeciei pullo pro informatione illi addito: Neque enim opus eſt, ut ab hominibus im̃ediatè illa proficiſcatur, ſed & avis avem jugi conſuetudine erudire valet. De Pſittacis res etiam in vulgus nota eſt, ut non indigeat uberioribus exemplis. Unum atque alterum inſtar omnium ſufficiant, imprimis illud quod è *Cluſio* habet *NIEREMBERGIUS*, qui Pſittacum cujusdam Nobilis Gallicâ linguâ pariter garrientem & non ſine riſu inſtar hominis ridentem audivit, ita ut Gallorum verbis, *Riez, Perroquet, riez* admonitus ridendo reſponderit *O le grand Sot, qui me fait rire.* Prorſus verò admirandum, quod de Pſittaco Henrici VIII. Regis Angliæ refert ALDROVANDUS, qui ex Regia Sede *Whithal* in præterfluentem Tameſin præcipitatus à prætereuntibus ſcapham expreſſis verbis petiit, utut viginti libris conſtet, *a both a both for tvventy pounds*, Clamore hoc inaudito tandem è Canalicolis quidam advolavit eundemque undis ereptum Regi defert, naulum expectans ab ave promiſſum: Rex pro cura & labore illi ſpondet omne quicquid ab ave hunc in finem interrogata decretum fuerit; quo pacto utrobique inito avis nebuloni crucigerum dari jubet his verbis: *Give the Knave a groat*; Nota non minus eſt hiſtoria de Pſittaco Principali famulas cuticulam ſæpe curantes incuſante, cui in vindictam guttur inferius (ut cum PLAUTO loquar) filô conſuendô obſignaverant, quod ipſum tamen egregiè rurſus prodidiſſe novit.

Nullus dubito, Venerande Senex, quin hæc & ſimilia anſam dederint Antiquorum fabulis *de Ulyſſe cum brutis colloquente & metamorphoſibus Circeis* quæ ſæpe neſcio quid ſalis habent, cum certum ſit Chymiam æquè ac rerum naturalium ſcientiam magna ex parte in Poëtarum fabulis eſſe abſconditam.

Cæte-

Cæterùm quò facilius eſt φαινομένων jam enumeratorum cauſas inſtitutioni atque conſuetudini tribuere, eò difficilius eſt exprimere, quomodo hæc bruta ratione caſſa ad inſolitas hujus generis actiones diſponet & habilitet. Facem tamen accendit ipſe *Galenus*, qui *lib.* ſupra allegato *Conſuetudinem* φύσιν ἐπίκτητον vocat, Naturam aſcititiam & quaſi inſuper acquiſitam; & hoc ipſum eſt, quod in communi proverbio dicitur *Conſuetudinem alteram eſſe naturam.* Quemadmodum igitur ipſa Natura, tanquam Principium motûs & quietis bruta ad hos vel illos motus indeque dependentes actiones inclinando vim ſuam exercet, hæcq; inclinatio ex apta membrorũ diſpoſitione (non excluſa ſpirituum irradiatione) profluit, hinc & ipſa *conſuetudo*, quæ altera eſt *Natura*, animalia ad ſimiles aut easdem actiones œconomicas habilitat jugique exercitio habitum quendam in corpore organico efformat, quo partim agilitatem atque promptitudinem, partim robur aliquod ad has vel illas functiones obeundas acquirendo, Naturam ejusque inſtinctum æmulari ſolet. Conſiſtit autem agilitas illa ſecundum Doctiſſ. *Voëtium meletem. p.73. de hab. corp.* in faciliori ſpirituum motu per nervorum & fibrillarum poros à crebriori ſpirituum exercitio dilatatos, unde ipſi ſimiliter muſculi per ejuſcemodi corporis exercitia crebrius inflat; retinet aliquô modô eandem figuram ex dilatatione ortam, non aliter ac manica ſæpius induta aut retinet figuram manus, aut ſi non retineat, ſed concidat, faciliorem dilatabilitatem conciliat; ſicut & charta ſemel complicata & poſtmodùm explanata facilius ſimilem complicationem ſubit, ad quam jamdum aliquam habebat inclinationem. Interea hanc facilitatem non tantum partibus organicis, ſed fluidis ſpirituoſis crebro exercitio atque conſuetudine eò diſpoſitis deberi, admodum eſt probabile, dum hac vel illâ ratione ſæpe influendo, quandam quaſi plicam concipiunt in radiis influentibus, haud aliter ac in flamma gradus quosdam atque plicas obſervamus.

*Natura.*

vamus, quæ poſtmodum facilimè ſolet altum petere. Sic igitur conſpectis ſæpius domeſticis *animantia* ſenſim videas *aſueſcere*, quum ſpecies illorum viſibiles oculos indies ferientes ipſis ſpiritibus & nervos opticos & vicinas cerebri portiones incolentibus ejusmodi texturam & ad motum inclinationem aſtricant ut abhinc facilius illorum ſpecies recipiant, vel ad minimum iisdem minus irritentur, ut à nunquàm ante viſis evenire ſolet. Quin non ſolùm ab externis jugi conſuetudine ſenſus incurrentibus objectis, ſed & à *Philtris* naturaliter agentibus idem proficiſcitur. Notum enim eſt, quòd buccella panis hominum ſudore ſub axillis imprægnata canibuſque ſæpius objecta ſimilem in iisdem magnetiſmum excitet, quatenus in ſudore latitantia miaſmata eundem, quem in corpore humano obtinebant, motum imprimunt animæ brutorum, ut dehinc illorum veſtigia & odorem libentius admittat; Quemadmodum eâ quoque ratione heros dudum amiſſos indagare norunt, dum in aêre vel ſolo relictis ab illis effluviis ociùs ſolent affici. Quod autem feræ ſemel hâc conſuetudinis viâ cicuratæ facilè ad ingenium redeant & in priſtinam relabantur barbariem, illorum inſtinctui Naturæ conſuetudini præpollenti dubio procul adſcribendum; Haud abſimili ratione *canes* & *equos* longinqua conſuetudine *artes* varias addiſcunt, quatenus & membra corporis organici & ſpiritus influentes continuô exercitio ita diſponunt, ut audito heri mandato ſtatim ad hos vel illos motus exercendos inſtigentur. Sic ſi canem erectô ad ſidera vultu poſterioribus inſiſtere velint pedibus, elevatis anterioribus eundem aliquantisper deſerunt, & ſi eodem inclinare voluerit, ſcuticâ vel flâgro percutiunt, unde ſe in priſtinam figuram contrahens eamque iteratò repetens, illam membrorum diſpoſitionem ſibi contrahit, quæ ſpiritus animales per ſæpius auditum heri mandatum eò ſpontè quaſi inclinantes promptius admittant illorumque motui auſcultant; eôdem modo percuſſis ſubinde pedibus ad Tibiarum modulos *ſaltare* diſcunt

*urſi*,

*arſi* ludisque equeſtribus, idonei redduntur equi. Adeoque de nihilo non eſt, quod *Dan. Voetius* l. c. ejusmodi quid habitus brutorum corporeos comitari dicit, ad cujus præſen-"tiam tenentur elicere actum aut fugæ, aut appetitus, admiſ-"ſa ſaltem ſimplici repræſentatione objecti in cane; adeoque "Artificium non tam in Cane, quàm in hero eſſe conſtat, "qui ea cum dexteritate artem naturali bruti actioni combi-"nare novit, ut adſtantes artificiale à naturali non valeant discernere; quamvis illud ſub primis informationis annis ſaltim obtinere crediderim, cùm habitu firmius ſtabilito, eo ſponte ferantur & inclinent beſtiæ, quod in Camelis Alcaicis ad tympani ſonitum ſponte ſua tripudiantibus videre eſt, quorum mentionem *facit Dn. Le Grand. in hiſt. Natur. p. 384. art. 7.* In aliis verò animalibus imprimis *avibus* hoc planè non obtinet, quæ ſola eaque blanda conſuetudine cantus arte edoctos miſcent, utut in aviariis Majoribus agmine facto conjuncti cantibus ſponte quaſi certare videantur, quod (in luſciniis, fringillis & avibus canarienſibus apparet. Hominum verò cantus æmulantur crebra perceptione, unde ſilentium amant illi, qui fringillas cantus, ſive ſacros ſive profanos edocent, ut eò attentius auſcultent aviculæ. Sæpiùs ergò ſono ejusmodi perculſi ſpiritus animales ſonum illum atque ſibilum ad τὸ ἐγκέφαλον deferentes ita diſponuntur, ut & facilius eundem promoveant & ociùs inde in muſculos linguam moventes repercuſſi ſimilem illic agitationem moveant, eaque ratione ſonitus & voces crebrius illis oblatas exprimant aviculæ, quas diutina conſuetudine firmatas deinde ſæpe repetunt. Neque enim putandum eſt aves proprio Naturæ inſtinctu voces quasdam eſſe prolaturas, ſed oportet ut ſæpe ſæpius ab illis fuerint ante exauditæ, quod in Pſittaco illo Regio obſervandum, qui verba ſupradicta, queîs ſcapham poſtulabat, à Nautis illuc ſæpe appellentibus ſeſeque ita compellantibus vel millies audiverat. Quod ſi jam ad hominem eatur, dici non poteſt, quantam in illum poteſtatem habeat ipſa conſuetudo. Non di-

cam modò de conſuetudine morali, ſive bona ſive mala, cùm illa non tam animalitatem ſpectet & Naturam, quàm animam & mentem. De mira ſaltem ejus in Oeconomia animali efficacia quædam addidiſſe liceat, in qua non ſecus ac in brutis altera eſt Naturâ. Non enim alia quàm in iſtis ratione *balbutientes* primitus *vernaculam addiſcunt*. Variasque ejus dialectos his vel illis locis & diſtrictibus conſuetas imitantur, cùm in tenera ætate magis ex naturâ quam animæ rationalis inſtinctu loquelam affectare videantur, uſquedum organis perfectè diſpoſitis ſuâ in ſpiritus animales determinatione linguam moderetur anima; *& cur dextra plerumque fortiores ſumus ac promptiores quàm ſiniſtrâ?* nonne hoc meræ conſuetudinis effectus eſt, quum Parentes & Nutrices à primis incunabulis eandem nobis liberam relinquant, ſiniſtrâ ſemper faſciis involutâ. Hinc pori nervorum in dextrâ magis dilatati non poſſunt non ſpiſſiorem admittere ſpirituum animalium influxum ipſæque partes continuo exercitio magis flexiles evadendo quandam ad motum ante conſuetum inclinationem adipiſcuntur, in quo naturam imitatur Conſuetudo ut Celeberrimus *Zellerus* quoque annotat in *Curioſiſſima Diſſert. Tubingæ nuper* habita *De pulmonum in aqua ſubſidentia p. 3.* Eâdem de causâ *membra* ſæpe ſponte ſua *agunt* ea, quibus ſunt aſſueta nobis ne per ſomnium quidem de illis cogitantibus. Unde quis admirando de *Noctambulonibus* exemplo lucem aliquam affundere poſſet, id quod à nonnullis animæ rationali ſomni tempore determinationes ſuas in ſpiritus juſto mobiliores continuanti tribuunt, utut citra omnem rationem. Non enim homines tantùm, ſed & animalia ratione deſtituta ſtabula noctu deſerunt, tecta conſcendunt & per loca ferè invia divagari ſolent, quod in *equis* ejusmodi *noctambulis* & hîc & alibi locorum olim obviis ſæpè viſum eſt; quid quod hujusmodi Noctambulonum actiones inſcia fiant anima rationali, quæ nunquam illarum recordatur, cùm contra ſomnia illa noctu fatigantia de die ſibi in memoriam revocare

care poſſit; Nullus ergò dubito, quin inſtar automatis ſe habeant vagabundi tenebriones omniaque, nimiæ ſpirituum motricium agilitati & membrorum ad hos vel illos motus inclinationi ferè debeant, quos inſcii prorſus abſolvunt, haud aliter ac ſimiles à vigilantibus, ſed non attendentibus perpetrantur ſæpius, quos cur agant ſi interroges, aliam ferè cauſam reddere nequeunt præter imprudentiam aut temeritatem animo aliâ re occupato: Vel non aliter ac membra ad actiones conſuetas redire ſua ſponte videmus juxta ſupra laudat. *VOETIUM* part. 3. *Exercit. de Hab. brut. p. 83.*

Tandem in facienda legitimè *Medicina* nil æquè magis expedit, quàm ægris ante familiarem obſervare *conſuetudinem*, non tantùm in præſcribenda diætâ, ſed & ipſorum remediorum adhibitione, id quod *Hippocrates* in plurimis locis ſummopere cavit: Sic *aphoriſmo 17. Sect. 1.* in imperanda cibatione τῷ ἔθει ſeu conſuetudini quid dandum eſſe monet, id quod adeò neceſſarium eſſe duxit, ut ad vitam totam & jucundam curationem etiam cibum paulò deteriorem, ſed ſuaviorem cibo meliori quidem, aſt inſueto prætulerit, *Aphoriſ. 38. Sect. 2.* Rationem dedit ejus Commentator *Galenus lib. de Conſuetud.* quod cibus potusvè à teneris uſurpatus φύσιν ἐπίκτητον ἐργάζεται· μάλιστα μὲν ἐν τῇ γαστρὶ, ἀλλὰ καὶ κατὰ τ' ἄλλα μόρια. Ut enim alimenta quædam ſint ſalubria, neceſſum eſt ut optimè & digerantur & diſtribuantur. Jam autē longè faciliùs illa, cæteris partibus diſtribuuntur, quibus aliàs veſci ſolemus, quia chylus exinde confectus fluendi aſſiduitate vias diſponit ad liquorem ſimilem admittendum. Econtrà ſi non conſuetô alimento utimur, ejus parum diſtribuitur, quod ſenſim ad majorem diſtributionem vias atque poros diſponit, ut egregiè docet *Franciſcus Bayle Problem. Phyſ. XCII.* p. 143. Adde quod ea, quæ cum voluptate aſſumuntur, à ventriculo & avidius complectantur & felicius ſubigantur. Qua ratione verò jugi conſuetudine fiat, ut quædam alimenta evadant ſuaviora & ſalubria, quæ antea utenti erant inſvavia & inſalubria,

bria, illud egregiè docet idem author c. l. Quod ipſum non tantum cibo atque potui ſed & omnibus aliis rebus non-naturalibus & in ſpecie corporis humani exercitiis accommodat Divinus Senex *Aphor. 49. ℣. 50. Sect. 2.* dum conſuetos ſolitos labores ferre, etſi fuerint invalidi aut ſenes non conſuetis, quamvis robuſtis & juvenibus, facilius ferant. Videmus hoc in *Nautis* & *Tabellionibus*, qui manibus pedibusque multas ſæpe leucas haud difficulter ſuperant & conficiunt, quæ robuſtiſſimos ſed inſuetos fatigarent admodum. Diu enim multumq; agitatæ partes ad labores indurantur & non tantùm robur inſigne, ſed & promptitudinem aliquam & inclinationem ad motum acquirendo habitu corporeo imbuuntur, atteſtante *Emanuele Stupano, in Comment. ad aphor. Hipp. Phyſiolog. p. 149.* E quibus omnibus haud difficulter conſtare puto, quantum ipſa conſuetudo valeat in ſanorum pariter & ægrotorum vita regenda, & qua ratione alteram illic naturam agat. Interim hæc ita explicanda ſunt, ne contra Senis intentionem vis inferatur Artis noſtræ Regulis & indicationum Medicarum fundamento Generali, contraria contrariis eſſe procuranda. Ea enim *Hippocratis* erat ſententia, ut in præſcribenda Diæta conſueta interdicendo cautè procedamus, neque temerè, intempeſtivè & confeſtim immutemus conſuetudinem, ſed paulatim atque pedetentim, idque *Galeni* conſilio in ſtatu naturali & ætate juvenili. Abhinc non tam evidenter prava ſed paululum deteriora conſuetudini indulget, quæ nullam aut leviculam inferant noxam, in levioribus præprimis affectibus, ut idem *lib. 6. Comment. in Epid. 4.* explicat; & quamvis Curatoria indicatio tantum non ſemper à contrariis ſumatur, ſua tamen indicationem vitalem ſimilitudo manet, quæ majores in conſuetis, quàm in aliis alioquin nobiliſſimis remediis facultates obtinet. Ridiculum hujus rei teſtimonium recenſet *Manlius in Libello Medico LL. CC. addito;* de Ruſtico Pharmacopolium tranſeunte & in Syncopen delapſo, Cui adſtantes varia eaque probatiſſima Cardia-

Cardiaca præbendo, nec quicquam profecerunt; donec alius humi natus extracta illi calceamenta naribus admoverit, quô factum, ut refocillatis viribus ad ſe redierit. Non dicam de aliis idioſyncraſiæ ſpeciebus, quæ licet ex ipſa natura hujus aut illius profluant, multum tamen ipſi conſuetudini in acceptis ferre alibi ex condicto oſtenſuri ſumus, cùm verear ne, Tua, *Vir Illuſtris*, indulgentiâ jamdum ſim abuſus. Antequam autem hinc prorſus abeamus, non poſſum non difficillimi & omninò ardui cujusdam problematis adhuc mentionem facere, *cur nimirum affectus nonnulli* morboſi absque ulla cauſa continente agant & ſive paroxyſmatim invadendo ſive recidivando ægros *ex mera conſuetudine affligant*? Videmus iſtud in quibusdam Epilepſiæ ſpeciebus à terrore vel alia quâvis externa læſione oriundis, quæ remotis omnibus occaſionibus nihilominus habitum ſæpe induunt & multos in annos ſubſequentes eosdem quos prehenderant, affligunt, ut præter *Helmontium HEERIUM, SALMUTH, morbum ejusmodi convulſivum à viſo ſpectro habet* **D. Fridericus Hofmannus** junior *in peculiari diſſertatione Jenæ* habita. Eadem ratione *febres intermittentes à terrore* vel aliis gravioribus affectibus progenitæ tragœdiam ſuam paroxyſmatim continuare, & licet omnimodè extirpatæ videantur, annuatim tamen eò, quò corpus tempore decubitus cruciabant, tempore ſæpe laſſitudinem, dolorem gravativum (Sie drücken) aliisque ſymptomatibus neſcio quas minas intentare ſolent, haud alia ratione ac annuis V.S. aſſuefacti accedente tempore pruritus quosdam ſentiunt in parte vel loco venæſectioni dicato, id quod *Plethoram ad vires* olim nuncuparunt. Quæ omnia ex mera conſuetudine ſpirituum undulationem & motum inclinante & quaſi determinante profluere verè dixero. Qui igitur Gordios ejusmodi nodos ſolvere funditùsque exſtirpare voluerit, in id omnes nervos intendat, ut plicam ſpiritibus animalibus jugi conſuetudine inductam fortiter excutiat, eosque ad alios minus exorbitantes motus aſſuefaciat.

Aſt quò hæc Tibi in ſacris his verſatiſſimô ! abſtineo manus, ne anſerum more cantibus olorum interſtrepere videar. Quin Tuam, Vir Inclyte, in arduis hujusmodi thematibus informationem & ſententiam hâc ſcriptionē experiri malô, in quâ tot illuſtria Europæ Nomina ſolent acquieſcere. Ita bene vale, Venerande Senex! vale inquam, DEO, Familiæ, Eruditis, qui ut inſtar Aquilæ rejuveneſcas & vel ſolâ canitie venerabiles annos in ſeram poſteritatem producas, unanimi votô comprecantur, id quod faxit DEUS. Vale terq; quaterque. Dab. Giſſæ Haſſorum d. VI. Jun. Ann. M. DC. XCII.

Per-Illuſtris Tui Nominis

*Obſequioſiſſimus*

VALENTINUS.

V. C.

V.C.

JOHANNIS CHRISTOPHORI STURMII,
Prof. Publ.

# STRICTURARUM
IN
## ANT. VINCENTII MAJOLI
ASSERTIONES HYPOTHESIOS GALENICÆ

*CONTINUATIO.*

# VIRO
## ILLUSTRI ET GENEROSO
## D. JOH. GEORGIO VOLCAMERO,
Academiæ LEOPOLDINO-Imperialis Naturæ Curioſorum

## PRÆSIDI
*S. P. D.*

## JOHANNES CHRISTOPHORUS STURMIUS,
P.P. Altdorffinus.

POſteaquam in epiſtola mea prima, prioris anni de Galeniſtarum hypotheſi, ſub Pauli de Minis Patrocinio adverſus Atomicam recentiorum inſurgente, anno ſuperiore ad Te data, præjudiciũ illud è medio ſuſtuli, quo Democriticam hanc ſententiam dudum ab Ariſtotele & Galeno confutatam eſſe laudatus Author fruſtrà præſuppoſuerat; id nunc agendum conſequenter erit, ut propria Authoris argumenta ordine excutiam, &, ſi quid adverſus recentiorum placita valeant, nec ne, cordatè modeſteque aperiam. Is igitur, formatâ in frontiſpicio quæſtione, *an corpuſcula ſint activa ratione figuræ*, præmiſſoque, quod examinavimus, præfamine, quatuor ſubjicit rationes, ob quas Democriti ſententia à Medicis præſertim amplexanda videri poſſit; quibus verò haut obſtantibus (nec tamen etiam confutatis) falſam eſſe

ſententiam Democriticorũ probare conatur, prænotatis tum communi omnium hypotheſi, quod corpuſcula operentur mediante motu locali, tum eorundem aliquali diſſidio (dum aliqui corpuſcula, in una tantùm ratione motûs convenientia, genere diverſa, alii verò ſpecie tantùm differentia ſupponant) adverſus priores ita argumentatus: *Si diverſæ figuræ eſſent activæ medio motu, quem cauſant in aliud, verbi gratia ſenſorium, non poſſet explicari, quomodo ex tactu diverſorum entium, verbi gratia liquoris ſulfurei & aquæ, idem ſtatim perciperetur accidens*, ut, manu ſc. in utrumque liquorem demerſâ, nulla ſentiatur tactilium qualitatum differentia, ſed idem ſit liquoris utriusque ſenſus; hoc enim experimento ſuppoſito nititur Authoris hæc ulterior illatio: *Ergo figuræ non ſunt activæ medio motu, ergo entia non operantur mediis figuris.* Ad cujus probandam conſequentiam ſupponit, *quòd ſulfur* (quoad minimas, intellige, ſuas particulas ſive atomos) *ſit figuræ triangularis, aqua autem figuræ rotundæ* (*quomdocunque enim dicant*, inquit, h. e. quascunque hujus aut iſtius particulis tribuant figuras, quas eſſe diverſas ſaltem oportet, *ſemper proportionaliter currit argumentum*, eademque valebit illatio) indeque concludit, *non poſſe ergo explicari, quomodo iſtæ diverſæ figuræ poſſint in ſenſorio tactûs cauſare eundem motum; ergo nec explicari, quomodo ex tactu ſulfuris & aquæ idem percipiatur accidens.* Quod his ſuperaddit, tanquam probationem antecedentis, ad ejusdem conſequentiæ confirmationem potius pertinet, dum *iſtis figuris*, ait, *utpote conſtituentibus ſpecie diſtinctæ, debentur motûs diverſi, tanquam diverſæ proprietates, ergo cùm in ſe habeant motûs diverſos, diverſos etiam cauſabunt in paſſo*: id verò cùm non fiat, ſed eadem potius in manu tangente recipiatur ab utroque liquore paſſio, negato ſic conſequente, negandum eſſe meritò antecedens vult inferre, quod iſta aliaque corpora mediantibus ſuarum partium figuris activa ſint.

Non poſtulabo nunc, quod jure quidem poſſem, ut ſpeciatim

ciatim nominet Author illum liquorem, ſulphureum, cujus contactu eandem omnino inferri manui paſſionem dicit, quam aqua infert; quò ſub examen rigoroſius vocare rem iſtam, & experiri ſolicitè liceret, annon ſubtilior aliquis tactûs differentiam quampiam ſenſibilem inter utrumque liquorem eſſet deprehenſurus: prout ſanè cœcus aliquis nomine *Joannes Vermaaſen*, mantili ex abundanti velatus Ultrajecti ad Moſam oblatas tænias ſericeas, rubras à flavis, flavas à viridibus &c. ſolo digitorum tactu accuratè diſcriminavit, teſte Illuſtri Boylio in tractatu de coloribus p. m. 42. & ſeqq. Sed ſupponam nunc, experimentum iſtud, usquequaque certiſſimum eſſe & indubium, non obſtantibus tamen iteratis Authoris probationibus adhuc vacillare prolati argumenti conſequentiam oſtendam, aut, ſi hæc ſufficienter limitata concedi tandem poſſit, unà etiam concluſionem concedi poſſe, tanquam haut contradicentem recentiorum hypotheſibus, atque adeò τȣ̃ ἐλέγχȣ ἄγνοιαν ſeu ignorati elenchi vitium in argumento prodentem. Quod ut pateat, ex iis, quæ in epiſtola ſuperiore prænotavi, denuò hîc inculcandum eſt, cùm quæſtio eſt, ſecundum controverſiæ ſtatum ab ipſo Authore formatum, *An corpuſcula ſint activa ratione figuræ?* recentiores Democriticos ſive corpuſcularis Philoſophiæ Patronos per corpuſcula non ſolùm intelligere ipſas primas *atomos*, ſed ex harum pluribus compoſitas etiam maſſulas ſive *particulas*, ex pluribus particulis porrò concretas *partes* (& has omnes plerisque ſenſibus imperceptibiles) tandemque ex pluribus etiam hujusmodi partibus coalitas *portiones* ſenſibiles. Quo ipſo manifeſtum inſuper eſt, cùm activa dicunt hodierni Democritici ratione figuræ corpuſcula ſua, non de ea præcisè activitate ipſos loqui, quæ ſenſibus ipſis, inprimis craſſiſſimo omnium tactui, ſit immediatè perceptibilis, ſed quem ratione ſaltem ex effectuum aliorum ſenſibili differentia hariolari liceat; ut planè nullius ſit adverſus illos valoris hæc aut ſimilis conſequentia: Non deprehenditur tactûs ſenſu duo-

rum e. g. liquorum differentia, h. e. diverſa utriusque corpuſcula non afficiunt diverſimodè craſſas iſtas ſenſorii fibras, & ſic figuræ diverſitatem ſenſibiliter haut teſtantur; ergo planè nullam habent ratione figuræ activitatem, nec alibi per effectûs alios, ſaltim rationi, eam produnt. Nam ejusmodi illatio (quâ tota tamen Authoris conſequentia nititur, imò quæ quoad rem illa ipſa eſt) manifeſtam involvit fallaciam à dicto ſecundùm quid ad dictum ſimpliciter. Licet enim hoc modo particulæ, aut partes, aut portiones etiam majores, figuræ ſuæ activitatem haut teſtentur, non ſequitur tamen ſimpliciter nec unas, nec alteras eam ullo alio modo teſtari.

Age verò paulò preſſiùs inhæreamus Authoris noſtri veſtigiis, &, quanta vis inſit ejus argumento formaliter magis ſpectato, examinabimus. *Si diverſæ figuræ*, inquit (ſubintellige atomorum aut particularum inſenſibilium) *eſſent activæ medio motu quem* (ſenſibiliter ſc.) *cauſantur in ſenſorio* (tactûs) *non poſſet explicari, quomodo ex tactu ſulfurei & aquoſi liquoris eadem in manu tangente paſſio ſentiatur. Sed hoc poteſt ac debet explicari* (volebat aut debebat in forma ſubſumere) *ergo diverſæ figuræ* (atomorum aut particularum inſenſibilium) *non ſunt activæ medio motu, quem* (ſenſibiliter) *cauſantur in ſenſorio* (tactûs.) Hoc modo limitatâ conſequentiâ, totum argumentum concedi poſſet; ſed tunc committeret fallaciam ignorationis elenchi, quia nemo dicit, imò ne dicere quidem ſine contradictione poteſt, atomos ipſas, aut particulas alias, adhuc inſenſibiles, mediante motu & figurâ ſuâ, in quodvis, etiam craſſiuſculum tactûs ſenſorium activas eſſe. Quod ſi verò de portionibus ſenſibilibus fibrisque ſenſorii proportionatis ſermo ſit, hoc ſc. ſenſu: Si figuræ portionum ſenſibilium, & fibris tactoriis proportionatarum, ſenſibiliter activæ ſunt & eſſe debent in tactûs etiam ſenſorium, ſequitur non poſſe explicari &c. tunc neganda eſt conſequentia, necquicquam obſtantibus adductis ſuprà rationibus; ſiquidem ex eo ipſo fundamento ratio paſſionis ejusdem ex contactu diverſo-

verſorum liquorum peti poteſt, & omnino debet, quod portiones illæ utriusque ſenſibiles, non habeant figuras ita diverſas, ut eam diverſitatem ſenſorii hujus obtuſioris conditio ſenſibiliter valeat diſtinguere, tametſi partes exiliores, è quibus illæ portiones componuntur, vel minutiores etiam particulæ, & ipſæ atomi, diverſiſſimis poſſint conſtare figuris, ſed partim complexu mutuo obvolutis, partim etiam, ſi ſolutæ & nudæ eſſent, tam exilibus, ut craſſiuſcula ſenſorii tactûs filamenta ſenſibiliter haut commoverent.

Ut rudiore quodam exemplo rem illuſtremus, conferamus typographorum elementa, ſive typos ſigillatim ſpectatos, cum Democriticorum atomis, ſyllabas inde compoſitas cum particulis ſive moleculis, vocabula integra cum partibus, & versûs integros cum portionibus corporum naturalium, totas autem columnas cum corporibus mixtis iſtas omnes intra ſe comprehendentibus. Tametſi verò indubium eſt, ſi ſeorſim litera *O* verbi gratia manui cujusdam, oculis clauſis & mox etiam litera *X* eidem imprimatur, diverſitatem utriusque figuræ ſic activam ſe exhibituram, ut ſenſibilis impreſſionis utriusq; differentia ſenſorio eſſet obverſatura (quod idem facile, credo, quilibet concedet de literis etiam cognominibus, ſed alterâ germanicâ, alterâ latina, ut de W & 𝔚/ Z & 𝔷/ ſive ejusdem aliàs, ſive diverſæ ſint magnitudinis;) ubi tamen æquales columnæ è diverſiſſimis vocabulis ſyllabisque compoſitæ expansâ palmâ (ſed clauſis priùs oculis) ab eadem manu tanguntur, vix diſtincta ſenſatio emerget, ſed ex tactu diverſorum licet entium idem tamen percipietur accidens, neque valeret unquam ſimilis iſti Authoris noſtri conſequentia: *Si diverſæ typorum figuræ eſſent activæ medio motu, quem exſerunt e. g. in ſenſorium, non poſſet explicari, quomodo ex contactu diverſarum columnarum, è diverſis licet ſyllabis & vocabulis, alteris etiam germanicis, alteris latinis, compoſitarum, idem percipiatur accidens aut ſimilis oriatur ſenſatio.* Negandam enim hîc eſſe conſequentiam quivis evi-

denter agnoſceret; ſiquidem illius rei ratio inde procul dubio manifeſta eſt, quod craſſior ille ſenſus à portionum craſſiorum ſive grandiorum, linearum puta integrarum, ſatis diſtincta ſimilitudine diſtinctiùs afficiatur, quàm à multiplicibus iſtis ac diverſiſſimis partium aut particularum figuris & impreſſionibus, inter ſe ubique confuſis ſeſeque mutuò quaſi obvolventibus & abſorbentibus.

Quemadmodum autem in hoc caſu, cùm tactûs ſenſorium eludunt, ob dictam modo rationem, diverſiſſimæ typorum ſingulorum, aut ſyllabarum vocumve figuræ, ſuamque adeo activitatem hujus intuitu efficaciter haut exſerunt, non æquè tamen otioſæ ſunt reſpectu organi visûs, utpotè in cujus fibras diſtinctiſſimè primo ſtatim intuitu agunt, reflexoque verſus iſtas aliter aliterque lumine ſeipſas quàm evidentiſſimè produnt; ſic in iſtis naturalibus etiam, ſi liquor ſulphureus, & alius aquoſus, tactu judice particularum ſuarum, ratione figuræ, diverſitatem non ſtatim teſtantur, non ceſſant tamen aliis ſenſibus, odoratus v. g. diverſam illam agendi vim efficaciſſimè oſtendere: Ut eo nunc manifeſtius, ex alio quoque capite, ſe prodat illa à dicto ſecundùm quid ad dictum ſimpliciter fallacia, in Authoris argumento, quo ex eo, quod corpuſculorum figuræ in caſu dicto duorum liquorum activitatem ſuam in ſenſorium tactûs diſtinctè non exercent, præproperè nimis infert, *Ergo figuræ non ſunt activæ mediante motu, ergo entia non operantur mediis figuris;* ſiquidem ex negata efficaciâ vel activitate harum in ſenſorium unum, non ſtatim omnis alia in ſensûs cæteros omnes neganda venit.

Multa quidem in medium adducit Author, tanquam pro hypotheſi corpuſculari excipienda contra ejus argumentum hactenus à nobis excuſſum, quæ deinceps per paginas plures Scholaſticâ quadam ſubtilitate expungere & confutare laborat. Illas verò exceptiones cùm noſtras haut faciamus, imò ad quasdam earum ſatis aptè reſponſum haut diffiteamur,

mur, fruſtrà utique iſtis omnibus in utramque partem ventilandis prolixam impenderemus operam. Quin iſtas igitur ipſius Authoris exceptiones, quæ hactenus dato reſponſo noſtro contrariari videntur, majori paulò curâ expendemus, ut eò magis infirmetur vis argumenti hujus primi, quo corpuſculorum activitatem enervare Author præſumpſit. Primum illud eſt quod p. 33. (edit. novæ in Appendice p. 70.) ſub finem adnotavit, quaſi præviſo reſponſo noſtro, *aliquem poſſe dicere, quòd liquida cauſant ſenſationem mediis figuris compoſitis, & omnia conveniant in una ſpecie figura, unde eandem paſſionem faciunt in ſenſorio:* quod certè illud ipſum eſt, quod ſuprà monuimus, in contactu liquorum non tam atomos primas aut particulas inde proximè compoſitas, quàm partes aut portiones grandiores (quarum adeò obtuſiores figuræ ſatis ſimiles evadere potuerunt, etiamſi ex diverſarum figurarum minutiis concretæ) in organi tactorii fibras & papillas agere, illique ſenſui, alioqui non adeò ſubtili & accurato, impreſſiones ſimiles offerre. Huic igitur reſponſo ſequentia reponit Author, quibus fideliter adductis ſatisfacere pro virili connitemur. 1. Regerit, *omnes Modernos dicere (licet malè id aſſerant,) quòd in vivente diverſæ fiant ſeparationes liquidorum, quia diverſas habeat figuras diverſis porulis adaptatas*, indeque inferre velle videtur, non poſſe ergo, ne compoſitas quidem duorum diverſorum liquorum portiones ne qualicunque quidem figuræ ſimilitudine convenire. Sed hæc etiam conſequentia plus infert quàm inferre debebat. Nam cùm e. g. per tubulatam renum fabricam ſalinæ ſeu urinoſæ tantùm partes, excluſis fibroſis ac ſanguineis, tranſmitti dicuntur, alibi ſulphureis aut ſpirituoſis, ob aliam cribri quaſi configurationem, transcolatis, nihil obſtat tamen, quò minus cum utrisque ſeroſæ ſive aquoſæ, tanquam glabræ valdè & lubricæ flexileſque per utroſque poros ſimul elabantur (prout ſanè experientia ipſa teſtatur) & poſtmodum ibi ſalinis, hîc ſulphureis aut ſpirituoſis, circumvolutæ guttulas forment

ment eatenus ſaltem ſimiles & æquales, ut craſſiori tactûs ſenſui ſatis diſtinctè perceptibilem impreſſionis differentiam non ingerant. 2. dicit: *quia figura compoſita habetur à proportione componentium, ut ſuprà notavimus in diverſitate ſalium ex Villeſio, cùm in diverſis liquidis diverſa ſit miſcibilium proportio diverſa etiam erit figura:* notaverat ſc. p. 12. (Append. ſuper. anni p. 62.) *figuram mixti non eſſe ex vi prædominantis elementi, patere enim dari plures ſales in quibus omnibus ſalis particulæ prædominentur, & tamen attentâ aliquali aliorum componentium unione diverſarum figurarum evadere, ſic ſalem marinum, alumen, Sal nitrum &c. uti ex Villeſio, in octoêdricam cubam, & pyramidalem figuram faceſſere &c.*

Ecce verò hæc ipſa, quæ pro ſe facere Author exiſtimat, adverſus præſentem ejus exceptionem reſponſum ſuppeditant luculentiſſimum. Etenim, ſi eædem ſalis particulæ aliquali aliorum componentium unione in diverſas abire poſſunt figuras (quod Author concedit) non apparet ulla ratio, cur non viciſſim diverſarum atomorum diverſæ figuræ aliquali unione aliorum componentium in easdem ſimilesve ſenſibiliter figuras componi poſſint; maximè cùm id in certo caſu, etiam citra commixtionem aliorum componentium poſſibile ſit; prout ſanè Author ipſe p. 13. (ed. nov. in Append. p. 63.) haut inſcitè ex meris triangulis componere quadratam figuram docet, quam eandem tamen ex meris quadratulis minoribus, vel ex meris rectangulis figuris, vel etiam ex rectangulis quadrangularibus ac triangularibus mixtim coordinatis, oriri poſſe indubium eſt. Quæ tamen eò rapi nolimus, quaſi putemus ejusmodi geometricis & præciſè artificioſis figurarum ſimplicium combinationibus Naturam ſuas moleculas aut grandiores corporum partes componere, ſed eò unicè dirigi, ut tantò credibilius evadat, admixtione communis cujusdam fluidi, quod flexibilibus ſuis filamentis minutias diverſarum licet figurarum involvat, oriri poſſe guttulas aut moleculas tam parum figurâ ſuâ differentes, ut ab

obtu-

obtuſiore tactûs ſenſorio (quamdiu ſc. cuticulæ integumento munitum manet) iſta, ſi qua reſtet, figuræ diverſitas diſtingui non poſſit; præſertim cùm liquida ex partibus ſolutis conflata tactum prenſantem lubricitate ſuâ facilè eludant, nullaque fere prædita reſiſtentiâ ſuarum partium impreſſiones fibris tactoriis non niſi obiter leviterque objiciant. Dixi autem notanter, quamdiu cuticulæ integumento munitum manet organum tactorium. Hac enim remotâ cum ſummo ſæpe dolore ſentitur liquidorum diverſorum activitas, à particularum figuris pungentibus & lancinantibus unicè dependens: Ut inverti meritò Authoris argumentum poſſit &, cùm e. g. manus cuticulâ tecta, nunc aceto, nunc aquæ puræ immerſa nihil ferè percipiat ex utriuſque contactu diſcriminis, excoriata verò per aliquam contuſionem immane quantum diſcrimen affectionum ab utroque liquore impreſſarum ſtatim perſentiſcat, inde jure concludi, maximam utique eſſe particularum acidarum, rigiditatem aciemque ipsâ illâ lancicinante puncturâ ſatis teſtantium, præ flexilibus & glabris aqueis, activitatem.

Quod idem ad exemplum aquæ puræ & ſalis liquati, de quo in exceptione tertia dicit omnia argumenta huc usque facta valere, eodem applicari jure poteſt. Id verò quod 3. excipit, huc redit: *Neque dicant*, inquit, *quod ſal liquatum & tinctura ſulfuris habeant diverſas figuras ab aqua pura, tamen cum activitate illius conveniunt, quia maximam quantitatem in illis tincturis eſt invenire; nam hoc non obſtat, quin debeant minuere activitatem aquæ & ſuam ſpecificam oſtendere, cùm etiam in aqua tepida minor ſit quantitas ſulfuris quàm aquæ, & tamen minuatur activitas aquæ & propria ſulfuris percipiatur.*

Quibus hæc iterum reponimus: Primò, ſi concedamus particulas Salinas aut ſulfureas, cum aqueis mixtas licèt, debere tamen harum activitatem minuere & ſuam ſpecificam oſtendere, non eſſe ſtatim neceſſum ut eam cuique, etiam ob-

tuſiori & obvelato, ſenſui oſtendant, ſed ſufficere, ſi illam acutiori ac impedimentis ordinariis nudato demonſtrent; quod utique Sal liquatum in digito leviter vulnerato abunde præſtat. Quod ſi verò exiſtimet, velut exiſtimare videtur, illas particularum ſalinarum & ſulfurearum figuras obtuſiori etiam tactûs ſenſui debere ſe prodere, idque exemplo *aquæ tepidæ* patere, *utpote in qua minor ſit quantitas ſulfuris quàm aquæ, & tamen minuatur activitas aquæ, & propria ſulfuris percipiatur*; tum primò non ſatis capio allatam de aqua tepida inſtantiam, an nimirum eam intelligat, quæ nativo tepore, ex admixtarum ſulfurearum portionum accenſione orto, ſit prædita, num verò de quacunque alia ad focum luculentum vel ad Solem tepefacta loquatur? Deinde in eo quoque hæreo, quomodo vel in hac vel in illa ſulfuris activitas ſpecifica ſentiatur, & à quo ſenſu dicatur percipi? Si tactûs organo mediante ſpecificam ſulfuris activitatem ſentiri diſtinctè aſſereret, hoc ipſo exemplo deſtrueret experimentum, quod, tanquam fundamentum, argumento hactenus examinato ſubſtruxerat. Sin de perceptione mediante olfactu aliisve, præter tactum, ſenſibus facta ſermo eſſet, ad rem præſentem inſtantia non faceret. Si porrò à Sole vel igne alio tepefactam aquam intelligeret, abuſivè quodammodo diceretur propria ſulfuris activitas percipi, dum caloris vel igniculorum actio ſentitur. Si denique ad nativum ex accenſis particulis ſulfureis teporem reſpiceret, tunc verum equidem eſſet activitatem ſulfuris ſpecificam ipſo tactûs ſenſu percipi, non tamen inde ſequeretur etiam alius ſulfurei liquoris per ejusmodi accenſionem haut tepentis, ſpecificam ab aquoſo differentiam ipſo tactûs judicio diſcerni debere. Fortiùs enim multò particulæ ſulfureæ per accenſionem vehementiùs agitatæ in fibras tactorias impinguntur, ſuique adeò ſenſum tectis licet cuticulâ fibris & papillis inferunt; quod idem non ſtatim aliæ, licet etiam ſulfureæ, non tamen eodem ætheris aut ſubtilioris adhuc materiæ impetu abreptæ, ſed quietæ magis aut lento

debi-

debilique motu agitatæ, idem præſtare ſimiliter aut poſſunt aut debent: non magis, inquam, hoc ſequitur, ac ſi quis ex eo, quod manu aëris corpulentiam tum deprehendit, quando is venti cujusdam flatu aut flabelli agitatione commotus in eam fortiùs impingit, inferre vellet, eandem ergo in aëre tranquillo & quieto, cùm is non niſi leni & inteſtino particularum ſuarum motu cietur, ſenſibilem eſſe debere.

Uſus erat hac eadem de aqua tepida inſtantia Author p. 8. (ed. novæ p. 60.) ad elidendum aliud reſponſum ad argumentum ejus primarium huc usque à nobis ventilatum, quod à corpuſcularis Philoſophiæ Fautoribus afferri poſſe credebat. Nimirum cùm ſuppoſuiſſet in aqua rotundas ſive circulares, in liquore ſulfureo autem triangularis figuræ partes, indeque intuliſſet, ex contactu adeo diverſarum figurarum diverſam etiam ſenſationem exoriri debere, aut econtrà, dum eandem affectionem ex utroque percipi experientia teſtetur, fatendum eſſe, corpuſcula mediantibus ſuis figuris & motibus non eſſe activa; cùm hæc, inquam, ita fuiſſet ratiocinatus, & excipi ab adverſariis poſſe crederet, *iſta diverſa entia, cum diverſas habeant figuras, diverſo quidem modo tangere, verùm etiam convenire poſſe in tangendo, ſi v. g. trianguli ſulfuris vergant quoad angulos ad ſuperficiem, ut apparet in præſenti figura △△△○○○, tunc enim ſenſorium tangi à puncto circuli & trianguli, ita ut unum punctum tantùm cujuslibet corpuſculi ſenſorium tangat*; reſpondet 1. haud incongruè corpuſcula illa, non tangere ſenſorium tantûm ſecundum unum punctum, quia gravitent ſupra ſenſorium, & ſenſorium ſuper illa, h. e. non leviter ſolùm illa hoc perſtringant, ſed aliquantò profundiùs ſe ingerant, quò fiat, ut alius ex iſtorum, alius ex horum impactione ſenſus oriatur, quemadmodum pateat, dum manus gravitat ſupra rem acutam & aliam rotundam, dolorem ſentiri ex tactu acuti, non verò obtuſi. Reſpondet 2. iterum non inconvenienter, cùm ex mente Chymicorum particulæ liquidorum ſemper ſint in continuo mo-

tu, non poſſe illas particulas ſulfureas ſemper ſuis angulis in ſuperficiem organi tangentis eſſe directas, ideoque futurum eſſe, ut diverſus ſit contactus particularum ſulfuris cum cute & aquearum cum eadem, cùm v.g. motu mediante ad hunc perveniſſent poſitum v v v o o o. Reſpondet denique 3. Si exceptio illa valeret, ſecuturum, quòd etiam ex tactu aquæ tepidæ deberet percipi eadem qualitas, quæ ex tactu liquoris ſulfurei non tepentis, ſiquidem idem hîc dici poſſet, quod adverſarii, in priore illo caſu excepiſſent; ſed hæc Authoris conſequentia omnino neganda eſt; quandoquidem ea eſt inter liquorem tepentem & ſulphureum non tepentem differentia (quòd ſi maximè cum Authore in utroque ſupponamus particulas ſulfureas tanquam caloris autores) in tepente vehementiùs agitentur à materia quadam ſubtiliſſima, in non tepente verò non niſi lentiore quodam & organo tactûs commovendo non ſatis potenti motu ferantur; id quod prævidit ipſemet ab adverſariis exceptum iri, eamque adeò exceptionem occupare ſtatim his verbis annititur; *Neque dicas, quòd particulæ evolantes ab aqua tepida majorem faciunt impetum, quia ſunt extra fermentum, nam contrà eſt, hæc etiam ſunt maximè impeditæ ab humido evolante.* In quibus equidem quid fermenti nomine ſibi velit, aut quale fermentum in aqua tepida concipiat, non ſatis, fateor, intelligo; neque id negaverim particularum ignearum aquæ admixtarum impetum, alioqui vehementiſſimum, ut in flamma, futurum, ab admixto humido multùm impediri (unde calefacere quidem, h.e. fibras tactorias ſenſibiliter commovere, in calentiore vehementiùs lædere vel urere, in fervida denique corrugare & disrumpere, adeoque adurere, nunquam tamen, ut in flamma, concremare penitùs & in cineres redigere valent) ſed hoc non obſtat, quò minus impedita quoque hujusmodi agitatio particularum magis nihiloſecius afficere fibras ſenſorias poſſint, quàm aliarum in liquore non tepente debilis & lenta commotio. Unde nec illud procedit quod ſecundò

cundò *ſequi ſemper* exiſtimat, *quod à liquore ſulfureo, utpote majori copiâ particularum ſpirituoſarum & ſulfurearum prædito, quàm aqua, major impetus fieret in ſenſorium, & ſic diverſa qualitas.* Nec enim partes ſulfureæ, aliæque terreſtres, ut tales, ſolâ ſuâ præſentiâ corpori cuidam calorem aut teporem conciliant, ſed tum demum, ubi carceribus ſuis quaſi ſolutæ; i. e. ab aliarum partium complexu & implicatione liberatæ, intra materiam illam ſubtiliſſimam & agitatiſſimam, quæ per univerſum mundum diffuſa univerſale quaſi organum eſt omnium naturalium, vitalium & animalium motuum, natare & in communem impetum abripi contigerit.

Quibus ita ſemel rectè perceptis, reliquas etiam Authoris ſubtilitates Scholaſticas eſſe, uti ſuprà jam monitum, fruſtraneas, facilè patebit, ſiquidem eadem chordâ ubique oberrat. Nam, ut uno id adhuc exemplo commonſtremus, dum fingit alterâ vice, adverſarios ad argumentum ſuum primarium reſpondere poſſe, *quòd diverſæ figuræ habent quidem diverſo modo tangere & movere, ſed ratione objecti capacis unius tantùm motûs, eodem tantùm modo poſſunt movere, &, quia ſulfur & aqua habent eandem particulam unico tantum motu mobilem, hinc eſſe &c.* (quæ ſubtilitas equidem, an ulli ex corpuſcularis Philoſophiæ fautoribus in mentem unquam venerit, ut ſc. ſibi perſuaderet, duo moventia diverſimodè quidem in mobile quoddam movendo agere, h. e. diverſo modo illud movere & afficere, & hoc tamen interim ab utriſque eodem modo affici & moveri;) regerit primò diſtinguendo inter particulam cutis movendæ integralem & eſſentialem (quæ diſtinctio quid ad præſens faciat, aut quomodo hîc habere locum poſſit, omnem meum captum, haut inficior, excedit, ut, qui moveri nihil poſſe, niſi quod corpus ſit aut corporis pars integralis, penitus perſuaſus ſum) &, ſi de integrali ſermo ſit, id *contrà eſſe primò* dicit, *quòd illa particula integralis cutis, quæ movetur ab aqua, eſt capax motionis quæ repræſentat verbi gratiâ calorem; ergo, cùm ſulfur habeat*

*beat talem motum, qui, ſi communicaretur cuti, repræſentaret calorem, ſequi, quòd ex contactu aquæ & ſulfuris diverſa debeant percipi accidentia.* Sed hanc exceptionem quod attinet, eam eſſe ingenii mei ſtupiditatem ultrò confiteor, ut illius conſequentiam, hujusque rationem ullam, videre nequaquam poſſit, nec Authoris ſuppoſitionem admittere, quin ſtatim alia omnia, imo contraria penitus, inde concludat. Poſito namque particulam aliquam cutis integralem quæ movetur ab aqua, non eſſe capacem niſi motionis ejus quæ repræſentat v. g. calorem, & ſulfur etiam habere talem motum, qui, ſi communicaretur cuti, repræſentaret calorem, nullâ ratione comprehendo, quomodo inde ſequatur (quod p. 10. edit. nov. 61. dicitur) ex contactu aquæ & ſulfuris debere percipi diverſa, & non potius eadem, accidentia; maximè cùm ipſamet Authoris verba his immediatè ſubjecta hunc ipſum, quem ego intendo, ſenſum manifeſtiſſimè videantur habere, dum addit, tanquam antecedentis probationem: *Cutis perſentit calorem, ergo quia movetur taliter ſecundum aliquam ſui integralem particulam, ſed omnes ejus particulæ integrales ſunt homogeneæ, ergo illa particula, quæ movetur ab aqua, erit etiam mobilis à ſulfure motu repræſentante caliditatem.*

Sed fruſtra ſim, ſi has cæterasq; Authoris nebulas, quas offundit, diſcutere ſigillatim, h. e. omnes ejus exceptiones, quas confictis à ſe, vix autem ab ullo corpuſcularis Philoſophiæ Patrono in medium unquam allatis, reſponſionibus reponit, expendere ſatagam. Quin potiùs, ex una ut judices cæteras, VIR OBSERVANDE, rogatum Te ſummoperè velim, cordateque, ceu ſoles, mentem digneris aperire tuam, nunquid ab his Authoris arietibus corpuſcularis Philoſophiæ ruina videatur metuenda? &, quod iterum inculcandum vel maximè, num forum ſatis competens cenſeri poſſit ſenſorii tactûs tribunal hujusmodi controverſiis litibusque finiendis, nec æquè abſurdum potiùs, activitatem atomorum, particu-

larum

larum, partiumque & portionum, vel inſenſibilium penitus, vel à Subtilioribus vix perceptibilium, ad ſensûs omnium craſſiſſimi examen revocare, & quas hic non ſtatim deprehendit efficaciæ differentias, eas præproperè negare velle, ac ſi quis duarum monetarum aurearum ejusdem magnitudinis diverſique generis, alterius ſc. ex auro rhenano, alterius ex Hungarico, pondus examinaturus ad lanienæ cujusdam lances rem deferret, impoſitisque hac uni, illâ lanci alteri, nullâ ſenſibili alterutrius depreſſione notatâ, ſtatim inferret, nullam ergo eſſe in duabus illis monetis differentiam ponderis, aut præponderandi efficaciam in uno vel altero auri genere, vel ad exemplar illationis Authoris noſtri ſic concluderet: *Si diverſa auri genera eſſent activa mediante gravitate ſuâ in libræ cujusdam lances, non poſſet explicari, quomodo in libra alicujus lanii ex impoſitione duarum monetarum magnitudine æqualium, ſed è diverſis auri generibus cuſarum, idem tamen pondus perciperetur.* Cujus equidem conſequentiæ nullitatem quin eſſent viſuri omnes aurificum numulariorum pueri, nemo dubitabit, ad ſuas ſc. ſubtilioris multò fabricæ bilances negotium hoc ſtatim revocaturi, inibique diſcrimen ponderis in utroque auri genere ad oculum demonſtraturi. Eadem omnino ratio eſt argumenti primi Authoris noſtri hactenus ſub incudem vocati, prout ſub initium hujus epiſtolæ oſtenſum; ut cramben bis coctam hic apponere non fruſtraneum ſolùm, ſed ingratum etiam eſſet futurum. Quamobrem ad ſecundum ejus argumentum, quod p. 35. (edit. nov. p. 71.) proponit, progrediendum nobis eſſet, quo arguit, *conceſſâ activitate figuris, non poſſe explicari quomodo medio motu, quem cauſant in cute, ſenſus communis poſſit determinari ad diſtinguendum objectum tactum, v. g. calorem reperiri in tali ſitu ſenſorii;* id verò explicari & poſſe & debere iterum tacitè ſupponens concludit: *Ergo figuræ non habent cauſare ſenſationem in cute medio motu &c.* Sed hoc etiam ſecundum argumentum

tum

tum eodem, quo primum laborare morbo & conſequentiæ languere vitio, in proclivi eſſet oſtendere, niſi epiſtolæ terminos jam dudum ſupergreſſa eſſet hæc diſſertatio, tantoque porrò futura prolixior, quò magis neceſſarium erit ad illam conſequentiæ nullitatem oſtendendam, generalem de ſenſatione doctrinam, ex eorum mente qui corpuſcularem ſectantur Philoſophiam, paulò pleniùs explicare. Nullus ergo dubito, FAUTOR OPTIME, quin, Te quoque judice, in occaſionem proximam aliam differenda videatur hujus ſecundi argumenti diſcuſſio. Tu verò vale interim cum tota ſplendidiſſima familia, &, quem dudum amas, amare perge

NOBILISSIMÆ TUÆ MAGNIFICENTIÆ

*Dabam Altdorffii Noricorum ſub ipſum Junii menſis, inſimulq; muneris moleſtiſſimi feliciter, ut ſpero, abdicandi finem,*

A. C. R. CIↃ IↃC XCII.

*Cultorem certiſſimum*

JOH. CHRISTOPH. STURMIUM, PP.

OBSER-

# OBSERVATIONES
## Circa humani corporis Teredinem,
*à*
## Cl. JOH. COSMO BONOMO,
Practico inſigniſſimo Liburni, una cum aliis Epiſtolica hac in Exercitatione
*Ad Eoos penes Heſperiosq; famigeratiſſimum, Illuſtriſſ. Franciſcum Redum, Italico ſermone Anno 1687. conſcriptæ, & Florentiæ typis impreſſæ, nunc verò Latinitate donatæ*
à
JOSEPHO LANZONO, Acad. Cur.

Illuſtriſſime Domine.

TUis doctiſſimis, amiciſſimisque auſpiciis, Vir Illuſtriſſ. teque, ut ita dicam, prudenter, manuducente, tibi notas illas circa Naturæ, vel ut ſanius eloquar, DEI opera admiranda proſequor Obſervationes, præcipuè exigua illa circa animalcula, quæ Inſectilia penes nos audiunt, & quæ olim à divino Poëta Dante, Græco vocata fuere vocabulo entomata, tunc cum Decimo de Purgatorio Cantu cecinit:

*Poi ſiete quaſi Entomata in defetto,*
*Siccome Verme in cui formazion falla &c.*

Dum ergo attenta curioſaque applicatione hæc anxiè perſcrutor, Obſervatumque exſcribo, Orbi fortaſſe literario ni perpo-

perpolito ſtylo, pura nitidiſſimaque ſaltem veritate communicandum, caſu fortuitovè ſe mihi legendum obtulit in celebri *Vocabolario dell' Academia della Cruſca* ab hujus Compilatoribus aſſeri Teredinem, qua utplurimum ſcabie infectorum cutis ſcatet, in perexiguis, ac minutulis animalculis conſiſtere; Ecce ipſiſſima Vocabularii verba: *Pellicello è un piccoliſſimo Bacolino, il quale ſi genera a' Rognoſi in pelle in pelle, e rodendo cagiona un' acutiſſimo pizzicore.* Idem ſentire poſtmodum obſervavi Joſeph. Laurentium in ſua Amalthea, dum ſcripſit: *Acarus. Teredo. Vermiculus exiguus ſubcutaneus rodens. Pidicello.* Et *Lit. T. Teredo. Vermis in ligno naſcens. Caries. Item Acarus rodens carnem ſub cute; Pidicello.* His itaque ſic lectitatis, iterata, ſedulaque experientia ſcrutandi prurigine tactus ſum, an dictæ Teredines animalcula verè ſint, ſerioque conſului eruditiſſ. Hyacinthum Ceſtonium, ejus in experiendo probatæ ſedulitatis, quæ multo ante tibi Vir. Clar. innotuit. Multoties ergo obſervaſſe mihi conſtanter aſſeveravit, Mulierculas propriis è ſcabioſis filiolis acus extremitate neſcio quid educere, quod in lævæ manus pollicis ungue, alterius manus pollicis ungue compreſſum, in ipſa compreſſione aliquem parvum ſonum facere videtur, hoc autem educi à minutioribus tuberculis ſcabioſis, perfecta nondum ſanie ſcatentibus, vel ut vocitant immaturis; mutuâ quod itidem charitate inter remiges, & mancipia Balnei Liburnenſis, ſi ſcabies infeſtaret, fieri adnotavit. Inde ſubdidit non ſibi tamen certo conſtare, an Teredines è Vermiculorum cenſu forent, promptè tamen de eo certiorem ſe reddendi occaſionem daturam, multis experimentis in ſcabioſo quopiam, quo autopſia infallibili in affirmativam, vel negativam partem declinandum doceremur. Nec ſcabioſam comperire fuit difficile, qui interrogatus, ubi acrius, validiusve cutim ſibi prurire perſentiſceret, eruptiones multas cutaneas, puſtulaſque minutulas nondum ſanioſas exhibuit, quas vulgus appellitat *Bollicelle acquaiuole.* Acutiſſimæ ergo acus unam ex his puſtulis acie aggreſ-

BRITISH MUSEUM
NATURAL HISTORY.


fig. 3.
fig. 1
fig. 4.
fig. 2.
fig. 6.
fig. 5.
fig. 12.
fig. 10.
fig. 7.
fig. 8.
fig. 9.
fig. 11.
fig. 15.
fig. 13.
fig. 14.

Dec. II.

aggreſſus exprimendo aquei quidpiam cum eduxiſſem, fortè eduxi unà minutiſſimum globulum albicantis coloris vix vix lynceo obtutu conſpicuum, qui microſcopio obſervatus certo certius vermiculus eſſe deprehenſus eſt, Teſtudinibus aliqua ex parte conſimilis, colore candicans, fuſci aliquid in dorſo umbratilisque oſtentans, unà cum aliquibus radiis, piliſque oblongulis, ſex pedibus vivax, ad motumque agilimus, capite acuto, corniculis duobus, aut antennulis in extremo inſtructus, cujus icon exhibetur *Fig. I. & III.*

Sed neque hocce primùm conſpecto credulitas noſtra acquievit, ſed compluribus, aliiſque ingeminatis, variis in ſubjectis ſcabioſis, ætate ac temperie diverſis, ſexu nec non & anni tempore non uniſono, experimentis Teredinum eadem ſeſe nobis ſemper obtulit configuratio, adeò ut hac donata animalcula in omnibus ferè (ferè, inquam, quod, ne verum diffitear, in aliquibus comperire nòn fuit poſſibile) aqueis exanthematibus ineſſe microſcopio juvante deprehenderem.

Hæc ipſa quantumvis in externa humani corporis ſuperficie conſpicere difficilimum extet, adeo minuta dum ſunt, ſed & cuticulæ concolores, multoties tamen exteriùs per corporis ſuperficiem gradientes vidimus, & in articulationibus præſertim, ac rugoſis flexionibus cutiſque minutis plicis, ubi capitis acutie primum ſe inſinuare aggrediuntur, & adeò, ac in tantum fodiendo, & ſe contorquendo, moleſtiſſimum ſic pruritum excitantes, pergunt donec ſe penitus in cuticulam ſubinſerant. Sub hac haud difficili negotio videre fuit quas exiguas ſemitas à loco in alium rodendo, ac edendo inſculpant, ut quandoq; ex ipſis unum plura tubercula aquea concitet, quamquam & interdum duo, vel tria inſimul, & plerumque ſibi admodum proxima deprehenderimus.

Anxiè ſcrutabamur an hæ Teredines ova darent, iteratiſque multis, accuratiſque perquiſitionibus ſors tandem votis annuit. Teredine namque microſcopio ſubjecta, ut ejus

icon elegantiſſimo Iſaaci Colonnelli penicillo exprimeretur, hic ipſe dum huic penſo ſatisdat, à Teredinis poſterioribus partibus exſilire conſpexit minutiſſimum quoddam, ac inviſibile pene ovulum, colore albicante, fermè pellucidum, figura oblongula nucleum pineum referente, qualem exhibet *Figura II. & IV.*

Quo caſu in ſpem ulterius erecti hæc ova anxiè denuò perquiſivimus, multaque alia diverſis aſſecuti fuimus temporibus, verùm ſub microſcopio naſci nuſquam poſt hæc pari felicitate videre potuimus.

Ab his ovis, Clariſſime Redi, affirmari poſſe mihi videtur gigni Teredines, generatione cum cæteris omnibus Animalium generibus univoca, per maſculum nempe, ac per fœminam, quamvis neque amico Ceſtonio, neque mihi ipſi ſexus diſparitatem teſtata in dictis Teredinibus figura differens ſe obtulerit, quod diſcrimen fortè caſus exhibebit aliquando, vel minuta magis obſervatione prodibit, aut exquiſito magis reſervatur microſcopio, cujus generis Romæ audio tanto gloriæ fœnore ab inæquabili comperta ſolertiſſimo Joſeph. Campani, ut ſubticeam, quæ non ita pridem ab induſtriis Carolo Antonio Tortorio, & Marco Antonio Cellio comperta, concelebrantur.

Antedictis rite, & citra livorem penſitatis, in dubium revocari poſſent quæ à Medicinæ Authoribus de Scabiei cauſis recenſentur, innumeros namque inter Antiquos cum Galeno nonnulli eandem oriri putarunt ab humore melancholico, de quo tamen nondum rectè conſtat, in qua noſtri corporis provincia propriam genuinamque ſedem locaverit. A Galeno non viſus diſſentire Francus Sacchetti antiquus Vates Florentinus tum cum inter carmina dixit:

*De gran maſlinconia ſarei fuori,*
*la qual con molta Regna m' hà aſſalito.*

Alii cum Arabe Avicenna à ſolo ſanguine originem ducere ſunt rati; Alii ab atra bile ſalſæ commixta pituitæ.

Ben-

*Benche non sò, ſe queſti Autor fur giuſti,*
*E ſe diſſero il ver ne' lor Quaderni.*

Inter noſtri ſæculi Scriptores ſiquidem alii cum de le Boë Sylvio acidum pro Scabiei geneſi mordax à cruore evaporatum; Cum Helmontio alii particulare culpaverunt fermentum; Alii tandem ad acria confugere maluerunt ſalia, atque irritativa, in lympha vel ſeroſo latice hoſpitantia, per varia vaſa, & noſtri corporis ductus in cutem tandem derivata. An inter tot diſſides ſententias à tot graviſſimis ac doctiſſimis Medici orbis luminibus diſſentire, diverſimodèque philoſophari mihi inexpiabile nefas futurum ſit? Seu joco duxeris, ſeu, quod facilius, ſerio nunc jam ad id credendum propenſus ſum, ſcabiem, cutaneam nempe, ac qui contactu communicari ſolet morbum, nil aliud eſſe, quàm morſum, ſeu continuam, & pruriginoſam in noſtrorum corporum cute à memoratis vermiculis inflictam eroſionem. Unde per minimos ipſius cutis hiatus aliqua ſeri, ſeu lymphæ portione transſudante puſtulæ excitantur aquoſæ, intra quas ſolitam proſequentibus eroſionem vermiculis, ſe ſcabere tenentur homines, quo in actu cum pruritus iis irritatis procedat, moleſtum facinus proſequuntur, nec ſolummodo aqueas puſtulas perrumpunt, verum & cutem ipſam, & vaſculum aliquod minutiſſimum ſanguineum, unde poſtea exanthemata oriuntur, cruſtoſæ deglubrationes, & his ſimilia tædia.

Ex hucusque dictis, Exercitatiſſ. Redi, non omnino mihi videretur impoſſibile captu, cur ſcabioſa labes tam faciliter contagio propagetur. Teredines ſiquidem ſolo ſimpliciſque unius corporis cum alio contactu ex uno in aliud corpuſculum poſſunt commigrare facili negotio, adeo mira hæc velocitate donantur moleſtiſſima inſectula, quæ non ſingula ſemper ſub cuticula nidulantur, atque in cuniculis & cutaneis ſemitis deliteſcunt, ſed non deſunt ex iis, quæ extimam inhabitent corporis ſuperficiem, cuticulæ ipſi inſidentia, parata promptaque, quo cuivis, quod illis accedat, adhæreſcant,

ſcant, & ſicubi numero pauca ſedem fixiſſe ſit datum, mirè ovorum beneficio, quæ ibidem deponunt, numero in immenſum excreſcunt. Non itaque miram omnino, ſi per ſcabioſorum ſudaria, lintea, mappulas chirothecas, hisque ſimilia, quæ Pſora vexatis in uſu fuerint, ſcabies ipſa prolifica communicatione propagetur, ſat enim fuerit, ſi recenſitis Teredo aliqua ſemel adhæſerit; revera ſiquidem oculari ſæpius experimento didici, Teredines duobus aut etiam tribus diebus extra corpora noſtra vitalitate donari.

Sed neque captu difficile mihi videretur, cur ſcabies lixivialibus curetur lotionibus, balneis, inunctionibusque è ſalibus, ſulphure, vitriolis, hydrargiriis, præcipitato, ac ſublimato, aliisque hujus generis indolem nactis corroſivam, ac penetrantem, utpote quæ infallibiliter enecare valeant Teredines, etiam in intimioribus ſuis cuniculis nidulantes, vel per cutaneas ambages divagantes; quod ſcalpendo nunquam ſcabioſus aſſequi poterit, quantumvis non raro excorietur cutis ipſa non leviter, tam dure namque veſtiuntur pelle Teredines, ut non ita levi negotio oblædi valeant, accedente inſuper earundem perexigua mole, quò minus ſcalpentium unguibus dilacerentur. Pari pacto à tot internè aſſumptis, Medicorum ex præſcripto, Pharmacis haud divexantur, cum poſt oretenus longo tempore uſurpata remedia neceſſe ſit tandem, ſi tam contumacis moleſtæ affectionis omnimodam curationem aſſequi velint ſcabioſi, ut tandem tanquam ad ſacram anchoram ad recenſitas inunctiones confugiant. Quod ſi in Praxi contingere ſæpe ſæpius videmus, ut qui ſcabiem linimento eradicaſſe viſus, vix decem, duodecimque diebus ſanus, quaqua vorſum denuo contumacem hoſtem refloreſcere conſpiciat, non omnino id mirandum, unguento namque viventes Teredines extinctas fuiſſe contigerit, non autem ova in cutaneis, ut ita dicam, nidis depoſita, ubi eorum culpa renaſcitur repubeſcitque morbus, corrupiſſe, ac penitus peſſundaſſe judicandum; Prudenter idcirco aliquot diebus, etſi ſe

libe-

liberos dignoſcant, ultra conſuetum in linimentis aliqui perſeverant, quod eò facilius exequi valent, cum Unguenta cuti illinenda delicatulè, & grato odore poſſunt componi, cujus generis ea quæ è Manteca lutea è floribus Mali Aurantii, vel Roſarum rubrarum, cum convenienti particula Mercurii præcipitati rubri mixta parantur.

Hic inauditum hujusce Epiſtolæ Paradoxum obſignare ſtatueram, cum repentè Calcographo illud ipſum excudendum committendi prurigine tactus, Te, Vir Illuſtriſſ. exoratum volo, ut, quod ruditer delineavi, pro explicatione cæterarum aliquot Figurarum, quæ una cum Teredinis memoratæ Icone proponuntur, Laconicè ſubdam permittas.

*Quinta Figura* exhibet in ſua naturali magnitudine Cariem, quæ ferè in lignis duris, quæ pro ſui alimonia corrodit, ſedem ſuam habet. Hjus generis Caries à Scarabæis illis aligeris, magnis, ac nigricantibus gignitur, qui capiti inſerta geſtânt bina cornua, vel antennas procerrimas, easque nodoſas, quales in *Figura VI.* videre eſt. A Ruſticis Liburnenſibus nuncupantur *Scarafaggi Peraiuoli*, pyris enim lubentiſſimè aluntur, & utplurimum circa hujus generis Arbores circumferuntur, vel alias hujus ſimilis naturæ impetunt. Cum ergo à Scarabæo maſculo fæmellæ fœcundata ova fuere, hæc ab ipſa deponuntur velut in nido, non ſolum ſupra hiatus, aut ſcabrities craſſiorum caudicum ligni ante diſſecti, & aliqua ſui parte corrumpi cum ceperit, atque vitiari, ſed & in fiſſuris ligni morticini, atque corticum ipſarum arborum viridium, ac vegetantium. Recenſitorum ovulorum ex quovis brevi, triduo nempe, vel quatriduo ad ſummum, perexiguus naſcitur vermiculus, vel Termes, qui ſenſim, pro pauculis ſuis viribus, & pro ſui indigentia, quæ cum viribus ſemper incrementum capit, corrodit, & corrodendo amplos, profundosque in ipſo ligno ſibi parat hiatus. Quolibet ſecundo circiter menſe, æſtate præſertim, ſpolium deponere conſueſcit, & in rodendo perſeverans ſui corporis mole creſcit, quousque

annum

annum vivat, quandoque duos, & interdum tres annos integros, quod usque ad tempus non paucos viventes ſolerti diligentia noſtri D. Ceſtonii ſervatos teſtamur vidiſſe. Nihilominus tamen brevius, diuturniusq́ue eorum tempus à duriori, vel molliori, metiri conſuevit ligno, quod Cariei cedere debet in nutrimentum; ubi enim naturalem ſibi aſſecutus fuerit magnitudinem, in Chryſalidem transformatur, & in hac figura viginti circiter diebus immobilis, iterum ſpolia deponit, & è ſpoliis prodiens ſe alis videndum exhibet inſtructum, qualem memorata *Figura VI.* repræſentat.

*VII. Figurâ* exprimitur Vermis, ſive Caries, quæ poſtea in Scarabæum pillularium, & in Scarabæum ſtercorarium transformatur. Quemadmodum *Figura VIII.* ipſe ſtercorarius repræſentatur Scarabæus, ac *IX. Fig.* pillularius itidem inſculpitur Scarabæus.

Porrò innumeræ penè ſunt ſpecies Carierum, quæ ligna, radices, & alia hujus generis inhabitant. Hæ omnes ut antedictæ ſuo tempore volantes evadunt Scarabæi. Inter has illud verum comperi, de quo te anno anteacto certiorem factum mihi exponebas, Vir Eruditiſſime, anno nempe integro exacto in volantes Scarabæos migrare Inſectilia illa grandia, rubra atque piloſa, quæ quandoque ſubter terram Betularum rubrarum radices, & Allium ipſum corrodere comperiuntur, de quibus memineras in acceptiſſimo toti Orbi literario Libro tuo *de Inſectorum geneſi.* Prout & pariter in Scarabæos verti Vermes illos, qui in vireſcentibus adhuc comprehenduntur Avellanis, dum adhuc de frutice pendent, vel non multo ante collectæ fuêre, nondumq́ue à putamine vindicatæ; Qua de re te nondum certum reddideras, cum publici juris feciſti antedictum *de Inſectorum geneſi* Librum. Ejusdem Vermis ectypon damus *Figura X.* & Scarabæum *XI.* & *XII.* Dixi Vermes illos, qui in vireſcentibus adhuc comprehenduntur Avellanis, nondumq́ue à putamine vindicatis; quoniam qui in aridis, & deglubratis naſcuntur Vermes, prout & in Amygdalis,

gdalis, Pineisque, Peponum, Cucumeris, Cucurbitæ, & hujus generis ſeminibus oleaginoſis, alterius ſpeciei ſunt Vermes, Erucarum videlicet & Bombycum. Nam quidam parvi papiliones ſupra hæc ſemina oleaginoſa deponunt ova ſua, ex quibus Erucæ naſcuntur, qui determinato tempore inde aufugiunt, ſique præſtare id non valeant, exiguos ibidem folliculos conficiunt: ſi autem fuga permittatur, illuc ſe occultatum aufugiunt, ubi naturali edocentur propenſione, ibique ſibi folliculos conſtruunt, à quibus duarum, & quandoque trium hebdomadarum ſpatio perexigui erumpunt Papiliones, qui ova iterum ſupra memoratos deponunt fructus oleaginoſos, geneſim bis & quandoq; ter in anno innovantes, pro decurrentium tempeſtatum varia temperie; Et ab his Inſectulis oleaginoſis fructus corrumpi, & teredine confici pendet, non autem quod, prout Vulgus arbitratur, jam tum ſenuerint. Sartos tectos multis annis ipſe potui in vitreis vaſis vel terreis ſaltem benè obſignatis ſervare, nec cariem contraxêre, ſi ſtatim repoſuerim ac à putamine educti fuerint. Nec ſecus Dn. Hyacintho Ceſtonio contigit, qui inſuper Jalappio ſervato quam diligenter in vaſe optimè clauſo, decem, & duodecim annis idem ab omni carie ſervavit immune; Nec Jalappium ſolummodo ſervavit, ſed & alia hujus cenſus, Mechoacannam puta, Chinæ radicem, Rhabarbarum, Rhaponticū, Hermodactylos, & omnia quæ Pharmacopœis uſui ſunt, & quæ cariei maximè ſubjacent; ſed horum Teredines non ex eorum Vermium ſunt ſpecie, qui oleaginoſos fructus inſectantur, ſed è Scarabæorum claſſe, magnitudine tamen, ac figura quam maximè diverſi.

Non auſim tamen inficias ire è longinquis regionibus ad nos delata Remedia, non niſi difficulter admodum ſervari, ſed id inde potiſſimum pendet, quod longi itineris tempore incuriosè nimis, nec debita diligentia ad nos advenerint; unde nulla nobis ſit certitudo jam in ipſis Teredines ova non depoſuiſſe. Quò autem extra dubium id certò con-

ſtet, Annus integer ad id requiritur; quod ſi hoc temporis intervallo, dum ſimplex illud exoticum optimè clauſum permanſerit, nullum volitans enaſcatur animalculum, teredine ab omni futurum poſthac immune, ſi in diligenti cuſtodia impoſterum ſervetur, ipſa certitudine certius exiſtet. Quod de exoticis ſimplicibus medicamentoſis aſſero, & de Conditis, quæ ni ſub diligenti cuſtodia ſerventur, ab iis non ſolum corrumpuntur Teredinibus, quæ in eos Scarabæos poſtea faceſſunt, quorum exhibuiſti tu, Redi exiſtimatiſſime, figuram illo Tuo *de Inſectorum geneſi* Libro, Tabula XVII, ſed à quibusdam inſuper aliis minutiſſimis Inſectulis, quæ etiam in Caſeo enaſcuntur, prout mox exponam, dicta ſunto.

De Vermibus qui in recenti Caſeo naſcuntur, & qua ratione in ipſo naſcantur, & in quæ animalcula, ſeu volantes muſculas transformentur, verè tanquam ex cortina in tuo aureo toties recenſito *de Inſectorum geneſi* Libro, locutus es, Redi eruditiſſime. Noſti tamen, aliquot ante annos à nobis, unà cum Dn. Ceſtonio, dum hîc Liburni Aulicorum cœtus, cum Sereniſſimo M. Duce diverſaretur, ſæpe ſæpius in arefacto caſeo aliam fuiſſe obſervatam, à recenſitis diverſam ſpeciem; & hujus ſpeciei quidem Iconem exhibeo *Figura XIII.* & *XIV.* prout & *XV.* Ovum eorundem animalculorum exprimitur, quæ repræſentavi, qualia Microſcopio, quod in præſentiarum penes me extat, videre valui, imò & paulò ampliora. Eorundem figura aliquantulum ab illa recedit, quam anno nuper exacto Romæ publici juris fecit celebris Tortonius, obſervante Erudito Joſepho Teutonico, ſed diverſum nihil hucusque mihi obtulit mei pertenuis Microſcopii adminiculum.

Reapſe diſtingui vix poteſt hoc minutiſſimum Inſectum extremæ ſuæ parvitatis ratione, niſi adminiculante ipſo Microſcopio, vixque meorum ope lentis, vel paulò magis ad amplitudinem ſe exhibuit. Colore albicat, diaphanum, ac quaſi rotundum eſt, octo fertur pedibus, caputq; in acutum protenditur. Curioſum in ipſo ſpectaculum offerunt aliquot, ut ita

ut ita dicam radii oblongiq́ue ſtimuli, quibus Hiſtricis adinſtar dorſum oſtentat armatum. Ab ipſo dorſo recta, & rigida aſſurgunt, ſemper æquidiſtantia, quaſi in Animalis defenſionem; & ex eo quod conſpexi, nunquam concidere credere poſſum, quemadmodum cæterorum animalium piloſorum pilos & attolli, & concidere animadvertimus. Nullus ergo eſt, qui oculo tantum hæc Inſectula diſtinguere valeat animalia viventia, quantumvis tanta copia, & numero in prævetuſto caſeo compareant,

*Che meglio conterei ciaſcuna foglia*
*Quando l' Autunno gli arbori ne ſpoglia.*

Et in ipſo Caſeo rodendo, & edendo cavernas adeo capaces conſtruunt, ut Teredinum uncia, quæ ipſarum multas ſervaret myriades, nullo poſſet educi negotio.

Hæ Teredines non ſolùm in Caſeo diverſantur, ſed & ſupra omnes fructus dulces exſiccatos, puta Ficus, Uvam paſſam Damaſcenam, Staphidemq́ue, Pruna, Amygdalas, Nucleos pineos, ſemina Peponum mundata, Oryzam, aliaq́ue hujus generis, inficiendo inſuper Tragemata, Conſervas, Diacydoniata, Electuaria, & cæteras alias Pharmacopoliorũ Confectiones, quæ ni exquiſitè clauſæ riteque ſervatæ, & quandoque reviſæ detineantur, orgiis & horum Inſectulorum, quæ ferè ſupra omnia eſculenta nidulantur, tripudiis, & epulis ancillantur.

Hæc tanta Animalculorum copia à Cupedinariis, omne aliud ignorantibus, Caſei pulvis nuncupatur, ipſisq́ue verè pro pulvere habetur. Eſtq́ue particulari dignum animadverſione, Redi omniſcie, hiſce Inſectulis nec æſtivos obeſſe fervores, ſed neque rigidiori hyemis intemperie obrigere, ſed ſemper quavis anni tempeſtate, interturbatè vitam proſequi, & in immenſum ſoboleſcere; Et quidem conſueto naturali modo, quo cætera omnia multiplicantur animalia, marium videlicet cum fœmellis, copula, procreationis penſum abſolvunt, qua unione fœcundata ova, & poſtea fœminis depoſita,

omni, in loco, obſtetricante natura ab iisdem exigua naſcuntur animalcula arido in Caſeo viventia, nusquam in volatilia mutantur; adeoq́ue Ova illa ſunt perexigua, ut nec ipſo Microſcopio ſit tam facile ea ipſa confeſtim diſtinguere alba tamen ſunt ac diaphana, non ſecus ac matres, Figuræ illius, quam *Numero XV.* exhibui. Sed de his fuſius ſuo tempore, cum omnia à me de Inſectis obſervata typis evulgabo, ſervata ſemita, quam annis proximè elapſis tanta tua tibi gloria complanaſti & direxiſti, Vir ampliſſime. Neque de Inſectis ſolummodo terreſtribus à Te in Libro *degli Animali viventi, che ſi trovano negli Animali viventi*, recenſitis, quæ ſunt externæ Navigiorum Teredines, verba faciam, ſed & de iis quæ dicuntur Dattili, Carie nempe Saxorum marinorum, & Scopulorum pertractabo, ſpe ductus, futurum, ut evidentiſſimè oſtendam, hæc & alia conſimilia Animalcula, quæ Zoophyta & Plantanimalia dicuntur, quo propagentur, particulari ſeminis geneſi gaudere, & quidem Plantis conſimili, in quibus nec ſexus diſcrimen, nec maris cum fœmina copulam urget ulla neceſſitas. Tandemq́ue, Te Illuſtriſſime Vir, enixè deprecando, ut Tibi ſaltem meum deſiderium, quo alicujus veritatis detegendæ exæſtuo, gratumq́ue ſit, Hyacinthi quoque Ceſtonii nomine obſequii mei perennis conteſtatione, humilimè me tibi ſubmitto. Vale. Liburni xv. Kalend. Sextilis M. DC. LXXXVII.

TUUS VIR ILLUSTRISSIME

*Obſequentiſſ. Servus & cliens*

JOH. COSMUS BONOMUS.

PARAL-

# PARALLELISMUS AD OBSERVATIONES

In Anno I. Decad. I. Ephem. Curioſ. contentas,

*OPERA*

ROSINI LENTILII, ORIBASII

collectus.

## *B. C. D.*

## Ad Obſ. I. Ann. I, Dec. I.

EXemplis fetuum in uteris maternis corruptorum, & poſtea fruſtulatim excluſorum à beatiſſimo Scholiaſte *Phoſphoro I.* adductis jungere licet Illuſtriſſimæ cujusdam viduæ Comitis, quæ ſe gravidam per tempus bene longum credidit, ſignis omnibus præſentibus (antea namque aliquoties pepererat.) Denique vero ſpe uteri decollante ſenſim alvus detumeſcere cœpit, fetu per fruſtula putrida, paulatim, immo menſtruo ſpatio, prodeunte. Novimus quoque aliam Illuſtriſſimam Comitem, quæ ſe gravidam rata, intumeſcente alvo, immo percepto, poſt 18. circiter hebdomadas, motu manifeſto, fuſis etiam publicitus ad Deum pro felici partu precibus, & inſtructo jam omni apparatu, alvum paullatim, ſine tamen ſonoris flatibus, deluſa ſpe, ſubſidere ſenſit, eadem quoque ſterilis, qualis illa fuit *Harvei*, cujus à *B. Sachſio* ibid. injicitur mentio.

## Ad Obſ. XIII.

QUæ nobis per Microſcopium viſa, & quatenus cum adductis à *B. Phoſphoro I.* conſentiant, in ſequentibus adducere mihi pretium operæ viſum:

### I. Opera artis.

CHarta tenuiſſima non tantum ſuperficie quadamtenus apparet ſcabra, ſed & ejus textura è filis tenuiſſimis perfunctorie coagmentatis, & quaſi carminatæ lanæ (gekartetſchter Wolle) ſimilis. Margines autem ejus, qua forficem non ſunt paſſi, lacinias referunt, inſtar telæ lineæ violenter diſruptæ, ut quis putet ipſa ſe fila linea internoſcere poſſe: Quidam vero margines etiam forfice acutiſſima ſciſſi, non tamen ſunt plani, ſed eminentiis minimorum filorum interſtincti: nec tantus eſt chartæ candor, qualem inermis oculi intuitus exhibet, ſed viſitur inſtar bibulæ chartæ obſcurè gryſea. Multis itidem charta hæc eſt pertuſa foraminulis, ita ut hyperici quaſi folia mentiatur.

*Charta ſcriptoria craſſior*, easdem, qũas *Borellus* deſcribit, ſcabritiem & colles hinc inde oſtendit, cæterum tenuiori æqualis.

*Charta bibula* ſcabroſiſſima eſt, & carptæ lanæ ſimillima, craſſitie quoque referens telas laneas levidenſes. Ejus extremitates, etiam acutiſſima forfice ſciſſas, non planiores eſſe putares, quam ſi laceratam bibulam oculo inermi conſpicarere: ſunt præterea intertextæ fibræ multæ, ceu foliorum malvæ, cum filis varii caloris, rubris, cœruleis, aliisque.

*Charta cœrulea* denſior exactiſſime referebat gauſapes illas laneas villoſas, cœruleo colore tinctas, quibus operiri ſolent lecti, (die zottigten Kozzen oder Matrazzen) Tenuior vero pannum cœruleum tenuiorem.

*Membrana Pergamena* tenuis nil ſingulare præ ſe ferebat, niſi quod maculis obſcuris multis eſſet variegata, nec

ejus extremitates forfice ſciſſæ planæ apparerent, ſed prominentibus quaſi fibris multis.

*Charta diverſi color*, quam *Turcicam* vocant, amittit heic omnem gratiam; ſiquidem non levis eſt ejus ſuperficies, ſed aſpera: Colores autem illi adeo non blandiuntur oculis, ut potius referant linteum ſanguinolentum, intermixta hinc inde ſanie varii coloris.

*Scriptura ſuper chartam atramento facta* nigredinis quidem aliquid retinet, ſed intermixta albedine, quaſi dicas litteras multis millibus foraminulorum pertuſas. Litteræ fili ænei, quo tibialium Textores utuntur craſſitiem æquant. Eadem eſt ratio litterarum typis impreſſarum, qua rubrarum, qua nigrarum.

*Vitrum craſſius*, quod Waldglas nominant, gummi Arabicum aut pectinem corneum luci admotum refert. *Emblemata Smiride vitris inciſa* ſcabroſa & aſpectu prorſus injucunda ſunt, foſſis irregularibus hinc inde excavata & aſpera, veluti, ſi quis hyeme rigidiſſima feneſtras glaciatas, & quaſi virgultis aut herbis pictas ſpectaret. *Vitra ex oſſibus animalium conflata*, matris perlarum æmula ſunt. *Speculum* poſtica ſui parte, qua Mercurius illinitur, referebat quaſi marcaſitæ ſuperficiem, aut ſpumam fuſi plumbi rugoſam.

*Acus netricum* mediocris cuſpis erat obtuſus, velut ſtyli orichalcei, quibus inſcribere ſolemus palimpſeſtis. Foramen erat longe amplius, ac obeliſcorum, quibus ad pegmata fulcienda mulieres utuntur.

*Acies ſcalpelli acutiſſimi* limam tenuiorem referebat, ejusque ſuperficies inſtar ſpeculi polita, non multum ab ejusmodi lima abludebat.

*Punctum, diſtinctionis ſignum*, ſuper chartam, non equidem caſtaneæ magnitudinem habebat, ſed piſi tamen majoris, at non, quale putatur oculo-nudo, rotundum exactè, ſed prorſus irregulare fuit.

*Sericum* duplicatum viride, rubrum, cæruleum, equidem

dem coloribus mihi nil mutata comparebant, ſed textura fere nulla ſeu continuitas aderat, quaſi quis ſetas temere colligaſſet: duplicaturæ tamen contortæ laqueos minimum digitum craſſos referebant. Eodem fere ſe modo habebant *fila ex urticarum fibris contexta* (Neſſelgarn) niſi quod horũ fibræ fibris ſericeis aſperiores viderentur. *Filum lineum duplicatum* tenerrimum chordam æquabat craſſiſſimam panduræ maximæ.

Qui conſpicatur cujuscumque coloris *ſupparos* (Flor) juraret ſe cribrum majus videre, jucundo ſpectaculo. *Tænia ſericea* ſubtilis referebat cingulum ephippiorum, quo equorum venter præcingi ſolet. *Pannus à Germ.* Schetter *vocatus* ſimilis erat thecæ arenariæ, in qua ſolet adſervari arena ſcriptoria.

*Fides minimæ* panduris adhiberi ſolitæ, pollicem craſſitie æquantes inſtar ſtiriarum reſplendent, ita tamen, ut in earum medio compareat quaſi filum æneum nigrum, quaſi dicas, filum æneum ſaccharo cando incruſtatum. *Seta porcina* non videbatur unum quoddam corpus, ſed ex multis minutiſſimis filamentis compacta.

In regno vegetabili circa herbas, & ejuscemodi experimenta tempore hyemali, quo hæc ſcribimus, inſtituere non potuimus.

## II. Opera Naturæ.

IN *pulice* omnia vera comperi, quæ Auctores loco dicto ſe vidiſſe teſtantur, ut & in *pediculo*, monſtroſo plane & horridiſſimo animali, ſquamoſo quaſi, & rhinoceros referente.

*Acari* vero *caſearii* longe eſt elegantiſſima ſtructura; ſiquidem microſcopio examinatus piſum majus æmulatur, rotundus propemodum, pluribus iisque minimis pedunculis, & aquæ limpidiſſimæ guttis contra transparens.

## Ad Obſerv. XXIV.

QUem ibi tantis laudibus in compeſcenda rebelli narium hæmorrhagia comendat ex Alumine & lacca pictoria inſuffla-

ſuffla-

ſufflatum naribus pulverem Excell. *Hertodius*, eum à me multoties & nunquam ſine fructu in ejusmodi caſibus adhibitum, iterum atque iterum ceu laudatiſſimum & præſentaneum βοήθημα bonis omnibus commendo. Cæterum ab æſtu ſolari frequentiùs & mihi obſervata narium hæmorrhagia ſatis interdum pertinax & periculi plena.

## Ad Obſerv. XXXV.

ANno 1688. *Nordlingæ* comoratus eſt Ardelio quidam Textor, nomine *Jacob Stern*, *Zometshuſam* haut procul *Ulma* ſibi patriam aſſerens. Is temere ſatis & confidenter eſſe ſibi myſterium prædicabat, cujus beneficio poſſet mutis à nativitate loquela dari. Verſabatur hic loci Textor civis, cui filia 22. circiter annorum erat, non quidem à nativitate muta, ſed, cum vix vivendo ſemeſtre compleviſſet, caſu quodam & aurium uſu & linguæ orbata; ingenio tamen adeo docili, ut non tantum animi ſui ſenſa ſcribendo ſcitiſſime noſſet exprimere v. gr. Si Confeſſionarius ei de Chriſtianiſmo quæſtiones præſcriberet, eas reſponſione ſcripta haut inepte ſolveret, quin & confeſſionem ſuam ſchedulæ inſcriptam ei confeſſura traderet, verum etiam artificioſe pingeret, quidquid vellet; qua ratione moti ejus loci Theologi, eam ad Cœnam Dominicam haut inviti admiſerunt. Pater ejus Thraſonis obſcuri, qui tamen ipſemet cum balbutiebat miſerrime, tum difficulter audiebat, fama percitus, quippe qui jamjam mutos undecim, & *Ulmæ* quidem Suevorum binos ſemet curaſſe, vaniſſime gloriabatur, filiæ quoq; ſuæ curam ei credebat. Aggreditur hic opus audaciſſime: Egomet & Chirurgus, ut operationi miraculoſæ præſentes adeſſemus, vocamur, immo Magiſtratus auctoritate compellimur. Adminiſtrata primum in fronte phlebotomia, tribus poſt diebus pertuſæ raninæ; nullo interea medicamine utebatur, præter parato ex herbis cephalicis lixivio: præterlapſo rurſum triduo primipilarem ipſe operationem exercuit, recipiendo novaculam, cujus acie findebat linguæ margines

utriusque lateris, verſus apicem, infligendo vulnus transverſim, ad unius unciæ profunditatem exſtillante plurimum cruore. Elapſis hinc tribus, ait impoſtor, diebus, quæcumque libuerint, eſt locutura virgo; ego vero, pergit, *Vindelicorum* interim *Auguſtam* deproperabo, pecunias ibidem depoſitos, & avthentica curarum mearum teſtimonia hinc allaturus. Abiit, exceſſit, evaſit, erupit, fortaſſe nunquam rediturus. Ædes meas trifurcifer me viſitatum acceſſit, ſed cum ſermones cum eo varios miſcerem, rudiſſimum hominem comperi, nec ullam omnium ſuarum operationum rationem reddere potentem. Quin &, cum Patri dicerem, poſito, quod lingua loquelas hac ratione aptaretur, auditui tamen haut fore conſultum, & ſi huic etiam, non tamen locuturam eſſe puellam, quod loquentes antea nunquam audiſſet, hinc artificis dolum poſſe deprehendi: diſcendam enim tunc eſſe virgini linguam vernaculam, haut ſecus atque infantibus. Enimvero fabulam ſurdo canebam. Fuerunt heic *Nordlingæ* viri non è fece, qui ſe ſalvos ope hujus impoſtoris futuros ſperabant, podagrici, hydrocephalo interno laborantes, gibboſi &c. ſed ſpe ſua ſinguli exciderunt.

## Ad Scholium.

QUod *Borellus Cent.* 4. *Obſ.* 23. de Nauta recenſet, à quinto ætatis anno per morſi violentiam ſurdo facto, cum difficultate loquelæ, qui ſubmiſſa voce loquentes, immo labia tantum motitantes, nullo emiſſo ſono, intellexerit, ac ad petita reſponderit, idem & ego ante annos non minus 26. in patria mea *Waldeburgo* vidi. Vixit enim ibi Paſtor pecudum ſurdus, qui promptius intelligebat ſubmiſſa voce loquentes, quam clara. Nec ad rationes à *Borello* allatas confugiendum cenſemus. Siquidem ejusmodi ſurdi loquentium labra acutiſſime obſervantes, & ex horum vario motu vocum vim perdiſcentes, propterea ſubmiſſe loquentes, me quidem judice, promtius intelligunt, quod in communi quoq; vita qui ſubmiſſius

miſſius loquuntur magis labia diducere, & ſubmiſſitatem, ut ita loquar, vocis, labiorum ſollicita magis agitatione, penſare ſoleant, quam ubi clarius loquuntur; hinc minor ſurdis difficultas naſcitur è labiorum motu ſermonem colligendi.

## Ad Schol. Obſ. XLIV.

LApides è veſica bovilli fellis cumprimis in *Saxonia* longe frequentiſſimos vidi. Lanio quidam haut procul *Lipſia* vendebat eorum pollinem ictericis, & ejus profecto admirandos ipſemet effectûs conſpexi. Ejuſce ℈j. in vino calente, ceſſante mox ictero propinabatur. Erat ex obſcuro fulvus, & naribus propius admotus ſternutationem aſſumti ad inſtar ptarmici percipiebat. Quæ ſit effectus tanti ratio, ſagaciores latere non poteſt. Sal nempe volatilis, cujus in iſtis lapillis abundantiam vis ptarmica & odor acerrimus produnt, aptus eſt bilem viſcidam attemperare, porique Choledochi infarctus expedire.

## Ad Obſerv. XLVI.

ANte triennium apud nos vixit caupo 25. circ. annorum, vir robuſtus, toroſus, &, qua faciem externam, morti bellum indicturus: cœpit ille vertiginis quadam ſpecie, vel quaſi, ſenſim tentari, non ita quidem, ut in gyrum rotari objecta viderentur, ſed, ut capite, quaſi pro corporis exigentia mole graviore temulenti ad inſtar iturus titubaret, ſic ut ſucceſſu temporis erectus incedere non poſſet: In lecto autem cubans vertiginis omnino nihil ſentiebat. Conſtabat ſibi appetitus: lingua gravis, ſubtumida facies, ſermo balbutientis, caput quaquaverſum flexum aquæ fluctuantis ſonum præbuit: erat quoque ſurdaſter. Suſpicionem mihi poſt bene longum temporis intervallum vocato fecit hydropis cerebri, & affectûs per Medicinam vix ſuperabilis. Ordinavi varia, Decoctum lignorum, apophlegmatiſmos, errhina, veſicatoria &c. Abraſis itid. capillis applicatæ cucuphæ. Denique Conſilium de

ſalivatione cepi. *Wepferus* illuſtris, veſicatorium toti cranio inducendum ſuaſit in amiciſſimis ad me datis; interim apoplexia forti correptus occubuit. Hiſtoriam iſthanc recenſeo, quod aliquibus hic affectus ſit vocatus hydrocephalus internus: An ſatis appoſite, me quidem latet? qui potius arbitrabar eum hydropem cerebri eſſe nominandum; quamvis affectum vix eſſe curabilem cenſeam, quod medicamentis ob tot intervalla non facilis in cerebrum ſit aditus pro ejusmodi fonte aut exſiccando, aut exhauriendo, niſi fortaſſis euphorbium pro apophlegmatiſmo quibusdam empiricis uſitatum heic aliquid profecerit.

## Ad Obſ. LI.

HEmicraniæ, ſi ita modo nuncupandæ, mihi complures jam obſervatæ, qualis eſt illa periodica à *Bartholino* notata. Triennium eſt, quod in muliere noſtrate recurreret ſingulis diebus ejusmodi dolor in dextra capitis parte à fronte verſus maxillam, oculum & naſum. Incipiebat hora matutina octava, durabat ad ſecundam pomeridianam, cum dolore adeo acerbo, ut non raro animo linqueretur. Haut ita multo poſt *Wemdinganus* Molitor eadem affligebatur ab hora nona antemeridiana ad usque pomeridianam quartam, ſic ut vererentur, ne totus mente alienaretur, aut mortem ipſi ſibi conſciſceret. Organœdus Illuſtriſſ. Baronum de *Welden* in *Hochaltingen*, Dominorum meorum gratioſiſſimorum eundem patiebatur ab hora pomeridiana prima, ad usque ſextam veſpertinam; & hactenus à me plures obſervati, omnes triginta inter & quadraginta annos, ætate conſtitui; ceſſante paroxyſmo, quocunque vellent patientes ibant, nec ullum ſui veſtigium dolor relinquebat. Incaſſum tentata pleraque, narcotica quoque, aliaque in hemicraniis laudari ſolita. Singuli autem à me brevi curati ope pulveris errhini, ſub elæoſacchari cephalici ſpecie naribus attracti, cujus beneficio intra paucos dies è nare lateris dolentis mixta cruori ſanies exſtillavit,

lavit, cum ægrorum convaleſcentia, unde liceat hariolari, ſanguinis potius iſtud, quam lymphæ vitio contigiſſe, quod ſerum in pus abire non ſoleat. Quæ autem ſit exactæ periodi ratio, vix determinare valeam, tametſi mihi, quod ſtatuam, omnino non deſit.

## Ad Obſ. LVIII.

A Scabie retropulſa mihi haut equidem apoplexia, ſed aliquoties viſa phthiſis perquam difficulter curabilis, & ante hos ſex circiter annos in juvene Ruſtico 20. annorum hydrops anaſarca, quam ſudoriferis potiſſimum brevi temporis ſpatio fugavi. In Illuſtriſſimo quodam Comite, cui Medicinam facimus, retropulſa à decimo, nî fallimur, ætatis anno, tinea, nuchæ vel occipitis dolorem gravativum continuum excitavit, jam ultra 19. annos durantem, & forte duraturum, nî meo obtemperans conſilio fonticulum occipiti inuri patietur. Nam hactenus celeberimorum in Germania Practicorum, quin & Archiatrorum Cæſareorum Conſilia nil adjumenti tulerunt.

## Ad Obſ. LXXVII. Schol.

FLammas è ventriculis eorum, qui ſe vini vel frumenti ſpiritu lautius invitarunt, ſæpe ſæpius erumpere, in terris ſeptentrionalibus, cumprimis autem *Polonia*, *Ruſſia*, *Curlandia*, *Livonia*, non eſt inſolitum; iſti namque populi ſympoſia celebrare ſolent, potatione iſtorum ſpirituum, totosque calices ἀπνευστί exhaurire, hujus adeo ſtudioſi, ut, quorſumcunque veniant, cumprimis *Poloni*, ubi ſuæ linguæ ignaros alloquuntur, poſcant *Crematum* (ſic enim, qui Latinas callent, vini ſpiritum appellare ſueverunt) quo propinato grandi *Polonos* beneficio ſibi devinctiſſimos reddit. Ante hos 17. annos, vel circiter in *Curlandia* tres Nobiles, quorum Nominibus parco, certatim id liquoris hauſerunt, ſed exitu tam funeſto, ut eorum bini, prorumpente è ſtomacho flamma miſere

ſere perierint, tertius, cognomen à piſce mutuatus, piſcis fortaſſe naturam æmulatus, lauream ſpirituoſi helluonis vix aut ne vix quidem reportarit. Medentur aut affatim infuſo lacte, aut alicubi ſepeliendo collotenus in ſterquilinium, cubile ſcil. ejusmodi ſcrofis apprime dignum. Cæterum de flammis è ventriculis demortuorum, eorum itemque inteſtinis erumpentibus, quod de luce animalium teſtentur, & phosphoris Hermeticis accendant phoſphorum, vix eſſe dubitandum cenſemus.

## Ad Obſerv. LXXX.

INclementiorem videtur Excell. Auctor ſemet præbere inunctioni Mercuriali, quam illa forte commeruerit, cum inſons immo nobiliſſimum juxta ac præſentiſſimum non tantum in venerea lue, (cui ſoli hanc mancipare ſuſtinet, nec tamen, niſi tentatis incaſſum omnibus) ſed & aliis morbis plane Herculeis, mecum, nî fallor, ſint experti quamplurimi. Non operoſus nunc ero in adducendis aliorum teſtimoniis, qui ſalivationem id generis in cephalæis inveteratis, ſcorbuto confirmato, hydrope, elephantiaſi, aliisque feræ ſcabiei ſpeciebus, obeſitate nimia &c. proficuam ſemet expertos confirmant. Sed quid ipſi mihi ante quadriennium contigerit, fideliter enarrabo. Baro quidam Illuſtris 51. annorum ſcorbutica labe quam diutiſſime afflictus, cum pruritu cumprimis totius corporis, & parvis exanthematis conjuncta, Medicorum quorundam Conſilio uſus, meris exſiccantibus ex Decocto & extractis lignorum, horumq; ſimilibus, eo denique redactus eſt, ut non tantum atrophia ſcorbutica ſuccederet, verum & pituita, qua ſcatebat, adeo denſaretur, ut glutinoſa ac tenaciſſima, non poſſet, niſi ſumma cum difficultate exſcreari. Vocatus ego varia non ſine fructu exhibui, debellare tamen mali ferociam fruſtra ſuſtinui, recrudeſcentibus adeo primo vere ſymptomatis, quæ frigus hybernum conſopiverat, ut collum ulcere profundiſſimo fœda-

retur

retur, macies autem in tantum increſceret, ut cutis vix oſſibus hæreret. Communicato cum aliis Medicis, Amicis meis atq; Fautoribus, conſilio, ad ſalivationis anchoram confugere decrevi, non obſtante, quod magni nominis Viri propoſitum audax diſſuaderent, cum ob fauces jam ante exulceratas, tum corpuſculi ſummam extenuationem. Erigebat animum, quod appetitus ſibi ſemper conſtaret. Propinatus Primò leniter purgans hauſtus è calabrina manna cum ſolutivo roſarum Sirubo, dulci addito Mercurio, diluente aqua malvæ. Secundò. Inunctio diebus tantum alternis facta, unguento ſimpliciſſime parato è crudo hydrargyro per corium trajecto, quod unguento reſumtivo officinali ſubigebam, addito ligni rhodii oleo: uncta calide dorſi ſpina à nucha ad coxendicem, præterea nil articulorum. Tertiò. Emplaſtrum vigonis de ranis cum Mercurio quantitate thaleri duplicis nuchæ applicatum. Quartò. Intus mane & noctu ad juglandis quantitatem electuarium capiebatur ex Electuario nobis uſitato reſumtivo, admixto certa proportione Mercurio dulci. Quintò. Conclave non erat intenſe calidum, nec ſemper decumbere juſſus æger. Imperata diæta tenuis, ſed ea tamen, quæ viribus conſervandis ſufficiens. A tertia inunctione ſecutus ptyaliſmus blandiſſimus, ſine dolore notabili vel fauciũ vel gingivarum. Duravit præterpropter ad dies 5. l. 6. cum inſequente euphoria & valetudine; ubi notandum ante inunctionẽ eum tanta raucedine à 4. ſeptimanis laboraſſe, ut ne clarum efflare halitum potuerit, vix autem ſaliva fluxili reddita vocem rediiſſe. Uſurpatus poſtea non niſi viperinus pulvis cum confortantibus & antihecticis mixtus, & eſſentia trifolii fibrini, cum ſuccis herbarum antiſcorbuticarum; ipſeque Illuſtris æger jam ſatis commode vivit. Quod autem infauſtus fuerit inunctionis in Illuſtriſſimo *Pragenſi* ſucceſſus, id non ſane inſonti medicamento acceptum ferendum, ſed applicationi ſiniſtræ & prorſus inconcinnæ, quam ipſe Excellentiſſ. Auctor prolixè ſatis deſcribit.

Ad

## Ad Obſ. LXXXIII. Schol.

CUm plura mihi ſint abſurdarum rerum eſus nota exempla, quorum ad *Ann. II. Dec. II. Eph. Cur. Obſ. 150.* aliqua communicavi, id unum tamen hac vice referam, nempe viri cujusdam *Crailsheimenſis* primarii, qui ab adoleſcentia conſuetus erat, quoties temulentia rationis uſum ſuffocarat, in aliorum ſanitatem contrita dentibus vitra deglutire, verum exitu, quod opinor, haut ita fauſto. Namque in ſenecta viridi conſtitutus, Colicis doloribus crebro affligebatur, cum dejecto ſenſim appetitu, medicamentis in contrarium ordinatis etiam generoſiſſimis nil quidquam valentibus. Acceſſit denique tympanites & diebus poſt paucis ante obitum vomitus omnium ingeſtorum atramento contra nigerrimus, adeo, ut emulſiones amygdalinæ crebrius ipſi propinatæ, vix ingreſſæ ſtomachum eodem fere momento per gulam reverterentur ipſiſſima ſcriptorii atramenti facie, &, quod impenſius mirere, qualitatibus aliis aut parum, aut omnino nihil mutatis, ſiquidem & odor & ſapor emulſionis integri permanebant, cujus rei fidem iſthæc mea mihi lingua ſemel atque iterum fecit. Utinam ſectioni poſt mortem locus fuiſſet! Sunt autem iſti ſtolidiſſimæ aſotiæ fructûs: quaſi non ſatis eſſet vitii nectare divino per quotidianam temulentiam abuti, nî profuſiſſimi combibones, & lurcones ſordidiſſimi vitra inſuper ingurgitarent, aut inverſa candelabra, meretricularum crepidas, quin & ipſas matulas in vaſorum locum belluina mente ſufficerent!

## Ad Obſ. XC.

CUm in Catalogo *Aloê* Americanarum ſpinoſarum florentium, quem iſta Obſervatione *B.* noſter *Phoſphorus* primus texuit, nulla reperiatur, quæ hanc *Onoldinam*, de qua ſumus dicturi, eximia proceritate aut anteiret, aut æquaret minimum, haut fore incongruum duximus, ſi ejus deſcriptionem paucis traderemus, prout eam excerpſimus è relatione Ex-

cell.

cell. D.D. *Lælii*, Archiatri *Onoldini*, Affinis & Fautoris æſtumatiſſimi, quam, cum æri tanta *Aloê* inſculperetur, ipſe brevibus tradidit. Hæc *Aloê* A. R. S. 1660. ex horto illuſtri *Weikershemiano*, qui Illuſtriſſ. Comites *Hohenlohicos*, Patriæ meæ Patres & Dominos clementiſſimos agnoſcit, *Onoldum* delata fuit, ſic ut de ejus ætate certo non conſtet. Die Junii 7. Anno 1687. per 27. annos horti aulici ſplendidiſſimi contubernio perfruita cœpit è ſui medio caulem protrudere, qui ſpatio 3. menſium cum ſemiſſe ad pedes 28. exquiſitiſſimo ordine projectis hinc inde ramis & brachiis ſurrexit, pyramidem ſpectatoribus ingenuis exhibens Ægyptiacis iſtis ſi non parem ſumtibus, pretio certe longe majorem. Brachia utrimque numerata ſeptem atque triginta, dextri nempe lateris novemdecim, ſequioris autem decem & octo, illo 2892. floribus è luteo virentibus, hoc autem 2563. ſuperbientibus, umbella ſuprema 40. floribus conſpicua, facto cum reliquis computo numerus florum complebit 5495. Spes erat, nî cœli inclementia (quæ impetravit, ut aër frigidus, quantum poſſibile, arceretur) impediſſet, eam non tantum altius ſurrecturam, verum & florum ditiorem numerum oſtenſuram fuiſſe: nihilo tamen minus ſpectatorum confluxui ſui videndi copiam flores à fine Septembris ad usque Martium 1688. fecerunt. Eadem & mihi viſa fuit tribus circiter ante ſeptimanis, quum ſe flores explicuerunt, facilitato ſpectatoribus curioſis ad caulem acceſſu per ſcalas & porticûs affabre concinnatas. Tametſi vero *Aloë Stutgardiana*, quæ & ipſa à noſtro B. *Phoſphoro I.* deſcribitur ſuperare videatur iſthanc noſtram & multitudine florum, quorum ex *Elsholtiana* relatione in *Flor. Marchic. p. 16.* ad 12000. numerabantur, & quod omnium prima in his oris florere viſa dicatur, Anno nup. 1658. Attamen, cum non ultra 23. pedes ſurrexiſſe referatur, ab hac *Onoldina* 5. pedum numero ſuperatur. Quin & alia quædam *Onoldina Aloê* prælationis jure ſibi debito minime fraudanda, quæ quarto Julii 1627. eodem in horto floruit, adeoque 31. annis iſta

*Stutgardiana* ſit ætate major. Hanc *aloên Onoldinam* Eteoſtichis duobus celebratam legimus, quæ ita ſonant:

ChrIſtIan ALbertVs prInCeps Vt fLorVIt hæres,
aC ſpes sVperſtes patrIæ:
fLore ALoë raro præſtans Vernabat onoLDI,
ſeCVnDa sIgno proſpero.

*Item:*

patrIæ VbI prInCeps bIs ſeX fInIVerat annos,
en! ALoë Vernans oMIna faVſta Dabat.

## Ad Obſ. XCV.

EJusmodi feminarum exempla mihi bina quoque nota, quibus per ſingulos menſes fluxus ſanguinis per os contingit; altera 34. circiter annorum Virgo, altera 23. annorum maritata quidem, ſed ſterilis.

## Ad Obſ. XCVIII.

IN *Curlandia* notus mihi fuit Nobilis tanto corporis robore præſignis, ut non tantum ferreas equorum ſoleas & Imperiales thaleros negotio haut difficili tam flectere potuerit, tum omnino confringere; ſed & impoſita palma lapidis molaris motum, præſente aliquando Sereniſſimo p. m. Duce *Jacobo*, in plena circumgyratione frequenter impedire. Impedire verò? imò plane ſiſtere. Plura, qui cupit, robore valentiſſimorum ad usque ſtuporem exempla adeat Dn. *Franciſci* ad *Valvaſoris Deſcriptionem Carniolia*, ubi recenſet Hiſtoriam Viraginis Polonicæ *Cimburgis*, quæ manu nuda & inermi clavos parietibus infigere, & juglandes nuces intra ſuos digitos confringere ſciebat, quin & Comitis de Burgſtall / qui ferreas equorum ſoleas manu ſua confringere, duo mortaria ænea, aliquot Centenariorũ pondere una manu per ſcalas portare, & ſeptem perſonas jamjam adultas, ſimul humeris excipere potuit. De *Ichoglan* quodam *Tavernier. deſcript. Turc. p. 164.* refert, quod fruſtum ferri 350. libras ponderans in balneis, præ-

ſente

ſente Turcico Imperatore una manu ſuſtulerit, & *Jac. Sponius Itin. l. 2. pag. 19. Morlachos* (gentem græcæ Religionis in *Dalmatia* bellicoſam) à robore commendat, quod eorum quatuor equum fortiſſimum per viginti paſſus portare queant, idq́ue facere ſoleant, ubi loca ſunt equis inacceſſa.

## Ad Obſ. CII.

INter hiſtorias fructuum monſtroſorum, per compreſſionem aut deligationem artificioſam ita natorum, ea quoq́ue referenda, quam exhibuit civis quidam noſtrâs ante hos aliquot annos, multorum cum admiratione impenſa: poma nempe faciem humanam ab utroq; latere belliſſime exprimentia, quæ de arboribus adhuc pendula, ut nil ſubeſſe fuci, fidem faceret, ignaris rei cum ſtupore ſolebat oſtendere Vir facetus. Erat autem ipſe Dulciarius vel cruſtularius, hinc imagines varias ligno inciſas poſſidebat, quibus ad formandas effigie varia cruſtulas, & pinſendos panes mellitos utebatur. Ejusmodi ligneas aſſulas binas, quibus inciſa fuit humana facies, pomis nondum adultis, non nimis ſtricte alligabat, unde poſtea, cum creſcerent iſta, capita humana lepidiſſime ſibi infixa monſtrabant, quæ poma vulgus miraculoſa credebat, & neſcio, quæ mala, præſagiebat.

## Ad Obſ. CXXXIII.

ALiud mihi quid ipſimet accidit cum Cantharidibus, quibus fortaſſe pedes abſciſſi, ſi verum eſt, hoc eſſe corporis Cantharidũ antidoton, & propter pedes eos poſſe innoxie ſumi. Triennium eſt, quum Illuſtris quidam Baro mihi tabellionem deſtinavit, adferentem cum litteris ollam electuario quodam aphrodiſiaco, neſcio unde accepto, plenã. Conquerebatur vir Illuſtris, tantum abeſſe, ut nervis maritalibus robur iſtud medicamen largiretur, ut potius mutonem, veluti tacta cochlearũ cornua, retrocedere, non ſine cordolio & mejendi moleſtia experiretur: Jubet igitur, ut guſtato prius electuario mentem & aperirẽ meam, & alia melius ad rem factura præſcriberem. Tum vero temporis me concatenati labores propemodum ſuppreſſerant, hinc feſtinabundus, ne, dum adveſperaſſet, portæ includeretur

tabellarius, admodum incogitans ad Caſtaneæ circiter quantitatem electuarii ingredientia contor, cumq; palatum uri ſentirem, aliis quibusdam ordinatis, hominem properiter ablego. Sed male buccella iſta mulctatum ardor primum in genitali, mox perpetuum mejendi, ſed cum ſumo, vixq; tolerando dolore deſideriũ memet inceſſit, quibus malis cruciatus iſtam noctem penitus inſomnem, inter ſuſpiria lecto inſidens, interdum obambulans, ſtans, ſedens &c. exegi, parum læta precatus infelici Practiço, qui tantam, ni fallor omnino, Cantharidum vim in electuario prodegiſſet: aſſumta, cum diluculaſſet, potione terebinthinata cum Diacodio & Sirubo de althæa ſenſim ad me redii, cautius poſthac mercaturus.

## Ad Schol. Obſ. CXXXIV.

NOtus mihi triennis puellus, qui ſub precationem ad menſam ſemper mingere cogitur, licet multoties, non increpatus tantum, ſed & ferula cæſus. Recordatio, ſi quid hic poteſt, eidem & hoc ipſum unice acceptum ferendum.

## Ad Obſ. CXXXV. & Schol.

UTi averſatio caſei eſt res omnino proletaria, ita minus tamen quotidianum eſt, aliquos etiam ſola per diſcurſum caſei mentione injecta, non tantum horrendiſſimis torqueri vomitibus, verum & animo penitus linqui, qualem nos aliquando Capitaneum novimus, qui cum à pueritia caſeum libenter comediſſet, à morbo ejus tanta fuit averſatione detentus, ut impune caſei nomen audire nequiſſet; nunc autem à ſemeſtri aut circiter ſenſim ipſi quoque caſeo adſuevit, cum nauſea tamen eundem comedens. Nec pigebit exemplum B. noſtri Parentis *Davidis Samuelis Lentilii*, JCti, Conſiliarii quondam *Hohenlohici* adducere, qui 12. circiter annorũ puer *Vinariæ* degens à ſuis in hypogæum, caſeos inde bubulos minores (Quarkkäſe) promtũ eſt ablegatus; quum vero dolium, in quo adſervabantur caſei, eſſet iis pæne vacuũ, isq; corpus nimium inclinare cogeretur, amiſſo æquilibrio in dolium præceps fertur: Reditu præter rem & opinionem protracto cellam hoſpites convictorem quæſitum adeunt, & opportuniſſimo tempore vix reſpirantem à ſuffocatione liberant: odore vero caſei plus ſatis in Palatio Diogeneo Parens optimus imbutus, caſeos ab illo tempore ſumis in delitiis habebat.

Doct.

# Doct. DAVIDIS REICHII,
*ILLUSTRISS. ACAD. CÆS. LEOPOLDINÆ*
HERCULIS TERTII,

# MEDICINA UNIVERSALIS,
Menſtruô Catholicô & Labore Herculeô
quærenda,

*Cui inſerta eſt hiſtoria*

De

Quibusdam Lapidibus curioſis.

# MEDICINA UNIVERSALIS, Menſtruô Catholicô & Labore Herculeô, quærenda.

NUnquam otioſa eſt Novitatis ſemper avida humana Mentium variabilitas, nunc Ciborum, nunc Medicamentorum, fragilitatis arcendæ gratiâ, novas ſemper ſpecies eſuriens. Nunc generica Morbis, nunc ſpecifica, fingit Remedia. Nunc ipſi Thea apparet Panacea. Nunc Spiritus Florum Anthos, Aqua Reginæ Hungariæ dictus; Nunc Balſamus Anglicus ambratus: nunc Spiritus Butlerianus adulterinus: nunc Lapis ſuppoſititius, ejus nomine tantùm celebris: nunc varia cum Sulphuribus antimonialibus gravata, opiata honorificam Medicinæ Univerſalis vicem ſupplere ſomniat: Nunc Cochleariæ Spiritum Lernam Malorum, ſcorbutum, & hinc univerſam Morborum cohortem profligare credit; cum tamen nec Morborum in Pathologiâ, nec Rerum, in Phyſica, aut Pharmacia, Affinitatem cognoſcat, multo minùs ſtatum Perfectionis veræ Panaceæ & Imperfectionis Remediorum nominatorum: quæ, vel unius Rei partes ſeparatæ ſimplices, vel variorum ſubjectorum compoſitæ, ſunt, diſcernere valeat. Scilicet: Inconſveta ſemper ac peregrina appetit vertiginoſa Boni Veriquè Oblivio, licet vel umbram, vel planè falſum aucupet, cui decipiendæ non parcet Lucri cupida Ambitio: Mercaturam nempè Remediorum magis, quam Artis uſuram plurimi exercent, falſasquè Panacæas ubique Terrarum crepant, intra & extra Profeſſionis hujus ſphæram degentes; illi quidem, laureolam in Muſtaceo vanam, ut plu-

plurimum glorioſam; hi vero vitæ ſuſtentandæ Lucellũ, quærentes, Conſcientiæ ſuæ integritatem ipſorum nemo æſtimans.

Tanta me, profecto! non invaſit Animi perverſitas, ſed Virorum Illuſtrium atquè Collegarum plurimorum quotidiana ſollicitatio, Internum & externum Medicinæ meæ Panchreſtæ ſummæ temperatæ, beneficioquè perfectiſſimi ſolventis ex Auro paratæ, exoptatiſſimum uſum obſervantium, cujus Adminiſtrationem à plurimis, Dei Gratiâ, Annis exercui, mentionemquè olim de Mercurio in ſole viſo, feci. Nequè mihi tantummodo Optimi, quod Medicum, juxta Helmontium, nobilitat, Remedii hæc obtigit Experientia; Verum, & aliis Medicis, qui iſtud, experiendi gratiâ, à me multoties efflagitarunt, ipſiusq; deſcriptionem, quam nunc lubens ipſis & gratis offero, ſæpius à me expetierunt.

Indigitabo ergo, Proximi mei Miſeriâ commotus, veri & non fucati Panchreſti ſtructuram, licet leviſſimum, ſed & Prudenti indagatu difficile negotium, Indignorum causâ, reticeam. Incidit enim Memoriæ, quod *Raymund. Lullius*, de Benedicti Lapidis Philoſophici præparatione, monet: Sapientes abſcondunt Scientiam: Os autem Stulti Confuſioni eſt proximum.

Idem Autor, eodem Tractatu, meminit, Aurum, cujus internum Sulphur extraverſum, Medicinæ meæ Baſin conſtituit, non poſſe in aliis Rebus ſolvi, niſi ex quibus eſt compoſitum. Unam enim eandemquè Reſolutionis ac Compoſitionis Viam profitetur Philoſophorum Unanimitas. Pro ut autem in præcedentibus, de Mercurio in Sole viſo, ſatis monſtravi, Menſtruum meum tantæ Virtutis eſſe, ut Aurum in tria notiſſima conſtitutiva ſolvat ac ſeparet, ſcilicet in ſalem, Mercurium & Sulphur; ita &, juxta allegati Philoſophi perſuaſionem, certiſſima erit noſtra Conſequentia, ex iisdem Aurum fuiſſe compoſitum. Solvens hoc cum ipſo Auro homogeneam ſortitum Naturam, humidum radicale metallicum, Aquam viſcoſam & Menſtruum univerſale nuncupavi,

pavi, ejusquè natales, ex ſalibus volatilibus & fixo Oleoſo, indigitavi, in quo non ſolum Aurum, ſed & omnia Corpora ſublunaria diſſolvi ac plusquam perfici poſſunt.

Antequam vero ad plenariam Deſcriptionem ingredientium Panaceæ noſtræ perveniamus, non abs re fore puto, paucis præmittere, quæ ſint Principia Auri conſtitutiva; quodquè Principium formale activum ſeu calidum innatum, quo vivimus, intelligamus, indequè concludamus, quali Remedio Humidum illud vitale à variis Morborum Periculis liberari ac reſarciri debeat. Scilicet Res omnes & Corpora noſtra, ex iisdem Principiis conſtant phyſicis, ex iisdemquè Medicinam debitè temperatam componere fas eſt, quæ in Conſtitutiva noſtra ſeſe inſerere valeat. Perfectiſſimam autem in Auro & Menſtruo noſtro obſervamus Temperaturam, corrigendæ Corporis noſtri cuicunquè intemperiei aptam. Conſtat nempe illud ex Sulphure, Mercurio, & Sale, id eſt, ex Spiritu dimidiam fixitatem contribuente acido, nec non ex Spiritu æthereo igneo, ac tandem ex Sale fixo, in Sal oleoſum volatiliſando.

Obſervanda namquè eſt in Limine diverſitas Salium & quidem oleoſi pinguis & oleoſi ſalini. Illud combuſtibile eſt & proſapiæ aqueæ, proquè Nutrimento Corporis noſtri deſtinatum. Hoc vero (oleoſum ſalinum) incombuſtibile eſt & fixabile; Principiiquè vitæ noſtræ, ſalvo aliorum judicio, veriſſimum compar, ac proinde Medicina temperatiſſima, conſervativa ac reſtaurativa, de quâ valet illud: Simile conſervatur ac gaudet ſuo ſimili; de quorum Salium naturâ & qualitate conſuli poteſt Helmontius, *Tractatu Paſſiva Humoriſtarum Deceptio* ac *de Febribus*. Experientia enim teſtatur, Spiritus per fermentationem paratos, intimam Rerum texturam non penetrare, niſi cum ſpiritibus ſalinis eſſentialibus conjuncti & ad Naturam mediam redacti, quod ipſum noſter Helmontius, apud Paracelſum, in Margine notatum, obſervavit, his verbis: Spiritus Vini Auri Tincturam non extrahit,

niſi Sal circulatum inſit in eo. Idem Helmontius alibi meminit, Vicarium Alcaheſti eſſe, Sal Tartari volatiliſatum; cui Calculum addit Polemann. *P. 15. Nov. Lumin. Chim.* dicens: Sulphuribus vulgaribus ſolvendis ſufficiunt Olea: Embrionatis autem Alcalia fixa ignea, & Metallicis, alcalia volatiliſata, ceu Aquæ igneæ, centrali ſolutioni dicatæ.

Præterea Spiritus Oleaginoſi per fermentationem parati nimium ſunt volatiles & combuſtibiles, facileque, licet cum aliis miſceantur Corporum partibus, in priſtinum ſtatum reductibiles. Solvens autem Philoſophicum inſeparabilis compoſitionis ut ſit, neceſſum eſt, hoc eſt, partes componentes nunquam rurſus ſeparabiles habeat, quæ poſſint cum Corpore ſoluto vel omnes ſimul configi, vel ſimul auferri.

Hæc qui ritè intelligit, partesque Corporis adæquati (Major enim unius eſt aptitudo & puritas, quàm alterius) debitâ Analyſi inſtitutâ, purificare, atquè Philoſophicè reunire non neſcit, ille profectò Univerſalem Spiritum ſolventem atquè Baſin omnium Menſtruorum paratum poſſidet, quod Principium noſtrum vitale, ceu ſuum Compar, maximè appetit, & pro ſui confortatione conſervat.

Solvens hoc ſine omni Repetitione integri Proceſſus, ſuper quocunquè fixo Sale circulando ac deſtillando, augmentari poteſt. Benè tamen notandum eſt, Salem fixum Nitri vel Tartari optimè à fecibus ſuis prius eſſe depurandum, antequam in Sal philoſophicum ſive Latonam cum Eſſentia Salino-ſalſa præfati Liquoris ac tandem in Alcaheſtum, ſeu Univerſale Menſtruum, transformandum.

Miraberis forſan, Lector benevole! me Liquorem hunc Alcaheſti titulô, dignum putare; ortum ſuum non ex Mercurio metallico, juxta opinionem Ludovici de Comitibus, *Tractatu de Alcaheſto* aliisque &c. ſed ex Sale Tartari vel alio Alcalico nanciſcentem. Sed deſine mirari, ſi per volatiliſationem, quæ ſe planè aliter, quàm noſtra Elaboratio, habet, Vicarium ex Sale Tartari proficiſci, cum Helmontio profiteris;

cui

cui non indecens forſan cum illo intercedit Amicitia, cum circulato majori vel Elixirio minori Paracelſi eodem jure participante.

Quando autem Sal productum Tartari circulatum majus vel Alcaheſtum conſtituere debet; tunc non in ſalem volatilem, ſed in humiditatem unctuoſam ſalinam, ſeu Oleum volatile ſalinum, ſive Ens oleoſum volatile ſalinum redigi mavult, à ſale volatili oleoſo Sylvii valdè diſcrepans.

Hoc enim inflam̃abile eſt & penitus combuſtibile, nequè in Corpore humano, nequè metallico idem præſtat, quod Oleum noſtrum incombuſtibile cum Spiritibus ſuis coëſſentialibus utrinquè efficit.

Hæc itaquè pauca de Alcaheſto noſtro dicta ſufficiant, quibus candidè obtinendi Liquoris hujus ſummè exoptabilis, manuductionem palam feci magis, quam multi alii, & clariora me, quam Andream Knöffelium *Miſcell. Curioſ. Ann. 4. & 5. Obſerv. CVIII.* de Alcaheſto Helmontii & Paracelſi, ſcripſiſſe autumo. Plura dicere non eſt opus, præcipuè illis, qui manum operi ſolertem admovent. Pigris enim ac dormientibus etiam omnes Enchireſes non ſufficerent depictæ.

Laborioſa namq; Phyſica ejus Compoſitio multum temporis ac ſudoris requirit, ita ut non parum difficultatis petere Humiditatis radicalis Mercurialis metallorum extractionem, prout in præcedente obſervatione mea innui, notum fit. Notum præterea ſatis eſt, faciendum eſſe Mercurium per Mercurium. Enimvero medium hoc Mercurificans Metalla, ab aqueo-terrea ſua immunditie & combuſtibili pinguedine prius liberandum ac per Circulationem ſequeſtrandum eſt, ac porro eſſentialis ejus Mercurius ab omni labe vindicandus, antequam Metallorum Mercurii cum ipſo præparandi. Hoc tamen modo Nucleum Mercurii & Alcaheſt Helmontii (& forſan Mercurium duplicatum Philoſophicum) licet non facili, certiori tamen, viâ comparari poſſe concludo.

Imò verò ſic parari procul dubio Primum Ens Auri Paracelſi, quod *Tractatu Tincturæ Philoſoph.* Sal Metallorum, Aurum Sophorum & Sperma nominat: Iſaacus Holandus autem Elementum Terræ, ſub & in qua Elementum Ignis latet & continetur, exiſtimo.

Quæ cum ita ſe habeant, Aurum Philoſophorum credo eſſe, Sal Sulphureum fixum, nec non experientiâ edoctus, Calidum innatum & Naturæ Balſamum: quoniam Cryſtalliſationem ſæpius jam nominati Menſtrui noſtri, in Rubinum vidi.

Citius autem Metam attingimus, ſi cum Liquore hoc ſalino, additis Mercuriis volatilibus, mineram ſolarem extrahamus: ſed citiſſimè, ſi Magnetis hujus (Liquoris alembificati ſive Menſtrui noſtri) ope, Aurum in Ens primum ſive primam Materiam Mercurialem & Sulphuream (quæ poſterior Flos Auri Helmontio audit) reducamus, & potabile reddamus. In hac enim reſolutione humor Mercurialis volatilis alimentoſus ſive Lac Virginis & Calidum innatum ſulphureum citius radicaliter uniendo, in perfectam Medicinam transeunt, quàm in reliquis Metallis volatilibus, in quibus arſenicale Sulphur prius eſſet fixandum; de quo ſive Panaceæ noſtræ Baſi hoc loco agere conſtitui. Cum verò pretioſum nimis ſit hoc productum ex Auro; libero jure fundamentorum gaviſus, ex aliis Corporibus idem extraho, quod in auro alias invenimus, ſcilicet Sulphur anodynum Hæmatitis, quod Polemanno Aroma Philoſophorum dicitur, & aliorum Naribus ſub odore Croci percipitur, aliisq; homogeneis ſpeciebus, ipſum Sulphur Veneris ſuperantibus jungitur. Sciant enim Curioſi Sulphur illud à Corrodente Sale armoniaco ſeparandum, cumquè Sulphure Antimonii vel alio Metallico aut Minerali uniendũ eſſe. Ex qualibus Sulphuribus, Sulphureisquè Rerum aliarum Eſſentiis tota noſtra Panacea componitur. Etenim extractum quoquè Vegetabile Maſſæ Corpus conſtituens ex Optimo Sulphure vegetabili conſiſtit. Sal enim

Oleo-

Oleoſum ſalinum eſt Sulphur Philoſophorum, & vice verſa. Hinc & Menſtruum noſtrum eodem glorioſo Titulo gaudet, & per ſe Medicinam Univerſalem abſolvit. In gratiam autem illorum, quos fundamentorum meorum Veritas latet, quibusquè idcirco Perfectio iſtius dubia res eſt, Complementi loco Anima ſeu Sulphur Auri, quod Mundus adorat, additur, ut igneus ille Liquor cum perfectiſſimo Ente Naturæ & Corde Terræ unitus, ac Regenerationis viâ plusquàm perfectus redditus, in Medicinam Panchreſtam deſideratam abeat.

Non equidem hoc naturale Corpus reliqua eſſentialiter præcellere autumo; ſed propter *qualitativam* ipſius Bonitatem ſive Perfectionem, & hinc majorem Aptitudinem, pro ſcopo noſtro Medico citius obtinendo ſeligo. Hinc licet cum aliis Chimicis parem efficaciam Sulphuribus reliquis ſuper humana & metallica Corpora adſcribam: per Experientiam tamen comprobare poſſum, Sulphur Solis breviori viâ majorequè cum Emolumento in Balſamicam ac ſuavem Medicinam mutari poſſe, quàm Sulphur commune vel aliud ex Mineris ob dictam antea rationem, quod ſcilicet illud ſit jam à Natura depuratum atquè digeſtum, reliqua vero à graveolente odore venenoſoquè Arſenico prius multa Labore liberanda ſint, antequam in Tincturas perfectas exaltentur. Alii rurſus maturare tentant, Opera talia, quando Sulphura ſuâ ex Magneſiâ vel Lapide Calaminari per Alcali ſolvunt, atquè in ſalem rubicundum coagulant, tandemquè cum Vitris figunt, atquè ex iis rurſus extrahunt pro Medicinâ generoſiore. Sulphurea hæc Remedia tanti æſtimavit Helmontius, ipſorum ſummam Bonitatem expertus, ut non veritus ſit, de ipſis hoc ſcribere Encomium, *Tract. in Verbis, Herbis & Lapid. magna Virtus:* Sunt videlicet ſulphura quædam, quibus correctis atquè perfectis tota Morborum Cohors auſcultat. Et *Libro de Febrib.* ipſorum Præſtantiam in Morbis queiscunquè tollendis ferme innuere videtur, dum dicit: Ideo Febrim (puta Febres omnes curandas) non diſtinguo, ſi Remedii ſit ſumma Boni-

tas. De quibus Helmont. paſſim conſulendus. Ego hoc loco Hæmatitis faciens mentionem, addo, Labore ſæpius repetitô, inter præparandum aroma dictum, me inveniſſe Liquorem Stypt cum, tam internis quàm externis Curationum Teſtimoniis admirandis illuſtrem: Cujus Deſcriptionem multi magno pretio emere tentarunt, hactenus tamen ipſam propalatione vileſcere nolui.

Quid ille Liquor in ſiſtendo ſanguine, Hæmoptyſi vel Phthiſi Laborantibus, quidquè Sulphur meum in Epilepſia & & ipſa Podagra, omniquè dolore, vel per ſe, vel una cum Extracto noſtro adhibitum; præſtiterint, multi Inſignes Ducatus Schwidnicenſis & Jaurovienſis Viri conteſtari poſſent, ſi Teſtimoniis Hominum gloriari & inclareſcere conarer. Dabo tamen aliquando unam vel alteram obſervationem Practicam depictam: hâc vice ſufficiat meminiſſe me Hirſchbergæ, tertium deſperatiſſime decumbentem, àquè multis veneno corruptum & Morti jam proximiorem judicatum, ſolo illo Menſtruo meo Catholico & Extracto aureo, DEI Gratiâ, reſtitutum fuiſſe.

Præterea cum ultima vice hic Vratislaviæ periculoſiſſimè decumberem, ægritudinis ferociam & Remedii mei Bonitatem vidit & miratus eſt Excellentiſſimus & famigeratiſſimus *Dominus Doctor Johannes Jæniſius Leopoldinæ Societatis Imperialis Arcturus & Adjunctus ac Phyſicus Vratislavienſium digniſſimus*, qui Nobilitatem Sulphuris mei anodyni ſine ullo additamento adhibiti etiam apud alios ægros expertus ac conteſtatus eſt. Plura vero Curationum ſpecimina cum eodem Extracto aureo, inter plures alios Experimentis idem teſtantes, edidit Nobiliſſimus *Dominus Doctor Michael Pauli*, *Practicus Celeberrimus* & Amicus meus ſingularis.

De ceteris in propriô Corpore mirandis obſervatis, ne mihi ipſe adulari videar, non dicam. Vera dicant illi, qui me ſæpius interrogarunt, quî fiat, quod non modo me ipſum, ſed alios quoque ægros, meis paucis Remediorum Doſibus (ordi-

(ordinariè in Adultis à gr. 6. vel 7. usquè ad 10. adhibitis) intra tàm brevè tempus ſanare valeam? quibus ſemper reſpondi: In Sulphure & Oleo ſalino concentratis, at maximè in Benedictione Divinâ omnem latere ſanandi facultatem.

Sulphur hoc cum Sale maritatum Cauſam principalem materialem *Vitæ noſtræ*, non vero motum tantummodo circularem ſanguinis, ad mentem Domini Doctoris Bontekoe, ſtatuo. Idem ſulphur non tantum ſanguinis & reliquorum Humorum ſpiſſitudinem incidit, ſed & effervescentiam ipſorum vel excedentem vel deficientem redintegrat, eorundemquè intemperaturam blandiori motu digeſtivo rectificat. Sive enim Acidum cum frigore ipſos coagulet, ſive aliud ſalinum Miasma immodice rarefaciat: Hoc temperatum corrigens optima Eſſentialitate ſua corrigendum radicaliter penetrat, ſequè cum ipſo inſeparabili nexu ſociat, quo juſtam Craſin humores induant. Tale enim Remedium conſervat Calidum noſtrum innatum, & humidum radicale, non alia ratione atquè ignis Lampadis ab Oleo ſuo nutritur. Non dubito proinde quin ex Menſtruo hoc & Auro puriſſimo Oleum Veterum incombuſtibile parari poſſe mecum credant Plurimi.

Quod ipſum Priſcorum Sapientum Oleum ſimul cum Filio ipſorum ſic dicto Regenerato exinde oriundo hâc vice Curioſis relinquo Hermeticis, ut certitudinem ejus atquè perfectionem inquirant. Ego Oleo hoc vitali reperto contentus vivo, quod Lampadis noſtræ vitalis filamentum, hoc eſt nervoſi generis canaliculos Cordis motum continuandi aptos reddit, neq; in iis, nec tota M. S. Principium vitale oleoſum, ſalinum, igneum extingui permittit; ſed circulando & rarefaciendo hanc, usquè ad fatalem terminum in continuo ardore conſervat.

Poſtquam autem omni Auro pretioſiorem ſanitatem ceteris Theſauris omnibus anteponant mecum ſupremi & infimi, Docti & Indocti; quàm primum hanc gratiam DEUS conceſſerit, Elaborationem Medicinæ noſtræ Catholicæ in majori


jori quanto repetere atquè partem ejus Ill. atque Generoſiſſimo Viro, Domino Johanni Sigismundo ab Haunoldt, Hæreditario in Sachervviz, Reipublicæ Vratislavienſis Præſidi graviſſimo, Regiique Liberi Dicaſterii Namslav. Directori ſubmiſsè conſecrare conſtitui. (Hic, utpote non ſolum Naturæ Miraculorum Admirator Curioſiſſimus (pro ut ex *Obſerv. CXLIII. Ann. VI. Dec. Secundæ Miſcellaneorum Medico-Phyſicorum* de Flore ferri Stiriaco, qualis nunc quoquè in Ducatu Sileſiæ noſtræ Jaurovienſi in Pago Lauterbach, Generoſiſſimi Domini Ferdin. Wilh. de Dohalskii reperitur, à Diligentiſſimo noſtro Syrio ſecundo exhibitâ, Curioſo Eruditorum Orbi jam tum abundè conſtat,) ſed & Arcanorum Chymico-Medicorum æſtimator digniſſimus, procul dubio cum aliis Rei Medicæ Claris Amatoribus prudenti affectu judicabit, utrum Relatio hæc mea Veritati conſentanea ſit.

Quanquam etiam primæ Elaborationis, non minus in Rebus phyſicis Curioſum ac prudentem Teſtem habeam Nobiliſſimum Dominum Doctorem Johann. Schmid, Ampliſſimi Collegii Senatorii Proto-Secretarium meritiſſimum ac Fautorem meum magni æſtimandum, qui Aurum hoc radicaliter ſolutum veriſſimum Elix. Proprietatis Paracelſi Oculis ſuis luſtravit, ejusquè facillimam liquefactionem ſæpè miratus fuit.

Oblivionis præterea involucro tradere nequimus, quod fabri lignarii apud Vratislavienſes urbici, *Georgii Willenbroch*, Cooperator, nomine *Hanß Kranz*, ante aliquot Annos ædificii mei Laborem ſubiens, retulit, ſe, ſedecim ab hinc annis, in Prato ſuburbano, der kleine Anger/ dicto, Fontem Litmanno cuidam effodientem in profunditate ſeptem Ulnarum inveniſſe in Minerâ ſaxeâ albâ venam limaturæ Chalybis & Aurichalci radiantis faciem primo intuitu præ ſe ferentem, quam, quia poſtea Aurum & Argentum eſſe credidit, cum ſecuri detruſit, in ferreo operculo ad Ignem fudit, ſuæquè Uxori Aurifabro pro 24. argenteis vendendam tradidit.

Hæc

BRITISH MUSEUM
NATURAL HISTORY.


Fig. 1. Primi lateris.
Fig. 1. Secundi lateris.
Fig. 2
Fig. 3
Fig. 2.
Fig. 4. A
Fig. 4. B
Fig. 5.

Annus X.

Hæc ideo hâc Occaſione ſimul patefacio libenter, ut, Patriæ meæ non infidelis Filius, Curioſis Rerum naturalium Scrutatoribus anſam dem, quo Mineram hanc novam Vratislavienſem occaſione data ſollicite magis perſcrutentur.

Unum adhuc ſupereſt, cujus nunc recordor, quod, cum aliquot ab hinc annis, Magno Patrono meo prælaudato, Mineram Martis Schmiedebergenſem mitterem, etiam Lapidis alicujus, figuram, Colorem & alia requiſita Cordis, imitantis, & in Præluſtris Perſonæ cujusdam Gazophylacio reconditi, mentionem fecerim. Quem cum Patroni mei Technophylacio inſerendum ſæpius optarim, citius autem non, quàm nunc ipſum adipiſci potuerim, facere non potui, quin benè à Natura ipſa formatum hoc Corculum ſaxeum depingendum, cum aliis additis calculis, traderem, quo ab aliis effigie intueri poſſit, ut ex Figura prima ænea patet.

Corculum hoc ſaxeum, Auriculis ab utroque latere, vel ut vulgo ajunt, Coronâ dotatum, in Corde Cervi, quale quid etiam *Obſerv. CXXXIII. Domini Theodorici à Marvviz pag. 336. Ann. I. Dec. II. Ephem. Cur.* in Capreolo inventum traditur, repertum creditur, & quidem referente beatè defunctο Domino Liberô Barone Gotth. Albrecht de Zedliz Hæreditario Caſtelli Polckenhain, Sereniſſimi Ducis Neoburgici ac Supremi Capitanei utriusque Sileſiæ, Venationum Præfectô, cujus oculorum inflammationi notiſſimæ ſummo cum Emolumento Menſtruum meum Univerſale applicui. Enim vero Lapidem hunc in Cavitate Cordis Cervini, pro ut prælaudato Dn. Baroni nunciatum fuit, repertum fuiſſe, vix eſt credendum.

Primò enim ſubſtantia ejus communi Lapidi rubeo fluviatili penitus eſt ſimilis, adeoquè majorem fidem merens, ipſum, in Ventriculò Cervi potius inventum eſſe, utpote in quem facilè in prato ab eſuriente bruto deglutiendo potuit ingeri.

Secundò, magnitudo ejus, ut ex Schemate patet, Cor

Cervi fermè adaquat, ita ut magis ipſum Cor cervi lapideſcere debuiſſet, quàm illum in altero ventriculorum ſuorum abſcondere; quorum prius omnem fidem ſuperat in foro Phyſico. Quamvis in foro Theologico quotidianis Exemplis experimur, Corda humana ipſis lapidibus interdum indurata magis eſſe erga ipſorum proximum. Sed ſatis de Saxeo hoc duroquè Corde, cujus natales ex Matrice Macrocosmi eſſe credibilius videtur.

Molliorem calculum Microcoſmus in folliculo Fellis Beatæ Memoriæ Sereniſſimi Ducis de Anbringen, Supremi olim Capitanei Sileſiaci, conſtruxit, in forma juxta Figur. 2. utroquè latere delineatâ.

Color Lapidem Bezoardicum æmulatur, niſi quod paulo nigrior appareat, ceterum Cavitate & Virtute Bezoardicâ gaudet; hujus aſſerti certius ſum factus, quod minores ejusmodi ægris, pellendi ſudoris gratiâ, optimo cum ſucceſſu propinaverim.

Hic noſter depictus inter maximos fuit numeratus, quorum centum & triginta ſex fuere obſervati, totam ciſtulam fellis ſine unicâ guttulâ bilis præſentis occupantes, qui ex concretione bilis, ob defectum humidi radicalis fuere nati, toti Corpori Balſamum bilioſum penitus denegantes, & ſic integrum Corpus pedetentim emaciando morti tradentes. Prout autem hic defectus bilis cauſa morbi ac mortis extitit, ita apud alios abundando lethalitatem etiam accelerat. Cujus debita quantitas ac legitima Temperatura amaritiei multum ad perfectam ſubacidi Chyli dulcedinem confert. Contribuit enim ſanguini Sal oleoſum Balſamicum; & ſine amaritie ejus, Acidum & Alcali in Corpore humano non ſufficiunt. Hujus amaritiei præſtantiam penſitans Præcellentiſſ. Philoſophus Flud de Fluctibus in Philoſophiâ Moſaicâ, in Fronte, hoc eſt, Titulo Libri, aurea Verba ponit: Ex Acido acidiſſimo & Amaro amariſſimo oritur dulce.

Quæ ipſa Amarities ſub præparatione Menſtrui noſtri Univer-

Univerſalis, in fine ſatis temperatè dulcis, etiam ſentienda, ita quidem, ut hæc Chymicum quendam ac Chirurgum in Polkenhain, nomine *Eſaiam* Kurtz/ deceperit, opinantem, Myrrhæ forſan aut Camphoræ (quorum odorem ac ſaporem, in Limine analyſeos Corporis, ex quo illud per Viam Regenerationis paratur, refert) factam fuiſſe additionem; cum tamen profecto nihil alieni, niſi quod ipſa Materia ſuppeditat, accedat, ac tantummodo per putrefactionem prædictas qualitates ſenſiles ſpargat, antequam ſuaveolentiam ſuam, optima quoquè vina transſcendentem, induat atquè ſic Auro potabili conficiendo apta reddatur.

Pergo nunc ad reliquos ſimul depictos Lapides ſeu Calculos & quidem ad duos, Aſtroidem ſive Lapidem ſtellarum & Bufonitem Fig. III. & IV. delineatos. Quandoquidem autem inter ceteros Autores Johann. de Laet & præcipuè Bootius de Boot pag. 298. Aſtroitis ſeu Lapidis Victorialis quatuor tantum Genera recenſeat: Unum, quod exactè formatas ſtellulas refert; alterum, qud Roſas; tertium, quod Undarum fluxus aut Vermium gyros; ultimum, quod confusè & obſcurè maculas potius, quàm prædictas figuras, oſtendit: ego quintum quoquè Genus addendum jure merito duxi, Cruces fermè meras nigriores Oculis, in convexo latere conſpiciendas reddens. Alterum latus planum, quod aliquot Cruces majores cum Circulo circumducto, Artifici vix imitando, continet, depingere non licuit, quoniam Lapidem hunc in quotidianam acpiam meditationem Cruci argenteæ, Symbolum nobis St. Ignatii: Amor meus crucifixus, indies in Memoriam revocanti juxta cum aliis pretioſis Gemmis affixis inſerere paucis ab hinc Annis curavi, cujus dictum latus planum, nunc occultatur, & ab altera Crucis argenteæ parte Corde ex Topaſio formato tegitur.

Gemma hæc cum Matrice ſuâ Chryſolithum Veteribus dictum ac Radiis aureis ſplendens, pugni magnitudinem exæquabat, quam Anno 1687. in Monte Giganteo reperi inter

Lapides, violaceo Odore celebres, de quibus Theſei ſecundi *Obſerv. Curioſa Ann. VIII. Dec. II. Ephem. p. 81.* poteſt evolvi.

Nequè etiam oblivione obvelandus eſt Lapis Bufonis Fig. IV. notatus, Garatronius aliis, Germanis verò Kroten-Stein dictus. Quem hic ideo appono, quod non ab imâ parte, prout alii, à Boot, Batrachites, Brontiæ, ſeu Ombriæ vocati, ſed à latere parvam cavitatem ſortitus ſit, quam à Matrice Terræ, cui incubuit proveniſſe crederem, niſi Johann Krauß/ Balneator Hirſchbergenſis, qui iſtum mihi dono conceſſit, ſimul manifeſtaſſet, Cavitatem iſtam à Jeremia Engel, Socero & Anteceſſore ipſius, à radendo ducere Originem, qui in ultimo ſenio quotannis grana aliquot deraſa, loco Medicinæ, ad vitam longam præſervatoriè atquè Antidoti vice uſurpavit, cujus Efficaciam à venenato Animali, Bufone, proficiſci ſomniavit, octogeſimum, à Pſalmiſtâ laudatum, quem implevit annum, ſoli ipſius Uſui acceptum ferens. Verum enim vero, huic Adſerto fidem adhibere, Lapidiquè tali vim medicam attribuere dubitò. Licet enim ex veneno optimam Medicinam parari poſſe concedam: notum tamen eſt, Lapides hos nequè à Bufone naſci, nequè veneno ſcatere, & licet eo ſcaterent, Venenum ipſum Bufonitis, Titulum Medicinæ aut Antidoti vix mereri; de quo infra adhuc pauca moniturus ſum; hîc loci Figuram V. adhuc contemplaturus:

Lapidem hæc nobis à Natura tam accuratè Reni ſimilem, & ita quidem formatum monſtrat, ut vix in homine aut bruto ſimiliorem huic Lapideo reperire liceat, quem in Pago Weizenrodau me inveniſſe memini.

Hic, quemadmodum ex Schemate patet, Ureteres ac pelvim luculenter exponit, prout Bartholinus *in Anatome pag. 180.* Renem deſcriptum præbet, quando ad mentem Laurentii Bellini) Eum verſus externam partem ſub rubro colore eſſe, dicit, & ubi pelvim fibræ ſeu filamenta ſubiere, albedinem induere, & invicem contexta & implicata deſinere in Cavitate Pelvis, non in plures papillulas diviſas, ſed in unum

Cor-

Corpus abeuntia &c. Hæc obiter in gratiam Curioſorum communicata ſufficiant.

Jam quidem ê re noſtra eſſet de Lapide ſic dicto Sophorum aliqua referre, præcipuè, cum Menſtruum noſtrum ad ſcopum hunc attingendum multum facere videri poſſit. Verum enim vero relinquo ipſum firmiſſimo Sigillo clauſum Curioſis aperiendum Auriquè Cupidis inveſtigandum.

Mihi, Medicamentoſo Lapide contento, Coronidis loco hæc addere non diſplicet: Scilicet, ſi juxta multorum Autorum mentem, vel Priſcorum ſignatura Herbarum, vel Neotericorum Rerum configuratio vim medicamentoſam indigitet atquè exerceat, ita ut Herba hepatica vim ſpecificam ſanandi Hepar morboſum poſſideat: Etiam mendacii non eſſet arguendus ille, qui Cordi noſtro Lapideo Virtutem cordialem; & Reni Saxeo antinephriticam ſeu renalem confortativam tribueret.

Verum falſiſſimis figmentis & Ingeniorum Somniis merito hæc adnumeranda cenſeo; ſimpliciq; imaginatione propria deceptum fuiſſe ſupra nominatum Balneatorem, qui Bufonitem Longævitatis ſuæ Cimelium opinatus eſt, cum ſpecificam fortè Virtutem Venenis, vitam abbreviantibus, reſiſtendi aliquando ſomniavit. Sed quid Balneatoris ſimplicitatem & ſomnia inculpamus? cum Prudentiores habiti ac ſatis Docti Viri inveniantur, qui ſpecificorum fictionibus adhærent, variaquè Evporiſta in Tertianis & Quartanis crepant, minimè Affinitatem Eſſentialem Febrium, Typo tantum & aliis accidentalibus circumſtantiis diſtinguendarum, trutinantes, nedum agendi modum, & Eſſentialia Remedii Antifebrilis Principia penſitantes, cujus ſi, ut ſupra jam citato loco Helmontius loquitur, ſit ſumma Bonitas, eadem efficaciâ omnes febrium ſpecies profligare valeret, minime cum Helmontio diſtinguendas. Hanc Identitatem Febrium eſſentialem, quam credo, aliis defendendam committo, ſpecificaquè Omnia & ſingula variarum Claſſium v. g. tam ad Morbos, quàm ad

partes, & novas eſſentiales acidorum fermentatorum ſpecifica alcalia poſtulantium ſpecies, rejicio; ea ſola retinendo, quæ natura manibus noſtris palpanda tradidit: Quando repletum Corpus Purgante à Priſcis inter Univerſalia numerato, liberandum; vel nimia Humorum excretio in Diarrhoeâ, Dyſenteria, Hæmorrhagia, Diabete, Gonorrhœa, Balſamicis & blandè ſtypticis cohibenda.

Hæc, qui juſto tempore ac ſaniori judicio parare & applicare rite didicit, nec non abolitam humorum conſiſtentiam ac circulationem ſuppreſſam in Omnibus Pathologiæ Capitibus, præcipuè vero circa morbos Univerſales, puta Febres, benè ruminat, ac tandem in Praxi Partium inflammatarum internarum falſiſſimas interdum Curationes examinat: ille profectò ſciet, qualia remedia in omnibus morbis ſint vitanda, qualia rurſus vel invenienda, vel ſeligenda, quæ humorum Corruptioni, in quâ Morborum formalitas Phyſica, à quibus ſecundariò promanant ſucceſſivè ſymptomatum ordines, conſiſtit, obviare, ipſiusquè cauſam priorem Univerſalem corruptionis gradum, puta Inflammationem & cum hac ſymbolizantem Fermentationem, tollere valeant. Scilicet Remedia contemperata, Oleoſa ſalina ſunt omnium Morborum Victrix Regina.

*Vratislaviæ die 28. Februarii An. 1691.*

DE

# DE
# CONSTITUTIONE
*ANNI M. DC. LXXXXI.*
## APUD MUTINENSES
# DISSERTATIO II.
## BERNARDINI RAMAZZINI
MEDICINÆ PROFESSORIS

AD

*ILLUSTRISSIMUM, ET CELEBERRIMUM VIRUM*

# D. GUILIELMUM
## GODIFREDUM LEIBNITIUM
## SER.MI ERNESTI AUGUSTI
Luneburgenſium, & Brunſuicenſium Ducis Hiſtoriographum, & Conſiliarium.

# ILL.ME DOMINE.

*Cum non rarò fieri ſoleat, ut veluti cæteris in rebus, ita & in re literaria provincias quaſdam nonnulli ſuſcipiant quibus ſunt prorſus impares, ac eosdem poſtea conatuum ſuorum pœniteat, Tu me in illorum cenſu repone, ſi lubet, Vir Doctiſſime; nunc enim ſentio quàm me tranſverſum egerit neſcio quis mentis ardor, ut, non ſatis verſans quid humeri ferre valeant, quid recuſent, ipſemet onus mihi impoſuerim cujuscumque Anni Conſtitutionem, & Medicam hiſtoriam conſcribendi, ac evulgandi, quam Spartam ſuperiori Anno ſum aggreſſus in hanc rem edita Diſſertatione, & Doctiſſimo Viro D. Malliabequio, Hetruriæ Ornamento, inſcripta. At quoniam ſaltem prodire, ſi non datur ultra neceſſum eſt, propterea ut datam fidem exolverem, idem quoque hoc Anno molitus, utcumque potui multis occupationibus diſtrictus, hanc meam Diſſertationem Tuo Nomini, Vir Illuſtrisſime, nuncupatam volui. Neque verò eidem D. Malliabequio quicquam acceptiùs facturum me credidi, quàm ſi Te pariter eodem obſequii genere proſequerer, quando Vos arctisſimo amicitiæ fœdere junctos ſcio, & ejusdem beneficio obtinui, ut Te præſentem agnoſcerem, ac Tua ſuavisſima Conſuetudine fruerer,*

*cum duobus abhinc annis in Germaniam rediens Mutinæ ad menſem moram traxiſti, quo tempore numquam ad Te acceſſi, quin doctior abierim; verè ſiquidem de Te omni Scientiarum genere inſtructo proferre liceat quod olim de Ariſtone ſcripſit Plinius, ſcilicet* Nihil eſſe quod quiſquam ſcire velit, quod Tu docere non poſſis. *Diu itaque in ſinu meo gaviſus ſum, quòd geminos Literatorum Principes (faceſſat invidia) adeò amicos ad invicem mihi tam benevolos ſortitus eſſem, ſed tandem mihi temperare non potui, quin publico aliquo teſtimonio id palàm facerem. Huic meo propoſito, D. Malliabequium quod ſpectat, pro meis Viribus jam factum eſt ſatis, nunc aliud votum meum impleo. Hunc ergo meum Libellum, quem de morbis popularibus inter Noſtrates, ſed populariter ſarcivi, ea qua ſoles humanitate accipe, Vir ſapientiſſime, munus quidem levidenſe, ſed quod pro ſpecimine Obſervantiæ in Te meæ eſſe poſſit; quòd ſi aliquando temporis pauxillum (novi enim quantus ſis heluo librorum) perdere non pigeat, meum hoc Opuſculum evolve. Vale Clariſſimum Germaniæ Decus, ac amare perge*

Mutinæ pridie Cal. Jan. 1692.

Celeberrimi Nominis Tui

*Officioſiſſimum Cultorem*

Bernardinum Ramazzinum.

I. RUralem Epidemiam, quæ præcedenti Anno Mutinenſis Agri, & proximarum Regionum Colonos graviter afflixit, Urbana Epidemia hoc Anno excepit, quæ nihil urbanitatis, imò inſolentiæ plurimum in infœlicem plebeculam potiſſimùm exercuit. Inſtituto itaque meo inhærens prægreſſam Conſtitutionem, qualiſcumque ea fuerit, in fine cujuslibet Anni deſcribendi, eò libentiùs id exequar, quòd hæc Conſtitutio ab ea, quam ſuperiori Anno experti fuimus, toto Cœlo differens ſatis uberem materiam ſuggerat mentem exercendi, quando in re medica nil foret utiliùs, quam ſuccedentes ſibi ad invicem Conſtitutiones conferre, ut recta medendi methodus inſtitui poſſet, quoties eadem tempora, ac iidem morbi recurrerent. Quæ ſi attentiùs à Profeſſoribus obſervarentur, non eſſet forſan, quòd Medicina comparata deſideraretur, ſicuti Anatomiam comparatam deſiderari ajebat Sapientiſſimus Verulamius, quæ ſi haberetur, ut ille ait, & Individuorum interiores Structuræ ad invicem componerentur, non tam pro morborum cauſis culparentur humores, quàm mechanicum Viſcerum artificium, quod cum ut plurimum inemendabile ſit, omnem medicam opem, & magnos Promiſſores ſæpiſſimè eludit. *l. 4. de Aug. Scien. c. 2.*

II. Superioris Anni Conſtitutio, ut in mea Diſſertatione ſuper illam edita, ob aſſiduos, & copioſos imbres impensè humida, & lutulenta in univerſum extitit, unde gravis Epidemia unà cum Annonæ Caritate effluxit; hujus Anni verò Conſtitutio ex oppoſito maximè ſicca, & pulverulenta, primò quidem ob Aquilonares Ventos, poſtmodùm verò ob continuum, & flagrantem æſtum meritò, audiit. Sicuti autem

tem prima pars hyemis, quæ antecedentem Annum clauſit, ſtatum ſatis placidum, ac ſerenum, ut diximus, ſortita eſt, ita pars altera, quæ huic Anno fores aperuit, eandem ſerenitatem, ac tranquillitatem ſecum invexit, donec Januario menſe ad finem vergente, flantibus Ventis Septentrionalibus, frigora adeò intenſa fieri cœpta, ut illicò conglaciatis fluminibus cuncta præ nimio gelu horreſcerent. Cum autem nullæ prorſus nives decidiſſent, hyemem non ſolùm algidiſſimam, ſed ſicciſſimam exegimus, ità ut in tota Ciſpadana, & Tranſpadana Regione pulverulentæ eſſent Viæ, non ſecùs ac Auguſto menſe, cum inſana Canicula campos torret, quod apud nos prorſùs inſolens eſt, ex quo factum, ut Boreæ penetrabile frigus ſata conſueto nivali vellere deſtituta mirum in modum exureret.

III. Morbi qui hiſce temporibus vagabanrur erant Apoplexiæ, Pleuritides, Peripneumoniæ, Catarrhi ſuffocativi, Anginæ, Eriſipelata; præ cæteris tamen affectibus, morbi pectoris graſſabantur magis,ac buſta implebant. Sanguis qui ſecta Vena educebatur multum pituitæ, & polypoſæ concretionis præferebat. In noſtro hoc Noſocomio variis Cadaveribus diſſectis, præcipuè in Cachecticis, ac demortuis ex morbo pectoris reperti ſunt Polypi non ſolùm intra Cordis ſinus, ſed etiam intra ipſam Aortam. Remedia quæ magis ex uſu erant, & quibus promptiùs morbus auſcultaret, ea fuere, quæ vi pollerent craſim Sanguinis compactam reſerandi, & fluxibiliorem reddendi, ut Spiritus Salis Armoniaci, Sal volatile Cornu Cervi, Sperma Ceti, & ſimilia. Non deerant tamen qui cum alioquin ſcirent, quòd Sulphur Balſamum Pulmonum paſſim audiat, in hujuſmodi Affectibus ſpiritum Sulphuris exhiberent cum ſuis aquis Pectoralibus; at num rectè, & ex arte id agerent, ipſi viderint; indubium tamen eſt, quòd partes integrales Concreti longè diverſas poſſident qualitates ac ipſum Concretum, ſicuti vero veriùs, Spiritum Sulphuris alterius eſſe indolis ac ipſum Sulphur. Repetita ſanguinis miſſio

non adeò fœlicem ſortiebatur eventum, ut aliàs. In hac tam rigida, ac horrida Conſtitutione magis exercebatur Plebs Urbana, quàm Agreſtis, ac Senes valdè periclitabantur, quare Medicis ſæpenumerò nil tale cogitantibus Morbus plus habens in receſſu quàm in fronte facilè imponebat; nam ex improviſo, cum priùs ſatis commodè cœnaſſent, tanquam confecto Silicernio, paulò poſt occumbebant, ac citiùs quibus detractus fuiſſet ſanguis.

IV. Horum Affectuum tam multiplex, ac diſcolor Sylva ab eadem prorſus radice ſuccreverat, ac propterea eodem modo averruncanda: omnium itaque unam, ac eandem eſſe Theoriam, ac Praxim dictabat ratio; veram autem, ac potiſſimam cauſam fas erat referre in pravam diatheſim quam ſanguis haberet ad concreſcendum. Cùm enim ex præcedentis Anni frigida, & lutulenta Conſtitutione, necnon ex pravo victu ob rei Annonariæ anguſtiam, talis eſſet in univerſum maſſæ ſanguineæ diſpoſitio, mirum non fuit, ſi ſuccedente poſteà hyeme tam rigida, ac ſummè Aquilonari, majorem promptitudinem ad grumeſcendum adſciverit, unde pullularint morbi, qui ex ſanguinis ſtagnatione variis in partibus, ob retardatum illius circularem motum, geneſim ſuam deduxerint.

V. Apoplexias autem, Pleuritides, Peripneumonias, Catarrhos ſuffocativos, Eriſipelata, ac reliquos memoratos Affectus à ſanguinis ſtagnatione, ob prædictam ad concreſcendum diſpoſitionem generari, unanimis eſt Recentiorum omnium conſenſus, quidquid circa horum Affectuum Theoriam in contrarium ſenſerint antiquiores Medici, qui in hujuſmodi Affectibus partem aliquam Mittentem robuſtam, & aliam Recipientem imbecilliorem imaginabantur. Duplicem Fluxionum cauſam commentus eſt Galenus, unam in qua pars ipſa humorem ad ſe traheret, aliam, in qua humor à parte robuſtiori ad debiliorem tranſmitteretur. Hujuſmodi doctrinam primus forſan cœpit convellere Helmontius, nullam enim

*de diff. Feb. c. ult.*

enim in fluxionibus partem Mandantem, Dirigentem, nec Sagittarium, aut Scopum agnoſcit hic Auctor; qui tamen exemplo ſpinæ digito infixæ, & indignantis Archei, non ſatis expoſuit ob ignoratum Sanguinis circulum, quomodo fiant humorum decubitus, quod ſolùm accidit eò quia præpedito, & intercepto Sanguinis per Venas refluxu, vel propter fibrarum criſpaturam (ut in vehementi dolore) vel propter maſſæ ſanguineæ nimis craſſam ac denſam texturam, humores circa Vaſorum extremitates, vel in carnium poroſitatibus detineantur; quare ſi congruè loqui velimus, Detentiones potiùs, quàm Fluxiones ſunt appellandæ.

*In Volupe Viven. n. 13.*

VI. Neque interdùm exiguus labor mihi impendendus fuit, ut aliquibus à præjudiciis occupatis perſuaderem erroneum prorsùs eſſe comminiſci, quòd cum pars aliqua inflammatur, ac in tumorem aſſurgit, tunc humores majori impetu ad eam partem ferantur, quàm ad alias, ſi vera eſt, non commentitia lex Circularis motus ſanguinis, qua ſtante, ſtant ac ſtabunt perpetuò tot clariſſima Recentiorum excogitata, quot indies intercidunt Antiquiorum placita; nam revera ſi mentis aciem intendamus, pigriori lapſu ſanguis movetur ad partem quæ inflammatione tentatur, quàm ad alias ubi expeditæ ſunt Viæ, ac nullum repagulum, quod ſanguinis curſum remoretur. Quidam autem res in cute ſolùm, non intùs reputantes, cum vident partem brevi temporis intervallo in tumorem attolli, ut in Phlegmone, putant ſanguinem pleno fluento eò confluere, quod ſanè locum habet cum Vas aliquod ſanguiferum diſruptum, eſt, & in aliquam cavitatem ſanguis decidit, vel extra Corpus effunditur, non ita verò in Phlegmonum, & aliorum tumorum generatione, qui non aliam ob cauſam fiunt, quàm quòd præpeditô circulari ſanguinis motu, plus ſit quod Arteriæ ad partem deferant, quàm quòd Venæ referant, ſive id fiat ob lutulentam ſanguinis craſim, ſive ob fibrarum motricium criſpaturam ex vi dolorificæ paſſionis, ut in vulneribus, ac Nervorum puncturis.

Huic

Huic autem Veritati fortaſſe manus darent, ſi cum brachio vinculum injicitur ad celebrandam phlebotomiam, veram cauſam perpenderent, quare infra nexum tumeant Venæ unà cum mole carnea, quod non fit, quia tunc temporis ſanguis eò rapidiùs moveatur, (multò enim velociùs antè eò propellebatur ubi nullus erat obex, ac minor reſiſtentia ſuperanda) ſed quia ibi detinetur ob interceptum ejuſdem per Venas ad Cor refluxum.

VII. Haud abſimilis quoque eſt Catarrhi generatio de cujus natura, ac ortu inter Medicos non ſatis convenit. Popularis, ac vetus opinio eſt, Caput Catarrhi Fontem ac Scaturiginem eſſe, unde frequens proluvium in fauces, & pectus, ac etiam uſque ad extremos artus. Opinionem hanc de Catarrhi ortu, ac deſcenſu, ex quo Etymon deſumpſit (cum non niſi deſcenſum, ac defluxum hæc vox ſonet, unde voces κατάρροπος & ἀνάρροπος à Galeno uſurpatæ, ut humorum deſcenſum, vel aſcenſum innueret) hanc inquam opinionem eliminarunt è Scholis recentiores omnes Anatomici ut Williſius, Richardus Lower, Stenonius, Rolfincius, Ettmullerus, Blancardus, ac inter Italos noſtros Doctiſſimus Bellinus. Hi omnes ad Anatomicum Tribunal, omnibus indiciis, quibus Caput hujus criminis Auctor inſimulatur, diligenti examine perpenſis, nulláque apparente via per quam Caput ſordes ſuas in fauces, ac Thoracem expuat, ipſum plenis ſuffragiis abſolvunt. Non deſunt tamen adhuc qui

*2. ad Glau.*

*de Morb. Cap. cap. de Cath.*

*Obſtipo capite, & figentes lumine terram,*

*Perſ. Sat. 3.*

Antiquorum placitum veluti mordicùs tueri, nec deſinant in morbis pectoris Caput non ſolum pharmacis, ſed ferro, & igne tanquam reum plectere. Per quos porrò ductus Cerebrum ſuperfluitates ſuas, quibus procul dubio diffluit, poſſit excernere, inter quærenda eſſe ait Celeberrimus Stenonius, niſi tamen per obſervatos à Blancardo ductus, in jugulares Venas fiat hujusmodi excretio.

*Tra. de Glād.*

*Anat. reform.*

VIII. Catarrhi Fontem non veriti ſunt alii aſtruere eſſe ipſum

ipſum Vitæ Fontem, Cor ſcilicet, quod per arteriarum du-
Bonet. Se-pulch. T. 1. Se. 17. ctus circumquaque Catarrhi materiam deferat; hinc Rheumatiſmi, & tumores, & quidquid nomine fluxionum venit; quod Aſſertum eſt Rolfincii cui conſentiunt Schneiderus, Wedelius,& alii,qui Catarrhum à maſſæ ſanguineæ ſero prodire
Tr. de Corde. variis obſervationibus teſtantur. Sat celebre eſt experimentũ Richardi Loweri de Cane,cui cum arctè Venas Jugulares vinxiſſet, partes omnes ſupra ligaturam tumefieri, necnon copioſas lacrymas ex oculis, & plurimam ſalivam ex ore profluere obſervavit, quo tandem tanquam ex Angina ſuffocato, ac diſſecto, nullæ partes ſanguine perfuſæ repertæ ſunt, ſed ſolùm muſculi omnes, & glandulæ ſero limpido diſtentæ apparuere. Ab hac opinione non multum diſſentientes alii, Glandulas Catarrhi Fontes ſtatuunt, ut Stenon, Etmullerus, & alii; ſi enim Glandularum ſtructuram accuratiùs perpendamus, conſtabit eas eſſe faſciculum Arteriarum Venarum, Nervorum, & Vaſorum excretoriorum, ideoque in illarum ſinum deponi ſerum ab Arteriis, & ſuperflui aliquid à Nervis, quæ opinio valdè probabilis eſt, & uſibus Glandulis à Natura deſtinatis magis congrua.

IX. Hanc tamen doctrinam de Catarrhi origine ex ſanguinis latice in Glandularum ſubſtantiam rejecto ex Helmontio habemus, qui primus forſan Caput inſons à Catarrhi infamia vindicavit, ob quam tam ſæpè inurebatur. Hic enim Auctor licet motum ſanguinis circularem ignoraret, mente tamen concepit, id quod credebatur è Cerebro depluere nil aliud eſſe, quàm laticem ſeroſum huc, & illuc delatum *à Spiritu impetum faciente, ac initio Vitali*, ut ipſe ait, nimirum è Corde, tanquam primo Impulſore, quin & ad Glandulas ipſas ablegari, quas non ut Vaſorum Pulvinaria eſſent, à Natura conſtructas fuiſſe aſtruit, ſed ad emunctionem laticis è maſſa Cruoris; Ac re vera hic latex ſeroſus Helmontii, præter alios uſus hunc habet potiſſimum, quòd ſanguini ſocius, ac totum corpus pervadens ad variarum partium culinas ever-

rendas

rendas inſerviat, & ſales diſſolutos combibendos, ut exinde per Glandulas excretrices extrudatur, & ſic tota cruoris maſſa defæcatior evadat. In hunc finem in palato lingua, faucibus, & naribus copioſas Glandulas Natura conſtruxit, ut ſanguis arterioſus, qui per Carotides ad Cerebrum deferri debet pro nervoſi ſucci, & Spirituum Animalium elaboratione, ſincerior reddatur, mucoſa parte per has Glandulas repurgata in ſtatu etiam naturali, quando alia ex parte conſtat eos qui ſunt emunctæ naris, nec multum Deſputores, lubricæ ſanitatis eſſe, ut referunt de Franciſco Galliarum Rege, qui cum eſſet ἀμυξώδης; aurium ulceri obnoxius fuit dum vixit. *Bonet. Sepulch. T. 1. Se. 17.*

X. Atque hæc quidem quotidiana per nares, & ex faucibus muci excretio iis etiam qui ſatis commoda Valetudine fruuntur familiaris eſſe ſolet; cæterùm ubi Corpus cacochycum ſit, ac ſeroſus latex luxuriet, qui ſuopte genio promptus eſt ad concreſcendum, mirum non eſt ſi accedente Boreali Conſtitutione, qualis fuit de qua hic ſermo, tunc temporis graſſentur populariter Tuſſes, Rheumatiſmi, & quodcunque aliud morbi genus, quod in fluxionum cenſu reponitur, detenta in Glandulis vitiata, ac ſuperexcedente lympha, non ex Naturæ providentia, quæ ſe hoc faſce levare ſatagens noxium humorem ad extrema detrudat, ſed ex mechanico partium artificio, ac particulari humorum textura juxta varias Aëris alterationes, ea lege, ut decubitus ibi fiant, ubi major eſt diſpoſitio ut humores detineantur. Neque id fieri in noſtris Corporibus magis miremur, quàm in Automate alioquin benè conſtructo, quod interdum ad quaſdam Aëris alterationes à ſolito ſuo munere aberrat, & ab ignaro popello tanquam inſanum ridetur. Mira eſt autem, ac penè divina vis Ventorum in Aere alterando; talem enim affectionem Aer poſſidet, qualem Ventus qui perflat, ac talis eſt Sanguinis diſpoſitio, qualis eſt Aer quem inſpiramus. Sic ut refert Vitruvius, apud Mitylenem (quæ Urbs in Leſbo erat *l. 1. de Archit. c. 5.*

quidem magnificenter extructa, ſed non prudenter poſita,) cum flabat Auſter, homines ægrotabant, quando Corus, tuſſiebant, cum Septentrio, reſtituebantur in ſalutem. M. Varro quoque cum Romana Claſſis Corcyræ eſſet ac tota penè ægrotaret, *immiſſo feneſtris novis Aquilone, & obſtructis peſtilentibus, ſuos incolumes reduxit.*

*de Re Ruſt. l. 1. c. 4.*

XII. At quorſum tot ſpeculationes, inquiet aliquis? Ut juxta veram horum Affectuum Theoriam congrua medendi methodus inſtituatur, regeram ego; Ubi enim ingruunt hi morbi qui non è capite decidui, ſed ab humorum ſtagnatione pendent, illicò ad vehementia Cathartica, Inuſtiones Phænigmos, Cucurbitulas, ad Narcotica quoque, ac mille alia remedia ad materiam fluentem revellendam, intercipiendam, derivandam, ſuſpendendam quoque, ut putant, Ceratis capitalibus, confugiunt; Interim neglecta manet vera morbi cauſa ad quam oppugnandam ſeriò, ac omnibus nervis eſſet incumbendum, ut poſtquam ſufficiens evacuatio eſt facta, uſu alterantium, ac naturalem ſanguinis texturam reſtituentium, fluidæ ſubſtantiæ æquabili tenore per ſuos ductus curſum repeterent. Quot verò modis per Venæ ſectionem peccatur? Jam Phlebotomus velut gladius Delphicus paſſim tam in magnis, quàm in levibus morbis ſtringitur ad innocentes Victimas ſæpiùs mactandas, quàm graves affectus jugulandos.

XIII. Poſtquam Mundo innotuit circularis ſanguinis motus, Scopi equidem quos in morbis, qui ab humorum fluxione pendere ſupponuntur, ſibi propoſuerant Medici, non tanti ſunt ponderis ut creditur. Certè Intercipientia locum nullum habent, quomodo enim quis intercipiat materiam ad partem per Arteriam fluentem niſi Arteriam ipſam vinciat? neque enim jure poſtliminii, aut redhibitionis actione redire poteſt humor unde eſt egreſſus niſi per circulum. Revulſio verò per V. S. de Throno ſuo jam decidit; imò ſi ſtrictè loquamur, ferè nulla eſt, qui enim fiat, ut humor per

Arteriam fluens per eandem poſſit revelli; Profectò ſi qua fit per V. S. Revulſio, per id ſolum tempus fit quo Vena eſt aperta, tunc enim Sanguis per Venam ſectam, ac pariter per proximam Arteriam quæ illi humorem ſuggerit, majori velocitate movetur quàm per alia Vaſa; illa verò clauſa, ceſſat hæc in velocitate inæqualitas, ut ingenioſiſſimè ad demonſtrationem uſque explicat Bellinus. Non ibo tamen inficias, quin diminuta ſanguinis copia minor humoris portio ad partem laborantem deferatur, & minus ſit ſanguinis ſtagnantis incrementum. Quanti autem ſit facienda per V. S. Revulſio, & quàm facilè quibusdam imponat, qui hoc nomine inſcitiæ ſuæ velum prætendunt, explicat egregiè Andreas Cnoffellius in quadam ſua Conſultatione pro Jo. Caſimiro Poloniæ Rege, cui ob immodicum hæmorrhoidalis ſanguinis fluxum laboranti cum magni nominis Medici frequentem ſanguinis miſſionem è brachio ſuaderent ad revellendum ſanguinem fluentem, ac ipſe acriter renueret; hæc ſcripſit verba, quæ utpotè elegantiſſima, & magni ponderis hìc libuit apponere. *Et quomodo ſanguini ad peremptoriam medicæ Revulſionis citationem, dicam, & locum, ſcribere poſſumus, qui privilegio ſpeciali vitalitatis in circulum, & in ſe ipſum rediens cum ſpiritu ſuo hoſpite nullius loci, & temporis leges reſpicit, neq; locum ſtandi ullum in univerſo corporis foro agnoſcit?* *Bonet. Med. Sept. p. 1. l. 3. Se. 11. c. 16.*

XIV. Revellenda itaque eſſet ex quorundam animis, quibus altè inſedit hæc de vi Revulſionis per V. S. opinio, cum re vera non niſi ad demendam plenitudinem conferat Venæ ſectio. Condonandum quidem aliquid Æmilio Pariſano, & Primiroſio, qui non aliam ob cauſam, ut ait Leonardus è Capua, in Harvæum Stylum acuerunt, niſi quia ſtante Sanguinis Circuitu viderent Revulſionem per tot ſæcula adeò celebre præſidium, ferè penitus corruere, non ità verò noſtrorum temporum Profeſſoribus in tam clara luce cæcutientibus. Multum profectò *Hippocrates* Revulſioni in fluxionibus detulit, ut paſſim in illius Operibus videre eſt; locus ta- *Serm. 5.*

men inſignis apud eundem extat qui Revulſioni videtur pa-
*. de Morb. Mul. n. 2.* rùm favere. Ad ſiſtendum immodicum menſium fluxum jubet ille ut vincula injiciantur ſupra genua; verum quidem eſt, quòd præcipit quoque ut eodem tempore vinciantur
*Cōtrad. 34. Conſ. 55.* brachia; nodum hunc ſolvere anniſi ſunt Rorarius, & Fonſeca, ſed non planè ſatisfaciunt; meum ſanè non eſt hujusmodi ſcrupos diſſolvere, meliori enim vindice dignus eſt hic nodus, proferam tamen quod ſentio. Quidquid ſit de efficacia hujus remedii, & num eventui reſpondeat, videtur *Hippocrates* mente attigiſſe motum ſanguinis perennem per ſuos ductus, multis enim in locis mentionem habet de ſanguinis ſtaſi, & interceptione Venarum, quam φλεβῶν ἀπόληψιν appellat; ut ergo fluxum catameniorum cohiberet, ſanguinis ſtationem, ſeu ſaltem remoram aliquam humoribus impetrandam curabat, tam in partibus ſupra, quàm infra Cor, vinculis ad brachia, & femora injectis, nihil veritus quòd ligaturæ ſupra genua ad Uterum quicquam traherent. Ac re vera quid magis ex improviſo hæmorrhagias ſiſtit, quàm ſuperveniens animi deliquium, cui neceſſariò conſectaria eſt Cordis à motu feriatio, ac eodem tempore ſanguinis ſtaſis?

XV. Sic autem ratiocinari nos cogit Divinum prorſus Inventum Circularis motus ſanguinis, quod unicum φαινόμενον innumeras diſcuſſit errorum tenebras, effecitque ut humani Corporis, cæterorumque Animantium, quibus præcordia finxit Divinus Opifex, vera, ac genuina Oeconomia innotuerit. Cor enim nectaris vivifici, quo Corpus univerſum ſuſtentatur, Promus, & Condus eſt, habens ad latera Arterias, & Venas adminiſtras; Arteriæ è ſiniſtro penu alimoniam depromunt, ac partibus omnibus, vel remotiſſimis diſpenſant. Venæ aſſidentes quod à nutritione reliquum fuit ſuis radicibus, tanquam manibus, recolligunt, & ad dextrum Cordis Condum comportant. Iiſdem Venis medio in itinere ſuccenturiant Venæ lacteæ, quæ novum commeatum ſanguini ſub forma candidi laticis refundunt, qui poſtea in Pul-

moni-

monibus admirando artificio purpuraſcit. Hæc eſt Vitalis Facultatis vera, & naturalis Oeconomia, cui non parvas ſuppetias fert Animalis Poteſtas, quæ pro beneficio purioris ſanguinis ad Cerebrum delati uberem ſpirituum influxum per nervos Cordi ſuppeditat ad illius motum perennandum. Sic binæ iſtæ Potentiæ, licet ſedibus, & regimine diſtinctæ, tanquam fœderatæ Provinciæ, ſibi invicem collata beneficia rependunt. Sicuti autem in Civitate benè conſtituta, quouſque legibus ſuus vigor perſtat, ſumma tranquillitate degitur, iis autem peſſundatis, turbarum plena ſunt omnia, ita in humano corpore Circularis motus ſanguinis lege ſervata, ſarta tecta Valetudo eſt, ea verò infracta, ſuſque deque aguntur omnia, ac inteſtinæ ſeditiones ſubſequuntur.

XVI. Quamvis autem Lex iſta, quam primus tulit Harvæus, vel cujus prima fundamenta jecere Itali noſtri, ut Andreas Cæſalpinus, Realdus Columbus Cremonenſis, pro rata, imò ſacra habeatur, non defuit tamen qui nuper legem hanc abrogare contenderit; is fuit Homobonus Piſo Medicus Cremonenſis, qui edito libello ſub titulo *Ultionis Antiquitatis* Circularem ſanguinis motum tanquam Recentiorem Commentum traduxit. Hîc mihi non vacat ejuſdem rationes, ac fundamenta expendere, ſolùm hoc innuam, quòd illius primum argumentum ab hujus legis inobſervantia petitum (eò quodam Medicorum quotidiana praxis, præcipuè circa uſum V. S. ſuppoſitæ doctrinæ de ſanguinis circuitu quicquam non reſpondeat) Profeſſoribus incuriam exprobrat, quod equidem verum eſt, ac maximè dolendum, cùm innumeri penè ſint, qui paſſim crepent hunc circularem ſanguinis motum, ſed poſtmodum, vel ob inſcitiam, vel oſcitantiam, non benè penſitatis iis, quæ ex tali principio conſequuntur, operibus tollant quod magnifico verborum apparatu ſtatuerant. Verùm cum huic malo medelam aliquam apponere ſit neceſſe, Profeſſor in hac Civitate mihi jamdudum conjunctiſſimus Opus jam molitur, cui hunc vult eſſe titulum. *Rationarium*

*Quæ. Med. & Quæ. Peripat. l. 5. c. 4. l. 11. c. 2.*

*narium Medicum Sæculare, quo ſummatim, ac veluti facta ſupputatione apparet quid lucri ex celebrioribus Inventis Anatomicis hujus Sæculi Arti Medicæ, tàm quoad Theoriam, quàm quoad Praxim acceſſerit.* Habent Mercatores ſua Rationaria, ſicuti & diligentes Oeconomi, habent & Principes, ut olim Auguſtus, qui diuturnæ valetudinis tædio Rationarium Imperii Senatui tradidit; non abs re forſan erit ſi Medica Reſpublica Rationarium ſuum habeat, quod monſtret quantum Medicinæ pomœria ampliarit hoc noſtrum fortunatiſſimum Sæculum, & quod ſimul pro ſaniori medendi methodo inſerviat. Hujus operis editionem uſque ad finem hujus Sæculi animus illi eſſet differre, ſpe forſan quòd novo aliquo Invento Sæculum hoc coronetur, cum adhuc vivant multi egregii Viri novarum rerum Repertores, inter quos Celeberrimus Malpighius, qui Romæ nunc degit ad Pontificiæ Valetudinis cuſtodiam; verùm ego non deſino Collegam hunc meum urgere, ut ad meditata ſeriò incumbat, ac utinam eò uſque illi fata Vitæ lineam protendant, ut Opus hujusmodi ad umbilicum deducat. Verùm è Diverticulis in viam.

*[S]uet. in Aug.*

XVII. In iis ergo Affectibus, qui ab humorum fluxione fieri ſupponuntur, iterata V. S. ad tot ſcopos implendos totum corpus depeculatur, & morbi cauſam perſæpè deteriorem efficit. Ubi enim Vaſorum plenitudini quæ vires premit factum fuerit ſatis, ſeu ad humorum Orgaſmum ſufflaminandum ſi adſit, ſanguinis ſufficiens copia detracta fuerit, ſatiùs profectò eſſet iis hærere remediis quæ ſanguini debitam craſim reſtituere nata ſint. Certè in hac hyemali Conſtitutione Catarrhis obnoxia repetita V. S. non adeò ſalubriter ceſſit. Multos Pleuriticos certò ſcio inopinato periiſſe, poſtquam bis, vel ter ſecta fuiſſet Vena. Præ cæteris pius Sacerdos firmi alioquin habitus ex Pleuritide laborans, poſtquàm tertia vice detractus eſt ſanguis, eadem die interiit. Non ſolùm autem turpis eſt calamitas, ægrum epoto medicamento occidere, ut ajebat *Hippocrates*, ſed etiam ſi detracto ſanguine paulò poſt

*[D]e Med. [P]ur. 4.*

inter-

intereat. Senioribus verò in hac tam rigida tempeſtate periculoſum fuit Sanguinem etiam ſemel detrahere. Nobilis mulier nonagenaria, ex Pleuritide ſpuria decumbens, cùm inſtaret ut ſibi tunderetur Vena, ac ego renuerem, alter Medicus accerſitus illi morem geſſit, & citiſſimè eam ſuſtulit.

XVIII. Ut conſtet quali cautione in Senum regimine ſit procedendum quotieſcumque ab aliquo Rheumatico Affectu premantur, in Boreali præſertim Conſtitutione, inſignem oppidò, ac notatu dignam *Hippocratis* hiſtoriam hic lubet apponere. *Halicarnaſſenſis qui in domo Xantippi diverſabatur aurem hyeme dolebat, & caput non mediocriter; erat autem Annorum circiter 50. Vena ſecta eſt juxta Mneximachū, læſum eſt caput evacuatum, ac perfrigeratum, non enim facta eſt ſuppuratio. Phreniticus factus eſt, & mortuus.* Tot circumſtantias hic apposuit *Divinus Præceptor*, ut credi poſſit hiſtoriam hanc plus continere in receſſu, quàm in fronte, rarò fit, nec ſcio, quòd alibi in ullo ægrotante annorum numerum definierit *Hippocrates*; conſideranda igitur erant ætas ad ſenectutem vergens, Anni tempus hyemale, humor peccans craſſus nempe, ac frigidus, ætati ac tempori congruens, qui obſtructionem faceret, ac tenſionem in parte, atque hinc dolor; ex alieno præſcripto (mentionem enim facit curantis Medici, quod illi non adeò familiare) miſſus eſt ſanguis, at quonam eventu? perfrigeratum eſt cerebrum, ſubſequente caloris nativi necroſi, ac prohibita eſt ſuppuratio; neque enim tanquam parergon, ut ait Valleſius, adjecit *Hippocrates* illa verba, *non facta eſt ſuppuratio*; pernicioſum enim effectum ex intempeſtiva V.S. ſequutum innuere voluit, prohibitam ſcilicet humoris maturitatem. Lethargicum autem potiùs, quàm verè Phreniticum factum fuiſſe interpretatur Valleſius, cùm in libris Epidemiorum quoſcumq; delirantes Phreniticos Senex Cous appellare conſueverit.

*7. Epid. n. 54.*

XIX. Sæpiùs quoque mihi advertere obtigit, quòd in hac Rheumatica Conſtitutione, ſi febre ſuperveniente miſſus

fuerit

fuerit ſanguis, deterior factus fuerit affectus, ac etiam quandoque cum funeſto eventu. Ut plurimùm ubi Catarrhi urgent, vel in pectore, vel quacumque alia parte, ſi febris ſuperacceſſerit, multis ex Profeſſoribus ſolenne eſt ad Phlebotomiam, tanquam ad ſacram Anchoram, confugere. An tùm Navis ſecurior? Periti Nautæ ventis etiam adverſis aliquandò utuntur ut Portum fortiter occupent. Febris autem non tam horrendum eſt Monſtrum, quod etiam à perito Artifice ſub jugum mitti nequeat, nec ſine aliquo emolumento. Eſt ubi Febris ſanguinis miſſionem hortetur, eſt etiam ubi dehortetur; ſed opus eſt Dioriſmo. Si nimis denſam compagem ſanguis adſciverit, & ad ſtaſim aptus vel in pectore, vel in capite reſtagnet, ſi febris poſtmodùm accendatur, vel parcè, vel nullo modo ſanguis mittendus; ſæpè etenim Naturæ ipſi manu gladium abripimus quo morbum ſe ſola potuiſſet conficere; ſi verò contrariam diatheſim ſanguis habeat, & ob orgaſmum aliquem ad διαχυσιν, ſeu diffuſionem promptior ſit, febris ſuperaccedens V.S. hortatur. Locus eſt inſignis apud *Hippocratem* quem hic referre non abs re fuerit. *Quicumque derepente obmuteſcunt, ſi ſine febre fuerint, ipſis Venam ſecato.* Solenne eſt *Hippocrati* in libris Epidemiorum illud verbum adjicere ἀπύρετος; magni enim ponderis ad rectam curationem eſt hæc conſideratio, num Affectus ſit cum febre, vel ſine febre, non ſolum enim à febris præſentia, ſed etiam ab ejuſdem carentia deſumendæ ſunt Indicationes, ut in hoc loco *Hippocrates*, qui tamen interpretandus, ubi craſſi humores Naturam onerent, ac periculum ſit ne calor innatus ſuffocetur. Videant ergo quantum à Via quam trivit *Hippocrates* deflectant qui à Febre alicui Affectui ſuperveniente illicò oblatum ſibi ſcopum tundendæ Venæ ad ravim uſque conclamant.

*[...]ſ. in 2. Epid.*

XX. Præ oculis itaque ſemper habenda Anni Conditio; etenim ſicuti in maxima frugum abundantia, *Annus eſt, non Terra quæ fructificat*, ut ait Theophraſtus, ita in quibuſdam tempo-

*[...]. 8. de Hiſt. Plant. c. 8.*

temporibus non particularis Corporum diſpoſitio, ſed Anni Conſtitutio ea eſt quæ morbos progerminat; attentè idcircò obſervandum quam Diatheſim ſanguis adſciſcat, ſive id in ſenſibiles qualitates, ſive in inſolita effluvia è Terra expirantia referre placeat, & quænam remedia proſperum ſortiantur eventum; ſæpè etenim fit, quemadmodum ſcitè advertit Tho: Sydenham, Morborum Epidemicorum accuratiſſimus Scriptor, ut qua methodo quis morborum quaſdam ſpecies fœliciter curaverit, vertente Anno, eadem methodo deteriores reddat; quare idem Auctor ingenuè fatetur, ſe numquam ſatis caviſſe, ne qui primi ſe illius curæ commiſiſſent, vita periclitarentur, donec multiplici obſervatione, ac perſpecto morbi genio, ad veram Curationem recto pede procederet. Sic Phlebotomia, quæ aliàs in memoratis Affectibus ſalubris eſſe conſueverat, in hac Conſtitutione non inſignem operam præſtitit, quod procul dubio referendum erat in prægreſſam antecedentis Anni Conſtitutionem frigidam, ac nimboſam, & ſubſequentem hyemem nimis horridam, ob quam adeò craſſam compagem ſanguis contraxerat, ut ſi plus æquo detrahetur ſanguis, & calor innatus labefactaretur, humores ad motum ineptiores redderentur, ac faciliùs concreſcerent. Talem autem fuiſſe ſanguinis texturam ejuſdem ſanguinis conditio multam pultem in ſuperficie præ ſe ferentis, nec non multi Polypi in diſſectis Cadaveribus, ac denatis ex Catarrho intra cordis ſinus, & ipſa Vaſa ſanguifera reperti ſatis demonſtrarunt.

*de Mo. Epid. c. 1.*

XXII. Frequens autem hiſce temporibus in demortuis ex repentino caſu Polyporum obſervatio, ſi non aliud, id ſaltem præſtat; quòd vera quorundam Affectuum cauſa innoteſcat, & culpa vacare credatur Medicus, ſi monſtret quam mala Beſtia cubet in Præcordiis. Id præterea conſequimur, ne diverſa morborum nomina nobis imponant; Syncope enim Cardiaca, Catarrhus ſuffocativus, & Apoplexiæ ſpecies quædam non aliam perſæpe agnoſcunt cauſam, quàm po-

lypoſas concretiones in Corde, vel in Vaſis ſanguiferis ſtabu-
de Aff. Part. c. 4. lantes. P. Salius particulare caput de Syncope Cardiaca inſtituit, aitque illam fieri ex ſanguine in Venis, & Arteriis coaleſcente, ſic caſum refert Puellæ ſubita morte extinctæ, cujus Cadavere diſſecto ex Arteria magna ſanguis concretus eductus eſt, non aliter quàm gladius è vagina extrahi ſolet. Refert quoque Riverius Puerum 5. annos natum ex catarrho decumbentem, poſtmodum lipothymia correptum ſubitò interiiſſe; aperto verò Cadavere, in ſiniſtra Cordis auricula materiam craſſam, & compactam repertam fuiſſe, quæ, ut ipſe ait, laridum coctum referret, cui Polypi nomen non indidit hic Auctor, cum nondum in Microcoſmico Erythræo Polypos expiſcata eſſet Anatomicorum ſolertia. Nuper apud nos Vir ſexagenarius, præpinguis habitus, ſubitam mortem oppetiit; diſſecto Cadavere ad explorandam mortis causã, ex Pericardio ferè duæ libræ concreti ſanguinis extractæ ſunt, ac in Trunco Arteriæ magnæ aſcendentis inventus Polypus lacertulæ longitudinem, & magnitudinem referens. Intercepto itaque ob hujuſmodi extranea Corpora ſanguinis in orbem itu, ac reditu, & mutuo inter Cor & Cerebrum interrupto commercio, non ſuggerente Corde ſanguinem Cerebro per Arterias pro ſpirituum Animalium generatione, nec Cerebro Cordi ſpiritus Animales ad perennandum illius motum (quando Cordi à motu nullæ ſunt feriæ) neceſſe eſt, ut ſubitus ſubſequatur interitus. Caſus autem hujuſmodi vel à Syncope cardiaca, vel à Catarrho ſuffocativo, vel etiam ab Apoplexia fieri dicamus, parùm refert. Binas Apoplexiæ ſpecies ſtatuit Heurnius, unam quam parvam appellat, ac ait fieri ob φλεβῶν ἀπόληψιν id eſt ob prohibitum ſanguinis in Cerebrum influxum, alteram magnam ob interceptum ſpirituum Animalium è Cerebro effluxum. Tres verò Apoplexiæ ſpecies ex *Hippocratis* doctrina tradit Martianus, quas tamen in eſſentia convenire, & à ſanguinis ςάσει pendere autumat, quæ quidem ſanguinis ſtatio à Polypoſo craſſamento induci poteſt, cujus genera-

Cent. 1. Ob. 82.

Com. in 4. Acut. t. 23. & de morb. Cap. c. 23.

2. de Morb. ſe. 1.

neratio, utut non ſit momentanea, accedente tamen aliqua cauſa, quæ ſanguinem in motum rapidiorem cieat, & præexiſtente prava totius maſſæ ſanguineæ diſpoſitione ad grumeſcendum, mirum non eſt ſi ſanguinis ſtagnationes ex improviſo contingant, ac interrupto ſpirituum vitalium radio, qui à Corde jugiter influunt, Cerebrum, Lunare Sydus Microcoſmi, Eclipſim patiatur. De hac Apoplexiæ ſpecie, in qua morbi cauſa eſt extra Cerebrum, pluribus in locis agens *Divinus Præceptor*, in libro de Morbis hæc habet ipſa verba, quæ utpote notatu digna, & ſanguinis circuitum adumbrantia ex nativo fonte huc transferre placuit. αἱ φλέβες ἐπὴν ἐς ἑωυτὰς ἐρύσωσι Φλέγμα, ἀνάγκη ὑπὸ ψυχρότητος τοῦ φλέγματος, τὸ αἷμα ἑστάναι μᾶλλον νῦν ....... μὴ κινουμένου δὲ τοῦ αἵματος οὐχ οἷόν τε μὴ οὐχὶ, καὶ τὸ σῶμα ἀτρεμίζειν, καὶ κεκωφῶσθαι. ideſt; *poſtquam Venæ pituitam in ſe ipſas traxerint, neceſſe eſt præ pituitæ frigiditate ſanguinem tunc magis ſiſti ....... dum autem ſanguis non movetur, fieri non poteſt ut non etiam corpus quieſcat, ac torpeat.* *Mercur. in 2. de Morbis p. 118.*

XXII. In Apoplexia, ac præſertim ubi in Paralyſim degenerat, ſæpiùs obſervavi, modò loquelam amitti voce ſuperſtite, modo utrumque, quod quidem obſervatione dignum, tum ad prognoſim, tum ad curationem; non enim idem ſunt deſtitui loquela, ac voce deſtitui. αὐδὴ loquelam ſignificat, φωνὴ vocem, quæ duo diverſis organis perficiuntur, ſermonis enim Lingua eſt dædala, vocis autem Larynx, & Trachea. Obſervatio Doctiſſimi Williſii eſt, ad gravis vocis efformationem truncum aſperæ arteriæ deprimi, ad vocem autem acutam efformandam ſurſum attolli, quem motum alternum præſtari ait à ramulo nervi recurrentis cartilagineos annulos deorſum trahente, & à nervo altero à plexu paris vagi eoſdem ſurſum attollente; ſic exolutis nervis ad linguam pertingentibus ἀναυδία ſubſequitur, ἀφωνία verò ſi exolvantur qui ad Laryngem, & Tracheam dimittuntur; poterit ergo aliquis eſſe ἄναυδος, & non ἄφωνος, ut muti, ac in- *de Anat. Cer. c. 24.*

fantes recens nati, qui ſonos edunt licet non articulatos, non
3. in 3. Epid. Ægr. 3. tamen è converſo poteſt eſſe quis ἄφωνος, & non ἄναυδος. Quare *Hippocrates* in hiſtoria Pythionis, qui poſtea die 10. mortuus eſt, ſcripſit hæc verba. *Circa veſperam omnia exacerbata ſunt*, ἄναυδος, ἄφωνος Loquela deſtitui malum quidem ſignum eſt, perniciosius verò etiam voce privari, idcircò *Divinus Præceptor* ut peſſimum Pythionis ſtatum indicaret has binas voces appoſuit. Æquè verò tam Aphonia, quàm Anaudia fieri poſſunt tum ob exolutionem, tum ob convulſionem; procul dubio in Pythione aphonia convulſiva erat, nam die 6. dolores vehementes ipſum tenebant; in hoc itaque diſtinguuntur, quòd Aphonia quæ intenſione conſiſtit, fatalis eſt ad crudeliſſimam mortem, quæ verò in exolutione,
in Præn. Coa. p. 144. moriendi ſenſum adimit, ut ait Doctiſſimus Duretus. Cum itaque tam ob nervorum, & muſculorum vocalium tenſionem, quàm ob laxitatem, fieri poſſit aphonia, quotieſcumque illa appareat, diligenter advertendum num convulſoria ſit, vel exolutoria, ut apta remedia præſcribantur τάσις enim, & λύσις contrarii ſunt Affectus. Sæpè autem fit, ut ſi in maligna febre aphonia ſuperveniat, ad aliquam excuſationem āpud vulgus aucupandam ſoleant nonnulli magna utiq; confidentia pronunciare, ægrum apoplectico inſultu correptum fuiſſe, cum tamen aphonia illa convulſiva ſit; perrarò enim in acuta febre aphonia apoplectica ſuccedit, quod tamen aliquandò obſervatur, & qualem caſum nuper habui præ manibus. Vir enim robuſti alioquin habitus poſt 12. paroxyſmum Tertianæ febris factus eſt ἄναυδος, καὶ ἄφωνος, reſoluto eodem tempore brachio, & crure dextro, ac jam vocem ex integro recuperavit, ſed nondum perfectum ſermonem. Nar-
l. 10. Ob. 89. rat Foreſtus Textorem quendam ob leve vulnus in extremitate pollicis in dextra manu obmutuiſſe, quem veluti linguæ paralyſi affectum à ſe curatum ait, ego autem pace hujus Celeberrimi Viri, crediderim obmuteſcentiam illam ortam fuiſſe potiùs ex convulſione linguæ, nam æger ille, & nutu, &

ſcripto,

ſcripto, ut idem Auctor refert, indicabat ſibi linguam tanquam filo conſtringi.

XXIII. Atque hi quidem vagabantur affectus ob ſuperiùs memoratas cauſas, quibus addendum, quòd cum Anni prava Conſtitutione conſpiraverat rei Annonariæ penuria, quæ ſola potis eſt craſſis humoribus corpora infarcire, ob prava alimenta, ac præcipuè ob uſum leguminum, quæ ſuapte natura ægrè coquuntur, unde Cacochymia propteréa urgente frugum inopia, cautè uſurpanda magna remedia, præſertim in Popularibus, quod in Praxi diligenter obſervandum. Sicuti enim ex *Hippocrate* difficulter ferunt purgationes qui pravo utuntur cibo, eô quòd illorum Corpora, ut Galenus interpretatur, citò exolvantur, vel ob Syncopem Stomachicam, in quam facilè incidunt Cacochymici ubi purgantur, ut Heurnius, haud ſecùs per V.S. quoque in ſummum diſcrimen adducuntur, uti frequenti obſervatione mihi compertum. In quibusdam Oppidis hujus Ditionis ac præcipuè Caſtrovitri, & Scandiani, idem accidiſſe accepi, quod apud Ænum Civitatem Thraciæ ob Annonæ caritatem eveniſſe ſcripſit *Hippocrates*, ut multi ob uſum leguminum, ac Erui præſertim, in Crurum exolutionem inciderint. In hujuſmodi ergo calamitatibus cautum eſſe oportet Medicum, nec adeò liberalem in profundendo humano ſanguine, uti quibuſdam aliis temporibus. Ad has itaque Circumſtantias, & præcipuè ad Anni Conſtitutionem, tanquam ad Verſoriam, mentis acies potiùs convertenda, quàm ad decerpendum ex libris, generales morborum Curationes, ne vetus Parœmia obtrudatur, *Nauta ex libro.*

*2. Aph. 3.* *3. in 1. Epid.*

XXIV. Quare autem Plebs Urbana in hac Conſtitutione prædictis Affectibus magis obnoxia fuerit, quàm Agreſtis, id forſan factum crediderim, quòd Ruſticana gens vitam actuoſiorem degens, ſanguinem magis fluxilem haberet ac minùs aptum ad ſtagnationem, ſeu quòd in Rurali Epidemia in altera mea Diſſertatione deſcripta, febres diuturnæ, quæ agre-

ſtem populum exercuerunt, vicem Criſεωs ſuppleverint, ſanguinis fæculentias ſenſim repurgando, ac ad meliorem craſim totam maſſam humoralem perducendo.

XXV. Circà Æquinoctium cœpit frigus miteſcere, ac tam ſubita facta eſt permutatio ab intenſo frigore ad immoderatum æſtum, ut ab Æquinoctio uſque ad Martii finem calor haud multum diſtaret ab æſtivo, Sole in occaſu flammeo apparente, non ſecùs ac Auguſto menſe; ſubſecuta quidem poſtmodum Aprilis menſe aliqua caloris remiſſio, ſed firma ſemper, & conſtans perſtitit ſiccitas, ſereno, ac præſudo Cœlo, cùm itaque nulli prorsùs imbres per totum Aprilis menſem decidiſſent, non levis timor omnes corripuit de Anno parum frugifero; non modici tamen ſolaminis erant Plantæ omnes fructiferæ floribus paſſim albeſcentes, quæ fructus tum præcoces, tum horæos abundè pollicebantur uti re vera contigit, hoc Anno laboranti Cereri ſuccenturiante Pomona. His addebatur quòd calor non proportionatè ad Solis acceſſum augeſcens ſiccitatem in dies auctiorem reddebat, quare toto Vernali tempore Terra non minùs arida, ac dehiſcens viſebatur, quàm cum *findit Canis æſtifer arva.* Perſeverante pariter Majo menſe hac arida Conſtitutione, niſi identidem, ac ſporadicè modicis imbribus delapſis, magna herbarum inopia hoc Anno laboratum eſt, fabis quoque ac omnibus ferè leguminibus ob humidi defectum arefactis, exigua quoque ſpe ſuperſtite, quòd eandem ob cauſam triticea meſſis ad bonam frugem perduci poſſet.

XXVI. In hac Vernali tempeſtate, ac præcipuè in prima Veris parte, iidem pectoris morbi, non adeò tamen graves, ut hyeme, perſeverarunt. Sub finem autem Veris Tertianæ febres, tanquam ſpicilegium prægreſſæ meſſis, caput denuò extulerunt. Nunquam apud nos Annus Scabioſior viſus eſt, omnibus ferè Urbanis, ac Ruricolis quoque, fœda ſcabie laborantibus, quæ neque ad iteratas purgationes, neque ad re-

peti-

petitas Phlebotomias quicquam miteſcebat; Sanguis qui ſecta vena educebatur multum ſeri flavi præferebat, ac Urinæ valdè coloratæ apparebant. Haud ſecùs quàm Anno elapſo magna fuit Animalium ſtrages, ac Pecudum præcipuè, ita ut Ovillus grex totus penè deletus fuerit.

XXVII. Quoniam nullus Morbus adeò popularis eſt ac Scabies (ſi tamen illam in morborum Claſſe licet reponere, quando Hippocrates ſcabiem turpitudinem potiùs quàm *de Aff. n. 35.* morbum appellat, & Plato malum vocat mixtum ex dolore, *in Philebo.* & voluptate, ac propterea græcè dicitur πάθος γλυκύπικρον) quoniam inquam, nullus Affectus adeò familiaris eſt, & qui medicos conatus magis eludat, ut hinc anſam captarit Helmontius vulgatem Medicorum praxim traducendi ſub titulo *Scabiei & Ulceris Scholarum*, perfricemus paululùm, ſi licet, hoc Ulcus. Ingenuo pudore profectò fateri licet, nihil ferè laudis Medicinæ Profeſſoribus ex Scabiei curatione accedere, imò non raro iis palmam præripi à ſuperveniente Vetula, quæ ſolo linimento interdum præſtat, quod magna remediorum ſupellectile præſtitiſſe non potuerunt, qui morbos Herculeos ſe perdomuiſſe deprædicant, quin interdum, ut ait Poëta. *7. Metam.*

*—— Inque ipſos ſæva medentes*
*Erumpit clades, obſuntque Auctoribus Artes.*

Quam labem omni ſtudio, ac juxta omnes Politicæ regulas *6. Epid.* à ſe debet arcere ex Galeni conſilio quiſquis Medicus, nam *Com. 4.* Scabies, ut idem ait, cum deformes reddat quoſcumque tenet, multò magis Medicum Clinicum deformem, & horrendum efficit, cui hac fœditate laboranti obtrudi poſſit dictum illud Poëtæ Tragœdi, quod affert Plutarchus, *quo pacto ex. In. Emol. cap.*

Ἀλλῶν ἰατρὸς ἀυτὸς ἕλκεσι βρύων,

id eſt *Aliis medens, at ipſe ulceribus ſcatens.*

XXVIII. Scabiei curationem ſolis topicis eſſe perficiendam, ablegatis omnibus internis remediis, quæ Corpora in caſſum fatigant, vult Helmontius; obſervans enim quàm

facili

facili negotio Corpus exactè ſanum ex ſolo contactu alicujus Scabioſi infici poſſit, credidit Scabiem pendere à pravo Cutis fermento, quod ejuſdem alimentum corrumpat, nequaquam verò ab interno Viſcerum vitio, quare ſolis topicis ſuadet abigendam; aſt hujuſmodi opus periculoſæ plenum
. 1. Ep. aleæ meritò cenſetur. Ballonii itaque celeberrimi Practici conſilio hærere placet, qui cum dioriſmo procedens explicat ex mente Hippocratis quando Scabies ſit morbus & quando abſceſſus, hoc eſt rectam ſemitam indigitat, qua Medicus certo pede ad Scabiei curationem procedat; lubet autem hic
. Prorret. .49. ipſum Hippocratis locum afferre. *Impetigines, & lepræ, & vitiligines albæ quibus quidem Juvenibus horum factum eſt, aut paulatim conſpectum multo tempore augeſcit, his non putare oportet abſceſſum eſſe, eam papularum eruptionem, ſed morbum; quibus verò horum aliquid eſt factum multum, & derepente, hoc ſanè fuerit abſceſſus.* Hunc locum pariter obſervans do-
n Annot. in Hipp. Cl. 3. . 11. ctiſſimus Mercurialis. *Quid ſit*, ait, *abſceſſum eſſe, & non morbum, atque è converſo, non omnes intelligunt.* Scabies itaque, aliique cutanei affectus in morborum claſſe ſunt recenſendi quando paulatim fiunt; quando verò confertim, ac præcipuè poſt gravem aliquam ægritudinem, non morbi nomine, ſed Ἀποςάσεως inſigniri debent. Eſt ergo in Scabie, ubi liceat ſolis topicis incumbere, ait Ballonius, cum nimirum Scabies eſt ſolius Cutis morbus, eſt etiam ubi neceſſe ſit internis partibus proſpicere uſu purgantium, & alterantium, ac nefas ſit ſolis topicis Scabiem exterminare velle, hoc eſt cum Scabies eſt alterius morbi ſoboles, ut in Cachexia.

XXIX. Chronicorum affectuum eam eſſe naturam, ut
Nat. hom. .17. qui *hyeme augeſcunt æſtate deſinere ſoleant, qui verò æſtate, hyeme finire debeant*, ſcripſit Hippocrates. Hanc autem eſſe Scabiei indolem, ut hyeme luxuriet, ac magis ſæviat, æſtate verò evaneſcat, vel ſaltèm miteſcat, jam norunt omnes. Quando igitur Scabioſus aliquis curandus ſuſcipitur, liberè

prote-

proteſtandum eſſet, non inſtitui curationem niſi ut faciliùs æſtivo tempore tam fœdus morbus extirpetur, atque hanc eſſe hujus peſtis naturā apud nos ſaltem (de lepra non loquor morbo Ægyptiis endemio, ut refert P. Alpinus, ob aquam cœnoſam, & ſalitos piſces, quorum uſus apud illos valdè familiaris eſt) ut æſtivi caloris beneficio faciliùs, quàm cichoraceis abigatur; ſatis abundè teſtante experientia, quòd nulla prævia purgatione, vel phlebotomia, ulloque alio remedio, quotquot agreſtes per hyemem ſcabie laborarint ſuperveniente æſtate, non ſecùs ac Angues, pſoræ exuvias deponant, ac illis niteat *aſſiduo curata cuticula Sole*. Verùm hujusmodi proteſtatio ad avertendam calumniam quandoque non ſatis eſt. Laborabat olim F. Petrarca ſicca ſcabie, ut ipſe refert, ac poſtquam à medicamentorum diuturno uſu ſe fruſtra exhauſtum videret, Medicos, quibus ex ſua natura infenſus erat, objurgare cœpit, ac iis reſpondentibus, expectandam eſſe Æſtatem, ira percitus eoſdem dimiſit his verbis. *Ego autem neque Medicis credo, neque ab Æſtate ſpero quicquam, ſed ab illo de quo ſcriptum eſt. Æſtatem, & Ver tu plaſmaſti.* Pſoræ itaque potiſſimum remedium ab æſtivo calore pendet, qui potis eſt novam craſim in maſſam ſanguineam invehere, ac illam particulis ſpirituoſis ſaturare, quo pacto Acidum illud luxurians, quod cutem exarabat, infringitur. Purgationes itaque ut ut repetitæ, iteratæ V. S. illitiones, Balnea, & omnis Medicus apparatus perſæpe præſtare nequeunt quod ſolus Aër æſtivus. Cùm hoc Vere cuidam Docto Amico meo levem purgationem ad ſanandam Scabiem, qua vexabatur, præſcripſiſſem, nec ideò meliùs haberet, ac illo urgente quid agendum ſupereſſet, per jocum remedii loco dictum illud Satyrici adduxiſſem,

*l. 1. de Med. Æg. c. 14.*

*Perſ. Sat. 4.*

*l. 3. Ep. 4.*

—— *Durate, atque expectate Cicadas*, *Juvē. Sat. 9.*

ille ad me converſus, & Tu quoque, inquit, ad græcas Calendas honorarium expecta.

2. in 6. Epid. XXX. Utriuſque caſus duo habemus notatu digna exempla apud *Hippocratem* in libris Epidemiorum, quæ hic lubet afferre. *Latæ puſtulæ non valde prurigincſæ, quales Simon habebat hyeme, qui ubi ad ignem inungeretur, aut calida lavaretur, opem ſentiebat. Vomitus non proderat.* Manifeſtum ſpecimen hic habemus Scabiei cum morbus eſt; nam ex facta inunctione, vel in ipſa hyeme, opem ſentiebat; ſi enim Scabies illa fuiſſet abſceſſus, ac alterius morbi productum, non ſolum ex intempeſtiva unctione nil opis ſenſiſſet, ſed gravem noxam expertus fuiſſet. Obſervanda quoque illa verba. *Vomitus non proderat*; ſignum evidens, Corpus illud fuiſſe ſanum, ac totum vitium in externis corporis partibus extitiſſe. Corpora ſana difficulter ferre purgationes effatum eſt ejuſdem
Sect. 2. Aph. 27. *Hippocratis*, qui pariter ubi fauces ægrotant, aut tubercula in corpore naſcuntur, præcipit ut dejectiones inſpiciantur, quæ ſi ſint ſimiles ſanis, ait tutum eſſe corpus alere, ſin minùs purgationem inſtituendam; fieri enim poteſt, ac ſæpenumerò contingit, ut Corpore ſano intus exiſtente tubercula in cute progerminent.

5. Epid. n. 4. XXXI. Exemplam aliud Scabiei, prout Abſceſſus dici meretur, ſequens eſt. *Homo quidam Athenis prurigine toto corpore vexabatur, & Cutis craſſa erat & velut lepræ aſpectu; huic nemo opitulari potuit; tranſgreſſus ad Melum, ubi ſunt calidæ Balneæ, à pruritu quidem, & Cutis craſſitudine liberatus eſt, ſed hydropicus factus mortuus eſt.* In hoc caſu certè affectio illa pruriginoſa abſceſſus erat, ac fructus morboſæ radicis in Viſceribus implantatæ; vel immoderatè, ut putat Valleſius in Commento, aquis illis thermalibus uſus fuerit homo ille, ut ſuffocato innato calore ceſſaverit illa peccantium humorum excretio ad cutem ablegari ſolita, vel, ut veriſimiliùs interpretatur Martianus noſter, aquæ ille ſulphuratæ eſſent, ac propterea, ut idem ait, *denſata à balneo cute humores pruritum excitantes ad Hepar retrocedentes ſcirrhum induxerint*, ex quo factus fuerit hydropicus, ſatis ſit quòd illi

illi magis conſultum fuiſſet, proſpexiſſe ad id quod latebat intùs, quàm quod in cute apparebat.

XXXII. Ut ad rem noſtram hactenus dicta applicemus, popularis hæc Scabies in Claſſe abſceſſuum profectò erat collocanda, utpote productum præcedentis Conſtitutionis nimis pluvioſæ, nec non & pravi victus ob Annonæ caritatem; ſic refert *Galenus*, ſua ætate cùm plurimas Romano imperio ſubditas gentes vexaret fames, ac frugibus omnibus in Urbem aſportatis, Agreſtes, quibus relicta fuerant ſolùm ὄσπρια καὶ χέδροπα, ac etiam in exigua copia, ut fruticum germinibus, & bulbis veſci cogerentur, omnes ſub Veris finem à variis cutaneis affectibus conflictatos fuiſſe, quorum alii Eryſipelas referrent, alii herpetem, & alii pſoram, impetiginem, & lepram. In hac itaque noſtra populari Scabie ſolis topicis fidere tutum negotium non erat, & quotquot ſive ſponte, ſive alieno conſilio Scabiem Unguentis antipſoricis abigere tentarunt, id ſuo periculo ſunt experti. Rem oppidò notatu dignam hac occaſione mihi obſervare obtigit. Novi multos, qui tædio hujus fœdi morbi Unguentis Scabiem exterminare etiam in ipſo Vere tentarunt, ſed poſtmodum Scabie retropulſâ febre correptos Urinas nigras, & fuliginoſas illicò reddidiſſe; cùm autem uſu remediorum humores ad cutem propellentium reproduceretur Scabies, Urinæ ſanis ſimiles reddebantur; denuò autem retrocedente Scabie, vel rurſus erumpente, hæc reciproca in Urinis apparebat mutatio; quamvis autem hujuſmodi Urinæ cum parva febre, quæ malignitatis ſpeciem aliquam præferret, me ſuſpectum non parùm haberent, ſollicitus tamen circa Scabiei reproductionem ſemper bonam ſpem alui, & quotquot habui præ manibus vidi tandem à morbo ſuperſtites. Animo autem verſans quare ad Scabiei retroceſſionem Urinæ redderentur fuliginoſæ, id fieri poſſe credidi, quòd Acidum in Cute luxurians, & Pſoram efficiens, ob factas illitiones haud amplius expirans, à Venis reſorptum, &

*de ſuc. bon. & vit. c. 1*

 cum

cum Alcali ſanguineo permixtum ſerum ſanguinis atredine infuſcarit, non ſecus ac quando limpida Vitrioli ſolutione cum infuſione gallæ permixta, atramentum conficitur. Pro regeneranda vero Scabie non ſemel, nec ſine proſpero eventu uſus ſum remedio à Zacuto Luſitano propoſito, & ab Ettmullero commendato, jubendo ut æger, cui retroceſſiſſet Scabies, decumberet in linteis ab aliquo Scabioſo infectis. Remedia porrò quæ magis ex uſu fuere, ſi non ad Scabiem extirpandam, ſaltem ad eam moderandam, ut ſuperveniente æſtate faciliùs aboleri poſſet, fuere præſertim ea quæ ex Viperis parantur, quibus multos vidi fœliciter ſanatos. Ubi liceat igitur internis remediis uti ad Scabiem radicitùs extirpandam, nihil profectò conſultiùs quàm ad diaphoretica confugere, non ſecùs ac fit in lue gallica; ſicuti enim inter hos duos Affectus magna eſt cognatio, ita eadem ferè methodus curandi. Sic Heurnius ad Pſoram debellandam, purgatis prius noxiis humoribus, ligni Indici, ac Salſæ decoctum valdè commendat; ait enim quòd hoc remedio facile expirat concepta in habitu Corporis contaminatio.

*de Aer. Inſp. læſa.*

*6. Aph. Com. 9.*

XXXIII. Horrent nonnulli in Scabie, aliiſque cutaneis affectibus, cane pejus & angue Viperina remedia, veriti ne excedens caliditas & uſtionis nota Hepati, & toti maſſæ ſanguineæ imprimatur; aſt ego magis horreo nimium refrigerantium uſum, nec quemquam novi, qui exhauſtis integris Ptiſanariis, ſeu poſt diuturnum Seri, & Cichoraceorum uſum à Scabie, ut ut ſicca, & arente, liber evaſerit; ſcio equidem penè aſſiduas eſſe Scabioſorum querelas de nimio calore tum interna, tum externa perurente, at iis præbendæ non ſunt aures; graviter quoque Pueri, quibus Perniones ob violentum frigus oborti ſunt, de nimio calore in pedibus conqueruntur, nec ſine ratione, ob ſubſequutam aliquam inflammationem, an ideò in Pernionibus applicanda refrigerantia? Cordati Medici ergo erit morbi cauſam animosè aggredi, ſanguinis

viti-

vitioſam craſim emendando, remediis potiſſimùm quæ illius acorem temperent, qualia ſunt ex Viperis parata, quæ Sale volatili abundant. Quidquid ſit de Viperæ temperie, de quo conſulatur Io: Baptiſta Spontonus in ſua Echidnologia, experientia ſatis planum facit nihil eſſe ad pſoram, ac lepram quoque perdomandam efficaciùs, quàm Viperina medicamenta ( quando tamen id agere liceat, nec ſatius ſit hunc hoſtem inquilinum alere) nec adeò nos ſollicitos eſſe debere ne plùs æquo incaleſcant Viſcera, dummodò tam fœdi morbi ſeminium penitus reſtinguatur. At nunquam ceſſaret ſcalpendi libido, tam ferax eſt obſervationum hæc materia, niſi ad alia feſtinaret Calamus.

XXXIV. Exacto Vere Æſtas ſucceſſit adeò fervens, ut numquam huic ſimilis viſa fuerit, idq; præſertim Canicularibus diebus, quo tempore præter modum Aer excanduit caliditatis exceſſu ſupra reliquos Annos, ut Thermometra loquebantur, ad multos gradus aſcendente. In hiſce ardoribus identidem cecidere pluviæ, ſed nihilò ſeciùs remittebatur æſtus, qui conſtans perſtitit per totum fere Septembris Menſem; hac Æſtate nullatenus ſpirarunt Eteſiæ, unde à continuo æſtu nullum levamen, hanc ob cauſam multa Animalia, ac præſertim Canes, agebantur in rabiem. Nunquam aliàs cecidere crebriora fulmina, à quorum uno ictus eſt Agricola, indumentis omnibus peruſtis, præter lora coriacea; is ad nonnullos dies attonitus jacuit, ſed poſtea ſine ullo remedio in ſe rediit, & adhuc ſuperſtes eſt: hiſce temporibus febrium Cohors derepente incubuit, ac paſſim per vulgus graſſabatur, ut integræ familiæ eodem tempore febricitarent, denſiorque erat ægrotantium numerus ea in parte Civitatis, ubi magis patulæ ſunt viæ, ac humiliora tecta. Quotquot milites in Arce reperti ſunt, ſimul ex febre decumbebant, ut ruſticanam militiam accerſere oportuerit ad illius cuſtodiam. In Septo Hebræorum, ubi Vici anguſti, ac Ædes altiſſimæ, caligranteſque feneſtræ, nulli ferè hoc

tempore ægrotarunt, cùm tamen cæteris Annis primi ſint Recutiti, qui æſtivarum ægritudinum impetum ſuſtineant. Ruricolæ licet diurnis laboribus ad Solis radios ferè in ſudores ſolverentur, cùm tamen ſub dio ſuis in plauſtris per noctem ſomnum captare ſoleant, immunes ut plurimùm degebant; ſola itaque Plebs Urbana, & omnes quibus, & domus, & res anguſta domi eſſet, exercebantur; ſalubris tamen erat morbus, nam febres iſtæ Tertianæ Intermittentes erant, ac ut plurimùm exquiſitæ, & quæ die ſeptima, ac etiam citiùs, poſt unam vel alteram phlebotomiam per ſudores judicarentur. Nullus Annus Medicis quæſtuoſior, & glorioſior unquam fuit, cum ægri omnes fermè incolumes evaderent; medicum faſtum tamen parumper temperavit Autumnus θανασίςατος nam protractiores erant febres, & aliquando in malignas degenerabant. Remedia cordatis Medicis erant Venæ ſectio, & frigidæ uſus; hæc enim utramque paginam, ut dici ſolet, implebant; qui verò parva attollentes, ut plura viderentur præſtitiſſe, vel ut Seplaſiarios benevolos haberent, Cardiacis calidioribus uſi ſunt, tanquam camino oleum addentes, ægros in extremam perniciem præcipitarunt. Limonum ſuccus, ſpiritus Vitrioli, Sulphuris, & ſimilia erant egregia Cardiaca; diverſis itaq; artibus, ac diverſo telorum genere, cum hoc febrili exercitu congrediendum fuit; Anno ſuperiori hoſtis irritandus erat ad pugnam, hoc verò illius impetus parumper ſuſtinendus, & acutis telis frangendus, qualia ſunt Acida omnia. Sanguis qui ſecta Vena educebatur ſpumeus erat, & croceus, Urinæ ſimiliter multa bile ſaturatæ. Multis ex febricitantibus papulæ apparebant in cute, ac præſertim Pueris, quales efflorefentiæ Variolarum erant veluti Prodromi. Variolæ quidem per æſtatem paucos ſuſtulerunt, aſt autumno, & in prima parte hyemis paucis pepercerunt, ac minùs iis quibus detractus fuiſſet ſanguis. Multis Tertianæ febres in Quartanas migrabant; ſicuti autem præcedenti Anno Perruviani

ruviani Corticis uſus in Quartanis, ac diuturnis febribus improſperè ceſſit, ità hoc Anno ſaluberrimus fuit, & ii qui paſſi ſunt recidivas, febres mitiores poſtmodum experti ſunt, ac antequam Hyems accederet perfectè convaluerunt. Ubi primùm æſtus cœpit miteſcere, quod circa Æquinoctium contigit, viſa eſt pacari febrilis tempeſtas, quæ ſenſim in ſummam tranquillitatem ceſſit, adeò ut duobus poſtremis decedentis Anni Menſibus in Foro medico penè continuæ eſſent feriæ.

XXXV. Hujus febrilis tempeſtatis cauſam ſaltē occaſionalem in immodicum Aeris æſtum referre placuit, qui potis fuerit Bili nimiam acrimoniam adſciſcere, ut cum ſucco pancreatico, minùs aptè quàm par eſt, ebulliret, & in maſſa ſanguinea febrilem efferveſcentiam cieret. Neque mirum ſit quòd exiguo tempore adeò permutata fuerit ſanguinis & omnium fluidorum craſis; magna eſt enim vis caloris, quidquid Helmontius dixerit, Calorem Qualitatem Rerollæam appellans. Multa quæ ſuapte natura dulcia ſunt ad ignem amareſcere, alia verò magis dulceſcere quotidiè obſervamus; ſic ut ait Gal. Lac coctione eam dulcedinem acquirit, quam Mel deperdit. Vinum quoque per totam hyemem, ac etiam Vernum tempus, nativam dulcedinem ſervans, ubi Æſtatem ſenſerit auſterum fit, niſi in Hypogæis, & frigidioribus locis aſſervetur. Calor itaque ac frigus, ſive ſint cauſæ immediatæ, ſive excitantes, & occaſionales, ſubitas mutationes, in noſtris Corporibus parere poſſunt & humorum texturam, citiùs quàm quis putet, invertere. Narrationem oppidò curioſam apud Lucianum habemus de febre quadam Tragœda (ſic enim illam appellare liceat) quæ Abderitas temporis ferè momento invaſit. Egerat Archelaus Poeta Tragicus media Æſtate, multoque æſtu, apud Abderitas, Euripidis Andromedam, ex quo factum ut multi ex Theatro febricitantes exierint, ac univerſi poſtmodum febre graviſſima correpti fuerint, quæ die ſeptima plurimo ſudore erumpente,

*Nat. contr. neſc.*

*l.4. de Simp. Med. fac. c. 17.*

*de conſcrib. Hiſt.*

pente, nec non ſanguine è naribus profluente, ſolvebatur, ſuperſtite tamen ridicula quadam mentis perturbatione, nam ut refert Auctor, *omnes quaſi ad Tragœdias agendas impellebantur, & Jambica perſonabant, multumque vociferabantur, maximè autem Euripidis Andromedam canticis referebant, plenaque adeò Civitas erat pallidis, ac macilentis illis Tragœdis ſeptimanis.* Haud aliter apud nos immodicus æſtus Plebem Urbanam inter anguſtias ſuarum ædicularum concluſam in febres agebat, adſpectu quidem terribiles, nec ſine mentis emotione, ſed quæ poſtea die ſeptima, oborto ſudore poſt celebratam liberali manu phlebotomiam ſolverentur. Hac de cauſa eos qui circa Urbis pomœria lares habebant, ſeu ubi magis patula, & ampla ſunt Viarum ſtrata, ut in ea parte quæ *Herculea Additio* appellatur faciliùs febres adoriebantur; ubi verò Urbs magis conferta eſt, & Vici anguſti, & anfractuoſi, minùs à febribus populares exercebantur. Neque fortuitò Urbium Conditores, anguſtas, & anfractuoſas vias eſſe voluiſſe cenſendum eſt, ut in iis Urbibus, quæ adhuc aliquid antiquitatis retinent, qualis eſt Mutina, ut nempe magis ſalubritati, quàm pulchritudini conſulerent. Sic Nero poſtquam flammis Romam abſumpſit, intentus poſtmodum illius reparationi, dimenſis viarum ordinibus, ac latis ſpatiis, ſplendidiorem quidem Urbem pro Imperii majeſtate, ſed minùs ſalubrem reddidit, nam, ut ait Tacitus, compertum eſt *veterem illam formam ſalubritati magis conduxiſſe, quoniam anguſtiæ itinerum, & altitudo tectorum non perinde Solis vapore perrumperentur.* Hanc ob cauſam opulentiores Cives, qui in amplis Conclavibus à tecto remotioribus degebant, ſicuti etiam populus Apella, vim febrilis hujus tempeſtatis minùs ſenſere. Magni profectò momenti eſt ad præſervationem à morbis æſtivis in amplo, ac frigido Conclavi degere, ac ſomnum capere, ut à diurno calore attritæ vires per nocturnum ſomnum reparentur. *Somnum in frigore cooperto* commendat *Hippocrates,* quem

*.15.Annal.*

*.in 6.Epid.*

locum

locum in altera mea Diſſertatione expoſui; ſi ergo vel in ipſa hyeme præſtat quieſcere in loco ubi ſit aura frigidior, idque in gratiam Reſpirationis, dumodò totum Corpus ſtragulis ſit coopertum ne à frigore carnes pungente interturbetur ſopor, multò magis æſtate præſtabit in frigido Conclavi ſomno indulgere.

XXXVI. Hic autem immoderatus Aeris fervor ſi febrem hanc popularem excitavit, viam quoque aperuit, ut citiùs reſeratis poris, per ſudorem febrilis materia evaneſceret, idque beneficii ſequutum, ut exterminata radicitus Scabie, Plebs nitidior, ac vegetior apparuerit. Ac profectò gravis hæc morborum Tempeſtas omninò deſiiſſet, ni Variolæ, quò magis ambientis calor tepeſcebat, eò ferociùs ſæviiſſent, cùm non ſolùm puellarem ætatem demeterent, ſed etiam grandævos ac præcipuè Utero gerentes, quotquot hoc morbo laborarent. De Variolorum natura, & cauſis, cum tot extent doctiſſimorum hominum ſcripta, nil addam, niſi quòd in hac Varioloſâ Conſtitutione, quæ circa Autumni finem vim ſuam magis exercuit, faciliùs evaſerint ii quibus nec detractus fuit ſanguis, nec ullum adminiſtratum remedium, toto curationis negotio Naturæ commiſſo. Neque mirum, quòd V. S. noxia fuerit; ſi enim ex Hippocrate *Autumno pauciſſimus ſanguis fit in homine* ob prægreſſam Æſtatem, quæ Corpora exhaurit, id certè apud nos hoc Anno locum habuit: quare Virtus jam debilis ab exhauſtu ob præcedentem æſtivum fervorem, ſecta Vena illicò labaſcere videbatur, ac fieri minùs apta ut noxium humorem ad Cutim protruderet. *de Nat. ho. n. 14.*

XXXVII. Sicuti in ſuperioris Anni Conſtitutione noxius fuit Chinæ Chinæ uſus, ut adnotatum, ita in hac ab illa toto Cœlo diverſa, valdè ſalubris compertus eſt; multi quidem Quartanarii hoc Autumno per Urbem vagari viſebantur, ſed quotquot ad hoc remedium confugere, vel integrè ſunt reſtituti, vel ſi nonnulli recidivas poſſi ſunt, paulò poſt con-

valuere; hinc practicam Cautionem, ulteriori tamen obſervatione confirmandam, elicio, ſecuriorem eſſe Chinæ Chinæ uſum, quando humores fræno potiùs egeant, quam ſtimulo. Anno elapſo ob frigidam, & humidam Conſtitutionem tota humoralis maſſa, utpote craſſa, ac ſegniùs fluens ſtimulanda erat, ac ad motum cienda, hac Æſtate verò, ad orgaſmum prona, ac neſciens ſtare loco, erat potiùs ſufflaminanda, quod mirè præſtabat Peruvianus Cortex, humorum impetum compeſcendo. Eandem ob cauſam aquæ uſus in altera Conſtitutione adeò noxius in hac ſaluberrimus fuit, ſicuti pariter Acida omnia, quæ celebrioribus Cardiacis palmam præripuere, ut quæ partium Alcalinarum vim frangerent. Hermeticorum enim effatum eſt, Alcalia per Acida, & Acida per Alcalia emendari.

Atque hæc pauca de hujus Anni Conſtitutione, tumultuariè fateor, ac inter armorum ſtrepitus, viſum eſt conſcribere, hyemantibus apud nos Germanorum copiis, quæ hac Æſtate in Pedemontana Regione adverſus Gallos militarunt; cæterùm, urgente adhuc rei Annonariæ anguſtia, vereri licet, ne venturo quoque Anno popularium morborum nova ſeges ſuccreſcat, quod omen deſpuo.

ROSI-

# ROSINI LENTILII
## PHYSICI REIP. NORDLINGENSIS
ET
CURIOSORUM ORIBASII,
# CURLANDIÆ
quædam memorabilia.

## B. C. D.

# Curlandiæ quædam notabilia.

EX quo *Curlandiæ*, Regionis mihi longe amiciſſimæ, fines, invitus reliqui, præterlapſi ſunt anni duodecim. Prius igitur, quam res, quas, ibi per triennium commoratus, obſervavi memorabiles, memoria prorſus elabantur, easdem brevibus lineis complexus *Illuſtri Curioſorum Societati* exhibere, & vel hoc non intermorituræ gratitudinis in beneficentiſſimam Terram, ære perennius monumentum ſtatuere decrevi. *Curlandia*, quibusdam *Curonia* dicta, eſt ſeptemtrionem verſus ſita regio. Conterminam ſibi habet à *Solis ortu Muſcoviam*, à *Meridie Lithuaniam* & *Samogetiam*, ab *Occidente Pruſſiam* & mare *Balthicum*, à *Septentrione Livoniam*. Protenditur à *Pruſſia* (videlicet ab *Heiligenoha* ad *Duynæburgum*) ad usquè *Muſcoviam* longitudine circiter milliarium ſexaginta aut amplius, latitudine vero à *Lithuania* ad *Livoniam*, haut, opinor, ultra quindecim, aliquibus autem locis vix ultra 6. milliaria, ſalvo tamen eorum judicio, qui regionem ſtudioſius peragrarunt. Dividitur in *Semgalliam* & *Curlandiam* in ſpecie ſic dictam. Illam perperam aliqui *Semigalliam*, quaſi dimidiam quandam Galliam, interpretantur. Siquidem *Semgallia* eſt vox *Curlandica* ſeu *Lettica*: *Sems* enim ipſorum lingua notat Terram, *Galls* autem finem ſeu Terminum, ut *Semgallia* indigitet quaſi Terræ finem, ſeu Regionis terminum. *Semgalliæ*, atque adeo totius *Curlandiæ* junctim ita dictæ Metropolis eſt *Mitavia*, quam *Curones* lingua ſua *Jelkavva*, id eſt, urbem κατ' ἐξοχὴν appellitant. In hac urbe ſatis ampla valloque munita ſedet *Curlandiæ Dux Sereniſſimus*, ſeparante caſtrum Ducale munitiſſimum ab urbe fluvio *Aa*

 dicto,

dicto, qui haut procul *Riga*, *Livoniæ* Metropoli in *Dunam* ſeu *Duynam* fluvium, è *Muſcovia* huc adventantem, & *Curlandiam* à *Livonia* diſpeſcentem; ſe præcipitat, hic autem à mari *Balthico* duobus ultra *Rigam* milliaribus abſorbetur. Oppida præter *Mitaviam* in *Semgallia* celebriora ſunt *Bauska*, *Selburgum*, *Friedrichſtadium*. *Curlandia* in ſpecie ſic dicta *Pruſſiam* verſus & mare *Balthicum* ſita, *Koldingam* ad *Windaviam* fluvium agnoſcit Metropolin, arce Ducali ſplendida ſuperbientem. Oppida reliqua ſunt *Libavia*, *Windavia*, bini portûs maritimi, *Haſenpota*, *Piltena*, *Grubina*, *Talzena*, *Candavia* &c. Fluviis interluitur Ducatus *Duyna*, *Aa*, *Trixa*, *Windavia*, *Svveta*, *Berſa* & pluribus. Colles alicubi, ſed montes præcelſi nuſquam, paludoſa plurimum tellus & vaſtæ planities, denſiſſimæque Silvæ. Antiqui Regionis incolæ *Letti* vocantur, Ethnicæ quondam ſuperſtitioni addictiſſimi, ſed conſuetudine Mercatorum *Bremenſium*, ad *Livoniæ Curlandiæq́;* litora mercatûs cauſſa frequenter proficiſcentium ibidemque colonias deducentium, ſenſim ad fidem Chriſtianam converſi, quod factum circiter ſeculum undecimum, temporibus *Friderici Barbaroſſæ*, Imperatoris, & *Alexandri III.* Pontificis, conſtituto tunc ab Archiepiſcopo *Bremenſi* primo *Livonum* Epiſcopo *Menardo Segebergenſi*. Haut ita multo poſt *Equites Ordinis Teutonici* tunc in *Pruſſia* degentes ab Epiſcopo *Rigenſi*, contra infideles, qui in viſceribus Regionis adhuc habitabant, & Epiſcopo multum negotii faceſſebant, in *Livoniam* evocati, pedem illic ingratiis Epiſcopi fixerunt, & Magiſtrum ſui Ordinis, cui nomen *Magiſtri exercituum*, Germ. Heer-Meiſter/ imponebant, *Rigæ* conſtituerunt, ſubacta tunc ſenſim univerſa *Livonia* & *Curlandia*. Denique *Sigiſmundus Poloniæ Rex* priore ſeculo, ad exemplum ſui Patris, qui in *Pruſſia* idem fecerat, *Ordinem Teutonicum* in *Livonia* abolevit, ultimo *Exercituum Magiſtro*, *GOTTHARDO KETTLERO*, Barone *Pomerano*, in *Curlandiæ* & *Semgalliæ Ducem* exaltato, ſic tamen, ut Locumtenens per *Livoniam* Regius (Statthalter) in

arce

arce *Rigenſi* ſederet, & à *Poloniæ Rege Curlandiam* in feudum acciperet. Hinc eſt, quod hodie adhuc iſtius *Kettleri* Poſteri ſe ſcribant in *Livonia*, *Curlandiæ*, *& Semgalliæ Duces*. Tametſi vero *Lutherano-Evangelica* Religio primas hodie in univerſa *Curlandia* obtineat, ſic ut antiqui etiam incolæ eam profiteantur, videas tamen adhuc bene multos, quorum animis Ethniciſmi nonnihil inhæſit; hinc obſervantur nonnulli, arbores quasdam ſacras clanculum adorare, & qui, dum illic viverem, erant ſenio confecti Ruſtici, parum erant & precum, & univerſæ Religionis gnari, id negotii ſe liberis ſuis, quippe junioribus, relicturos cauſſantes. Adhuc ſuperſunt in ruſtica gente quidam Reguli, quorum aviti ante germanorum adventum *Lettis* imperitarant. Eſt vafra gens, verſipellis & doloſiſſima, Germanos internecino propemodum odio proſequens. Magiæ multum adhuc dedita perhibetur, unde frequenter videas aliquos hinc inde vivicomburio plecti, ſic ut meminerim, Nobilem quendam, *Nettelhorſtium*, intra annos non adeo multos ſubditorum ſuorum circiter octoginta, rogo deſtinaviſſe. *Lycanthropia* ibidem locorum communiſſima creditur. Servitus autem naturalis, ſi usquam datur, ejusdem hic certe veſtigia longe luculentiſſima. Quamvis enim ſint Germanorum mancipia Ruſtici, & feralis, ad usque deliquium animi, cum quid commeruere, puniantur, quin & aufugium capite luant, adeo tamen ſunt amantes Patriæ, ut peregre in *Germaniam*, *Sueciam*, *Daniam*, *Hollandiam* profecti, quamvis illic libertate frui liceat, ad ferulas tamen redeant. Recordor Ruſticum quendam *Curlandum* caſu *Londinum Britanniæ magnæ* veniſſe. Contigit, ut Diverſator opulentiſſimus eum cellæ præficeret. Moritur ſine prole Pandocheus, vidua nubit *Curlando*, quem iſtud matrimonium inter ditiſſimos urbis collocavit. Quid iſte *Curlandus?* Incapax tantæ fortunæ ad ſtivam natus homuncio, *Paſtori Lettico Doblenenſi Semgallorum*, è qua Diœceſi oriundus erat, per litteras teſtatum facit, ſe nolle patri-

patriam extra mori, rogat proinde per omnia ſacra, ut ſi per Ducis clementiam Germana libertate frui liceret, rurſum Patriæ repetundæ facultas ipſi & copia concederetur. Quid poſtea, me interim illinc emigrante, ſit factum, hactenus compertum non habeo. Dum laborant, perpetuo cantillant, & prætereuntes efficta cantione extemporanea à vertice ad usq́ue calcem delineare ſolent. Lingua eorum, quæ pro locorum diverſitate varia, ſic ut maris accolæ *Eſthonica*, alii alia utantur, vocatur *Lettica*, quæ, utut omnino barbara cenſeatur, & cum nulla fere alia quidquam commune habeat, ejusq́ue tantum in aliqua *Curlandiæ Livoniæq́;* parte ſit uſus, adeoq́ue anguſtis plane terminis contineatur, mirum tamen eſt, quam aptis alligata ſit Regulis, & quam parcæ in ea reperiantur anomaliæ. Præterea ſunt adeo lingua ſubtili, ut vocis omnem ſoniq́ue ſcabritiem atq́ue duritiem diligenter evitent euphoniæ ſtudioſiſſimi. Hinc & miræ litterarum apud ipſos metamorphoſes, adeo, ut una eademq́ue conſonans nunc liquide, nunc acute, nunc dure, nunc aliter pronuncietur, itemq́ue vocales nunc ſint longiſſimæ, nunc longæ, nunc breves, nunc breviſſimæ. Specimen aliquod iſtius linguæ daturi, ſequentia promiſcue, prout calamo offeruntur, damus: *Zahlis*, gallina. *Wehrſis*, bos. *Sohbs*, dens. *Kaſa*, capra. *Besdelliga*, hirundo. *Sivvis*, piſcis. *Meers*, pax. *Goeds*, honor. *Mehle*, lingua. *Baggats*, dives. *Ubaks*, Mendicus. *Saggis*, lepus. *Rihkſte*, virga. *Selts*, aurum. *Wihrs*, vir. *Seevva*, femina. *Kungs*, Dominus. *Leeles Kungs*, magnus Dominus (ita *Ducem* vocant.) *Sogis*, Judex. *Brahlis*, frater. *Sirks*, equus. *Baſniza*, templum. *Baſniz Kungs*, Parochus, id eſt, templi Dominus. *Muyſcheneeks*, Nobilis. *Nammeneex*, civis. *Semeneex*, Ruſticus. *Curpeneex*, Sutor. *Allus*, cerviſia. *Maiſa*, panis. *Labbe riht*, bonum mane. *Labbe deen*, bona dies. *Labb vvaker*, bonus veſper. *Lées jums palliedſi*, Deus vos adjuvet. *Pol Dées*, Deo gratia. *Es gribbi*, ego volo. *Sargaht*, cavere. *Runnaht*, loqui. *Darriht*, facere. *Dſiboth*, vivere. *Dſievviba*, vita.

*Wall-*

*Wallſtiba*, regnum. *Weſſeliba* ſanitas. Veſtitus eorum eſt ſatis portentoſus, & magis varius, quam in ulla Europæ Regione. Conveniunt tamen in eo ſinguli ſexus utriusq́ue *Letti*, ut calceos geſtent è libro contextos, quos vocant **baſteln**. Feminæ id ubiq́; fere locorum commune habent, ut geſtent lata ex aurichalco cingula, cum tribus aut quatuor ſeriebus lapillorum alborum & lævium, quos capita ſerpentum appellitant, atq́; ad maris litus reperiuntur, aliæ pannum laneum album humeris circundant, in pectore lato quodam orbe ſtanneo aut orichalceo, quem **Brez** vocant, infibulatum, cujus panni extremitates tintinnabulis perſtrepunt, ut eminus adventantes audiantur. Sed hæc de *Lettorum* genio, lingua & veſtitu. Hi verò, quo ſunt rudiores morum, eo majori civilitate ornatiſſimos videas *Nobiles* juxta & *Germanos* opifices cujuſcunq́ue generis. *Nobilium* eſt maximus longe numerus, omnes autem origine *Germani*, *Pomerani* cumprimis & *Gueſtphali*, tametſi plures quoq́ue reperias è reliquis Imperii Romani circulis oriundos. Numerantur in præcipuis ibidem *Kettleri*, è Ducum familia, *Meidelii*, *Firkſii*, *Plettenbergii*, *Tieſenhauſii*, *Fürſtenbergii*, *Fölkerſamii*, *Putkameri*, *Kleiſſii*, *Svverini*, *Beerii*, *Lievii*, *Medemii*, *Van der Reckii*, *Taubii*, *Franckii*, *Mannteufelii Szöge* dicti, *Vitinghoſii Scheel* dicti, *Oſtii Sacken* dicti, *Plateri*, *Korbii*, *Mirbachii*, *Derdenii*, *Ehdenii*, *Grothauſii*, *Brinkii*, *Nettelhorſtii &c.* Inter quos benefactores meos veneror *Fölkerſamios*, *Lievios*, *Medemios*, quorum ut floreant illuſtriſſimæ propagines, & in utraq́; Solis domo poſterorum extendatur gloria; cordicitus apprecor! Magna, fateor, eſt horum juxta & *Germanorum* omnium civilitas & in quoscumq́ue *Germanos* illuc venientes animi propenſio, ſic ut eos hoſpitio, non tantum beneficentiſſimè excipiant, ſed & equis ſuis atque rhedis, quocumq́ue libuerit, promoveant. Peregrinus etenim quisq́ue, modo *Germanus*, apud *Nobiles* pariter, atque *Paſtores* aliosq́ue *Germani* nominis Opifices ruri habitantes liberrime divertitur, atquè ſic integram Regionem ſine

nullius numi diſpendio peragrat, niſi quod aurigæ gratiſſimum ipſis vectigal, nicotianæ fruſtillum, expectent. Clementiore DEO, quam *Aëre Curlandi* utuntur. Nebulis multis, mane cumprimis, obſcuratur, iisq́ue nonnunquam adeo craſſis, ut vel prehendi queant, ac aduſtionem quaſi naribus inſpirent. *Hiemis* eſt magna rigiditas, adeo, ut gelu frendente tanto nonnunquam fragore trabes ædium dehiſcant, ac ſi quis bombardarum ictus audiret. Vaſa ſtannea, nî à frigore arceas, rimas agunt. Nives decidunt creberrimæ, juſtæ ſtaturæ viri altitudinem haut raro excedentes, & non niſi longiſſima mora liqueſcentes, tota regione ob aquarum colluviones tunc per dies aliquot invia. Neminem videas per totam hiemem rhedis aut curribus vehi; quod ibi locorum foret ridiculum, ſed ſolis carpentis aut trahis à *Duce* ad usquè Ruſticum inſident, pellibus ad usq́ue pavorem involuti. *Hugonem* Gallorum mihi videre videbar. Pedes inveſtiti pelle urſina, femoralia pellicea, caligæ pelliceæ, tunicæ pelliceæ, chlamydes pelle lupina fartæ, chirothecæ pelliceæ: Ita carpentũ intrant, cui mox gauſape ſuperintegitur itidem ex cujuſcunq́ue coloris panno & lupina pelle contexto, pone cervicem inſidentis ligulis firmato, ſic ut præter caput nihil emineat, quod, præter vittas nocturnas etiam pelliceæ binæ tutantur, ore & fronte pulvillis obtecto. *Rigæ* in *Livonia* vidi & media æſtate feminas, quas elatioris ibidem animi, neſcio quam vere, credunt, in publicum nunquam pedeſtres, ſed trahis ampliſſimis, quibus loco movendis equus vix unus par ſit, & proinde joci cauſſa *balnea Rigenſia*, Rigiſche Badſtuben/ appellitantur, vectas prodire. Ibi locorum narium, digitorum itemquè in manibus æquè ac pedibus ſphacelatio nemini eſt miraculo, perniones pro luſu habentur. Fama eſt, milites excubiatores *Rigæ* ultra horæ quadrantem durare non poſſe, quod tamen pro certo affirmare non auſim. Id vero longe veriſſimum eſt, quum Anno 1679. Exercitus *Suecicus* à *Brandenburgico* pulſus in *Livoniam* reverteretur, longe plures frigore, quam ferro, interiſ-

interiſſe. Noctes hieme longiſſimæ, ſic ut ultra 5. horas dies non protendatur, à nona ſcil. antemeridiana ad ſecúndam pomeridianam. Quod autem ſolet benigniſſimus generis humani Conſervator *DEUS*, ita miſeris hiſce, tum pelliceo veſtitu, tum lignorum copia ſatis abunde proſpexit, quo corpuſculum contra aëris inclementiam tutari liceat, & ſalvum præſtare. Hinc, quamdiu hiems durat, noctes dieſque focus lucet. Fornaces Ruſticis inſtar clibanorum, quibus nonnunquam quanti quanti ſunt per noctem totam, tantum non aſſandi, incubant. *Germani* vero fornaces noſtris haut diſſimiles exſtruunt, ſed lapide cocto inveſtitas intus ad uſquè ſummum, ut craſſitie palmam exæquent, unde fit, ut ligni quidem ſint voraciſſimæ, ſed calorem diu retineant, & injectos miræ craſſitiei caudices impune ſuſtineant. Eſt tamen homuncio quidam, *Nammika*, vocant, cujus officium eſt inter alia, ut per totam noctem pervigil focis proſpiciat, ne aut ignis extinguatur, aut aliunde periculum incendii ſuſcitetur. Dormitoria ipſorum ſunt ipſiſſima hypocauſta, ſiquidem alibi locorum vix eſſet poſſibile præ intenſo frigore dormire. Comperi tamen ſomno in ejuſmodi fumariis indulgere non eſſe adeo ſanitati proficuum. Inſtituto laudabili non teguntur, lectis, ſed ſtragulis è panno nunc laneo, nunc ſericeo, quæ aliquando bombace farciuntur. Cæterum eſt hominum *Lettorum* genius ita comparatus, ut ſummum juxta frigus & æſtum ſine ullo ſanitatis diſpendio perferant. Balneas eorum, ſi quis intrat inſuetus, (ſunt autem apud ipſos longe frequentiſſimæ, & plerumquè ad ripas fluviorum & rivorum ædificatæ, ſacræ ab ipſis more *Turcarum* habitæ) ſuffocationis præ nimio calore periculum evaſurus mox illinc egredi cogitur, ipſi tamen per aliquot horas in iſtis inferni præludiis haut ægre commorantur. In quibuſdam locis, ubi ſilvæ rariores, Terram quandam *Batavorum* exemplo effodiunt, Torf nominatam, qua exſiccata non tantum utuntur ad fornaces calfaciendas, comite tamen ingrato fœtore, & qui parum ſit valetudini conſervandæ accommodus, ſed & ædium tecta late-

 rum

rum loco tegunt; unde fit quidem, ut creberrima ſurgant incendia, ſed iſta terra, licet inextinguibilis, dum ignem cepit, lento gradu comburitur, ſic ut ſupellectilem omnem commode prius exportare liceat, quam infernam flamma contignationem corripuerit. Hiems igitur, uti longa & rigida, ita *æſtas* brevis & vere æſtas, id eſt, fervidiſſima, ſic, ut non plane quadret jocus adſerentium, in *Curlandia* per 9. menſes hiemem & per 3. menſes frigus durare: Es ſey in Curland 9. Monate Winter/und 3. Monate kalt. Namquè ubi Sol propius cœli medium intravit, calor tantus exſurgit, ut qui ſit vix inſueto tolerandus. Nihilominus incolæ ruſtici, quando ſolares radii penetrantiſſime urunt, in ipſius meridiei meridie reſupinati & oſcitantes per horas aliquot ſuaviſſime ſtertunt & apricantur. Enimvero quemadmodum non niſi moderata durant, ita vix ultra *Julium* menſem æſtus ille protenditur, & ſicuti fruſtra quis illud proverbium, *Græcarum Calendarum* loco uſurparet, quod Germani dicimus: Zu Pfingſten auf dem Eiſe; ita fornaces *Auguſto* menſe denuo luceant, eſt fere neceſſum. *Æſtatis* quoquè tempore dies longiſſima, ſicut nunquam crepuſculum aëre ſereno per totam noctem diſpareat, & cum aurora ſit unum idemquè, Sol autem tantum quaſi lambat Horizontem. Omnia namquè negotia, ad quæ expediunda oculorum acie non indigemus, puta, luſu conorum ſe recreare, aut quæ ſunt alia, facillime noctu perficiuntur, certe ſub id tempus itinera commodiſſima. Animalibus illa tellus varii generis abundat, & fera quidem quod attinet, *cervos* in ſolis *Ducum inſignibus*; *capreas* aut *apros* nuſquam reperias. *Alces* quamplurimæ ſilvas pervagantur, quarum carnibus ibidem veſcuntur non infimæ ſortis homines, iis quidem duriuſculis & concoctu difficilibus, at muria per aliquot ſeptimanas conditis, mea quidem lingua judice, ſapidiſſimis. Num epilepſia frequenter corripiantur, reſciſcere non potui. Tergus earum mercatoribus eſt multo fœnori. *Urſi* hic indigenatus quaſi jure gaudent, ſed ita, ut parum abſint à civiliter mortuis vel proſcriptis. Eorum

rum captura fere talis eſt: In ſilvis denſioribus eligunt viam nō regiam, ſed lignationibus tantum frequentatam, hanc certo quodam ſigno, quod moneat incaute prætereuntes, notant. Quæruntur arbores binæ à ſe invicem exiguo ſpatio, ſed ab utrisquè viæ orbitis diſtantes; in medio viæ haſta tendiculis ſuis compoſite aptata atque doloſe, quæ arboribus iſtis laqueis alligatur; viam ipſi, ne dolus oculos ſubeat, arborum frondibus perfunctorie tegunt, trans haſtam urſo è morticinis eſca paratur, cui, quum audentius inhiat, tendiculos pedibus calcando efficit, ut haſta magno robore vibrata ejus præcordia transverberet, urſusq; αὐτόχειρ intereat. Horum pellibus cumprimis ad involucra pedum, & equorum integumenta utuntur, iisdem quoquè ſuperdormiunt, cæterum, quod ſciam, urſinarum carnium non adeo appetentes. *Luporum* illic plena ſunt omnia. Quin, ajunt, ibi locorum *hominem eſſe homini quandoque lupum.* Adoriuntur haut raro gregatim brumali tempore caulas, & ululatu ſuo cuncta replent: nec ſemper viatoribus tuto peregrinari conceſſum. Sceleris pœnam gratiſſima pelle luunt, Valeriani fatum plerique experti. Cætera non ſunt uſui, niſi quod aliqui cor toſtum & in pulverem comminutum epilepticis propinant. Videas *lepores* adeo multos, ut muſcas vix plures in foro boario, ubi maxime caletur diebus canicularibus, ut *Plauti* jocum meum faciam. *Livoniam* qui lepores patriam agnoſcunt, eximio pilorum candore cuniculis contra ſuperbiunt. Hinc lepores albos *Livonos*, gryſeos *Curones* vulgo ſalutare ſueverunt. Unum ſæpe groſſo Imperiali venire vidi. Num virtute leporinæ carnis formæ gratia puellis ibidem accedat, ego non facile judicarim. Forma ſunt pleræquè ſatis felici. *Gelliam* certe ſuam nunquam ediſſe leporem *Martialis* queritur, quod faciei virtus tanta non fuiſſet ei, quæ amaſios pellicere potuiſſet. Candidi quod ſint in *Livonia* lepores, malim cum Excell. *Paullini* imaginationi tribuere, quam inclementiæ cœli aut temperiei frigidæ. Siquidem in *Livonia* nives adhuc diuturniores, & ea

campi ad leporum usquè feturam obſitiſſimi. Falluntur profectò, qui ex pilorum colore ſanguinis temperiem divinare ſatagunt. Hoc enim conceſſo diverſicolor equus aut canis diverſæ temperiei cenſebitur, & Tigris, qua nigredine maculatur, erit melancholica, qua candet phlegmatica. Quis autem hoc vel ſomniarit? Haut equidem inficiari licet, in *ſeptentrionalibus* iſtis extimis regionibus *Grônlandia*, *Islandia*, *Nova Zembla*, urſos videri albiſſimos, & in propioribus nobis *corvos* quoquè albos: ſed & illud fateri neceſſe habemus, perpetuis ibi nivibus Terram inveſtiri. Quid igitur mirum, ſi nil, niſi candor, fetantium oculis obverſatur, fetus hinc etiam candidos prodire? Experimentum *Jacobi Patriarchæ oves* diverſicolores producentis cuilibet notiſſimum. Sed quo dilabimur? *Vulpes* in *Curlandia* plures habitare, quam *Vulpiones* inter id loci *Germanos* creduim: nec enim apud ipſos Candor eſt avis rara, quem apud nos, doloſæ *Galliæ* viciniores, nigro ſimillimam cygno lugemus. *Lynces* in ſilvis, magis tamen *Lithuaniæ*, in magna ſatis copia capiuntur, & genus quoddam, ni fallor *vulpis*, quod *polyphagon* aut *multivorax*, Germ. Vielfraß appellant, cum deſcriptione *hiænæ* nil fere commune habens. Fama eſt hoc animal, quum ſupra ſatiem ſe ingurgitavit, arbores binos anguſto ſpatio comprenſos quærere, quos vi pertranſeundo cibos jamjam devoratos per anum exprimit, ac denuo ſe operi accingit. Vivum animal mihi videre non contigit, quantum autem ex pelle, qua induitur eleganti, & in tempeſtate multa inviolabili, conjectare valeo, vix quantitate vulpem ſuperarit. Inter animalia domeſtica prodeat primum bellator *equus*. Horum ferax *Curlandia*, ſed qui extraneis comparati ſint equorum abortus. Aſinis quippe noſtratibus (quorum in tota regione quadrupedem cernas nullum) haut multo majores, laborum interim tolerantiſſimi. Vir unus unico ſuo equo vomere ſcindit agrum, nemine adjuvante, quod equi noſtri vix effecerint. Eſt tamen & alia aratri forma, & Terra utplurimũ arenoſa. Illis aut ſoleæ nunquam

quam, aut anteriores tantum calceantur. Sunt pecorum divites *Curlandi*, ſic ut macellum *Hollandiæ* quis dicere queat, quum carnes muria conditæ, Pekel-Fleiſch/ & illuc & in ipſammet *Angliam* per mare tranſportentur. Sed parvum pecus, idquè nihilominus πολύγαλον & viliſſimi pretii. *Bos* interdum Imperialibus thaleris quinque venit, & carnis bubulæ ſapidiſſimæ libra una totidem numulis. Laniones in urbibus non ſunt, ſed Ruſtici mactatas varii generis carnes hebdomadatim bis aut circiter in urbes convehunt, utplurimum vero, etiam in urbibus, in ſua quilibet domo, unde veſcatur, mactare ſolitus eſt. Stabula pecorum ſunt affabre exſtructa, cumprimis ut calore fruantur in iſto gelu. Vahſand appellitant. Anterius porta unica, in medio area lata, circum circa ipſa ſtabula. Vaccæ dum è paſcuis redeunt in area congregantur, nec in ſtabula prius intromittuntur, quam in iſta area, ſua prius excrementa depoſuerint, & lactarium tributum pependerint. *Butyrum* ibi non eliquant, ſed ſale conditum, toſtisquè & pulveratis calendulæ floribus inauratum non ſibi tantum ſervant, verum & exterorum inopiæ ſuccurrunt. *Hirci* & *capræ* quamplurimæ præſertim in diſtrictu *Libaviæ*, quos inde per jocum *Tragopolitas* appellant. Eorum carnes muria conditæ venduntur nautis *Hollandiam* verſus & *Angliam* aſportandæ. *Oves* quilibet alit in ſua domo pro facultatum modulo. Nec eſt ulla lanæ mercatura, ſed nectere ſolent Chirothecas & femoralia, quæ ex *Curlandia* incredibili fere copia in *Lithuaniam* & *Poloniam* invehuntur. Porcos habent, quod ſit ſatis, ſed farcimina raro, nec noſtris ſimilia. Nonnunquam inteſtinis tenuibus inferciunt oryzam, citri cortices, paſſulas contuſas & aromate multo condita craticulis imponunt. Quamvis autem illis mire ſibi placeant, malim tamen ego hillas noſtrates. Porcos ſibi maximam partem propter ſuccidias & petaſones expetunt. Nunc ad genus avitium convertimur. *Cervorum aprugnæquè* penuriam largiſſimo fœnore penſant myriades *Gallinaginum*, *perdicum*, *attagenorum*, *Urogallorum* &c.

Sunt

Sunt villiſſimi pretii, ſic ut aſſeverare queam, eorum me nauſea frequentiſſime captum fuiſſe, quod menſis quotidie inferrentur. De gallinaginibus id paucis noto, capi easdem ope gallinaginis è panno nigro conſutilis, *Ballavvan* appellant, hanc arboris betulæ cuidam ramo alligant, ſub arbore venator fronde tectus inſidiatur, gallinagines vivæ ſpuriam iſtam ſibi ſociam percupientes advolant, & mox ictum bombardæ ſentiunt, reliquæ fugiunt equidem, ſed ſtolidæ mox revertuntur, ſic ut una die complureis hoc ſtratagemate fallant. Sunt & gallinagines candidæ, nigris iſtis & rariores & minores, guſtatu autem ſuaviores. Raucæ cortis aves, *gallinaceum* genus, frequentiſſimum. Haut raro miratus ſum, quei poſſint in gelido Climate *gallopavones* educari? tametſi fatear, eorum curam non in poſtremis haberi. *Martiniani* Martyres & *Romani Capitolii* cuſtodes, *Anſeres*, nec iſtis Regionibus rari, ſed *Germanis* majori, quam *Curlandis*, uſui. Nam in *Curlandia* nunquam, niſi jugulati, plumis exuuntur. Suaſi aliquando, ut more Teutonico ſubter alas & pectus anſeres levi brachio deplumarent, ſed excipiebar cachinno, plumis interim ſponte deciduis per aëra nivium ad inſtar volitantibus. Referebant mulierem quandam Nobilem veſte hac ſua nonnunquam anſeres mulctare ſolitam, propterea in tota Regione avaritiæ & ſorditiei incuſari. *Anates, Columbæ* nullo fere pretio veneunt. *Mellificium* longe copioſiſſimum, & à noſtro mel colligendi more parum diſcrepans. *Piſcium* abundantia ſumma, tum pelagiorum, tum fluviatilium, in lacubus, fluminibus, ripis & ſtagnis, quæ Stauungen appellant, neſcio an à Latino *Stagnum* corrupto, an à *reſtagnando*, vom Stauen oder Stemmen eo quod elevatis aggeribus aquæ fluxus interrumpatur. Hæc ſtagna, ſeu Stauungen per aliquot annos piſcibus alendis deſtinantur, præcipue vero *ſaperdis*, den Karauſchen/ quæ inibi propemodum unice nutriuntur, ſic ut piſcis ſit *Curlandis* magis, quam *Germanis cyprini*, familiares. Præterlapſis poſt aliquot annis aquis exhauſtis hæc ſtagna ſtivam patiuntur,

tur,& hordeum progenerant longe pinguiſſimum. *Cyprini*, ut dictũ, hic rariores, in *Curlandia* tamen in ſpecie ſic dicta nonnullibi capiuntur. *Salmones Duyna* fluvius haut parca manu ſapidiſſimos promit, & fluvii plerique *halecum* quoddam genus, quam ſunt marinæ haleces, minorum, ob id fluviatilium, Germ. Strömlings/ dictorum. Eorum tantus eſt numerus, ut uno groſſo *Curlandico* emas viginti. Sex autem horum imperialem denique groſſum pretio æquant. In rivis quibusdam etiam *tructæ* hoſpitantur, & *cancri*, ſeu retrogradi cataphracti ſine numero. Incredibile fortaſſean alicui videatur, quod *Curlandis* quoque ſolemne exiſtat piſces in aëre venari. Atqui hoc ibi nemo miratur. Eſt certum genus piſcium *ſaperdas* quantitate æquans, non tamen latitudine. Mos eſt illis flumini *Vindaviæ* contraniti. Prope *Coldingam* oppidum flumen per præcipitium non admodum altum delabitur; piſces itaq; dum adnatant iſti præcipitio, ultra progredi neſcientes, ingenti ſaltu collem ſuperare laborant, ad cujus marginem corbes quædam lata ſerie ſunt collocatæ, in quas, dum illabuntur piſcium haut pauci, ſic in aëre capiuntur. *Rhombi*, Putten/ Flindern/ menſas nobilitant, cumprimis *Rigenſes* cæteris habiti delicatiores. *Anguillis, Tincis* non carent aquæ. Mare *Balthicum* ſuppeditat *Siluros* & *Capitones*, quorum primi carnem fere bubulæ ſimilem ſuppeditant. Ab animalibus ad vegetabilia progreſſum facimus, paucis prius notantes, regionem iſtam, quantumvis horridulam, herbas tamen Pharmacopœorum officinis bene multas & uſu ſaluberrimas largiri. *Ager* frugum fertilis, adeo ut redituum prora in exportatione frumenti merito collocetur: nonnunquam adeo ſaxoſus, ut lutum vix compareat, nihilo tamen minus dona cerealia manu haut avara diſtribuens. Recordor, me aliquando miſeratum eſſe Paſtoris cujusdam, quod ejus agrum ſilicibus obſitiſſimum conſpicarer, eundemquè proinde ſterilem imprudens æſtimarem. Repoſuit ille ſaxoſos agros nihilo reliquis parcius ferre; impediri namquè à lapidibus zizaniæ graminisquè

niſquè luxuriem. Spicas hac ratione, utut rariores, attamen liberius exſurgere, nec alimento per zizaniæ fucos fraudari, ſuccreſcere hinc ariſtas majores, pingues, granorumquè opulentia turgidas. Aratrum, quod ſupra monui, equus unus, uno dirigente viro, trahit. Ad ejusmodi operas boum nullus eſt uſus, qui multo minus trahendis curribus applicantur. Quum narrarem in Patria mea iſta omnia boum quoque miniſterio peragi, vehementem in riſum exſolvebantur. Quid tum demum eſſent facturi, ſi Ruſticam noſtræ *Sueviæ* gentem cum bobus ſuis, quorum ſuo ſingulum nomine ſalutant, geſtibus miris audirent ſermocinari? Illud cumprimis admirationem meretur, quod æſtiva ſatio intra ſeſquimenſem ſeſe granario reddat, id eſt, quod intra tantillum dierum grana vix dum ſepulta novis ariſtis multiplicata metantur: quod eſt ſingulare DEI rigiditatem hiemis æſtivi caloris virtute penſantis beneficium. Frumenta demeſſa non ſtatim horreis invehuntur, ſed accumulantur in collem ſpicis introverſis, ruſticorum domus & circumferentia, qua interdum 15. 16. 17. perticas æquant, & acuminato tecto, rotundo tamen eo, referentem: aliqui horum collium quoq; quadrati, hos Stirpen vocant, in cacumen quoquè ſenſim, ceu tectum, terminati. Hos ſive acervos, ſive cumulos, ubi triturare frumenta volunt, in horrea demum vehunt, quum ſine ullo ſui detrimento interdum per totam hiemem in campo hibernarunt. Commodum incidit, me ante hos annos undecim in novellis, quos vocant, publicis legiſſe de *Monacho Polono*, qui campum egreſſus, in frumenti cumulum inciderit, & à nemine adjutus, muribus in eſcam ceſſerit, quam hiſtoriam multi, ceu næniam inſignem, exploſerunt. Enim vero, quid ni poſſit hoc fieri? Monachus iſte rei fortaſſis frumentariæ in cœnobio ſuo præfectus, acervi conditionem exploraturus, ubi ad usquè cacumen aſcendit, in meditullio vero murium examen ariſtas depaſcens acervum excavavit, pondere ſuo gravatus facillime potuit in acervi interanea incidere, quum autem

autem craſſiſſimi ſint iſti acervi, nec ejus clamor audiri potuerit, nil prohibet, quo minus adoriri miſellum, ac denique jugulatum devorare mures valuerint. Frumentum ſic horreo invectum trituratione præcedanea toſtione præparant. Quemadmodum enim in horreis noſtratibus areæ latera mergitum utrinquè conditoria (die Viertheile) claudunt, ita cernas in ipſorum horreis (quæ vocant Rigen/ unde quidam *Livonorum Rigam* derivatam volunt) inſtructa clibanis utrinq; hypocauſta. Supra clibanos altitudine circiter bipedali ſunt crates è ſalicibus contextæ, quibus torrefaciendæ mergites imponuntur ſuccenſo ſubtus igni, toſtas excutiunt flagello, idq; noctu præcipue, qua toſtione non tantũ promtius è glumis grana proſiliunt, verum etiam exhalante ſic humiditate ſuperflua, dum in granariis adſervantur, à curculionibus & fracedine tuta præſtantur. Ipſorum namquè granaria (quæ Kleet appellant) non ſunt in ædium parte ſuperna ſub tecto; adeoq; perflabili loco, nec in cumulos more noſtro certo tempore ad prohibendum ſitum verſandos frumentum acervatur, ſed in ciſtas ſeu conflatos ex aſſeribus loculos in infima granarii contignatione reconditur, ubi plures in annos, ſine metu fracedinis aut inſectorum ullo, ſervatur. Nec etiam toſtum hac via frumentum farinæ minorem proventum pollicetur, ſiquidem nil, niſi abundans humidum, granis decedit. Uberrima quoquè ibidem *Fagopyri* ſeu *Panici* cultura, reliqua frumenti genera nobiſcum communia. Pratorum ſmaragdus ubivis in *Curlandia* fulget, ſed qui ſemel tantum in anno *fœnum* idquè longiſſimum & pingue largiatur; *Chordum* frigus autumnale ſuccreſcere non patitur. *Fœnum* itidẽ in pratis per hiemem relinquunt in acervos ampliſſimos, quos Koyen nuncupant, accumulatum. Sæpe miratus ſum, quod contermina *Curlandiæ Pruſſia* frugiferarum arborum ſaltus integros alat, hic raræ videantur, eæquè fructuum hinc inde diſperſorum acerbitate palato non ita multum blandiantur. Hinc *poma* & *pira* fere huc è *Pruſſia* portantur, *ceraſa* parce creſcunt cum va-

rii generis *prunis*, *pruna ſilveſtria* nuſquam viſuntur, *vites* ibi nullæ, niſi fortaſſis in Ducali, nobiliumq; quorundam ſplendidioribus hortis, ubi tamen nunquam ad nativam dulcedinem racemi excoquuntur. Dixeris acetum naturale perpetuamquè agreſtam. Facile perſuadeas Ruſtico cuidam, ſilveſtria pruna, ſi qua illuc inferantur, eſſe uvas, has autem pruna ſilveſtria. *Violæ* nullibi, hinc in officinis pharmaceuticis caro pretio violarum ſirubus divenditur. *Linum* & *Cannabis* latiſſime ſuccreſcunt, ſic ut aliarum quoquè regionum diſſitarum inopiæ proſpiciant. E lignis *cineres clavellatos* maxima copia parant, quin & *picem* ſolidam æquè ac liquidam, quam axungiæ vice uſurpant. Non effodiuntur iſthic opes, ideo nulla hinc malorum irritamenta. *Ferrum* in Diſtrictu *Baldonenſi* coquitur, fuſis inde etiam tormentis bellicis. Nuſquam *ſalinæ*. *Succinum*, ſi modo inter *mineralia* numerandum, ad litus à mari *Balthico* evomitur. Fruſta nonnunquam ſatis grandia. Regale Ducum *Curlandiæ*. Tantillum in litore furtim collectum, quod vix numo veneat, capitale habetur. Equites nonnulli, ſalario conſtituti litus ſurſum deorſum circumvagantur, appellant Strandreuter/ horum caput eſt *Præfectus litoralis*, der Strandvogt/ qui rationem collecti ſuccini Sereniſſimo reddere tenetur. Fabricantur è ſuccino tornatilia varia, integra brachiorum aliquot candelabra, orichalceis iſtis ſimilia, quæ in ditiorum ædibus de laqueari ſuſpenduntur, alvei quoquè luſorii, cultrorum manubria, monilia &c. His excuſſis videamus, quonam victu Ruſtici juxta & *Germani* utantur. Ruſtici maximam partem veſcuntur *Panico* perfunctorie trito, Erſſengrüzz/ item *hordeo* trito, utrisquè cum lacte maximam partem coagulato coctis, quæ in ſitulis ligneis apponuntur; item pultibus, variiquè generis oleribus. Hiemali tempore præcipue cum Ver inchoatur, pauperrimi ſunt, opum ſuarum, quamdiu quid poſſident, prodigi. Supplices tunc Dominos implorant, qui frumentum ipſis, ne fame pereant, mutuo concedunt, propullulante autem quamprimum grami-

gramine, tunc dolor & curæ rugaquè frontis abeſt. Eo enim in aqua cocto pecorum ad inſtar veſcuntur. In ſua quiſquè domo manuaria mola inſtructus eſt, quam verſantes continuo cantillant. Remanent in farina furfures & pluſquam unciales feſtucæ; panes tamen inde pinſuntur, ſi non adeo ſubtiles, certe plus, quam quis credat, ſapidi & valide nutrientes. Suos etiam ipſimet ſibi *Germani* panes pinſunt, ſed è farina per ſetaceum probe purgata; Piſtorum enim nullus ibidem uſus. Neſcio an alimentis quoquè Ruſticorum *nicotianæ pulverem* naribus attractum accenſere liceat, eo enim mirifice delectantur, & propemodum minus, quam ipſo pane carere poſſunt. Et ſalutationis quædam apud ipſos ſpecies, dum Ruſtico Ruſticus fit obviam, ut nicotianæ ſuam quiſq; thecam ſibi viciſſim offerant, quod nî fiat, incivile prorſus habetur. Potus Ruſticorum ordinarius haut equidem eſt aqua ſimplex, ſed neſcio quæ muria, aqua fontana, me quidem Judice, aliquanto deterior. Scapham in hypocauſto pone fornacem collocant, inferne epiſtomium, ad cujus oram internam pannus lineus, per quem transcolatur liquor neſcio quis fermentatus, quem ſi videas in ſcapha, & innatantes ei ſtipulas, caules & varii generis quisquilias, è fimeto collectam mephitim non ſine nauſea judicares; ipſi tamen avide has ſordes hauriunt. Præter hunc potum ditiores quoque Ruſtici, *Germanique* alii *cerviſiam* coquunt ex hordeo & lupulo, ſalubrem & guſtui non ingratam. Eam fere hoc modo parant: Polenta in fundo maximæ cupæ ſubſidet aquæ ſuperfuſa, quæ ſufficiat, quantitate. Lupulus coctus in alia corbe cupæ innatat. In area villæ ſpecus eſt, in qua ſuccenſa igni candefiunt lapides, qui candentes projiciuntur in cupam excocta ſic cerviſia. Salutaris inde potus exſurgit, abſorpto per lapides cerviſiæ noxio acore. Eſt quoque ipſis *Zythotyrum*, Bierkäſe appellitant. Paratur ſequenti methodo: Lac bubulum in cacabo ſuper ignem ebullire ſinitur, cui, dum ebullit, ſucceſſive portio cerviſiæ æqualis affunditur, ut deni-

què liquoris in cacabo, quæ primum infuſi lactis erat, eadem quantitas remaneat. Potus eſt ſatis gratus, in febrili quoq; ſiti ac æſtu ægris innoxie propinandus. *Hydromel* vulgare potulentam *Curlandis*. Mellis enim inſignis copia, quod aliquando reperitur in arboribus cavis. Coquitur bifariam, alterum pelluciditate gratiſſima vino Hiſpanico nil quidquam cedens, inebriamen efficax & dulce, alterum colore cerviſiam æmulans. Bonitate tamen, quod è *Lithuania*, ejuſquè præcipue oppido, *Cauna*, venit, antecedit *Curlandicum*. *Frumentaceo ſpiritui* neminem ſub ſole magis hiſce & confinibus populis deditum videas, adeo, ut vel ipſi proceres non dubitent ejusmodi ſympoſia concelebrare, quam ἀσωτίαν aliquando vivicomburio, flamma per fauces erumpente, luunt. *Nobiles* & quibus lautior fortuna contigit, etiam *vinum* potare ſueverunt, quod *Francicum* maximam partem pretio non adeo caro coëmunt. *Rhenenſe*, nî ſacchari dulcedine ſit permulſum, faſtidiunt. *Franconicum*, quod Hochländiſchen Wein vocant, fere ſoli ciborum coctioni deſtinant. *Hiſpanica* varia, & *Cretica* itidem vilioris, quam *Rhenenſia*, emuntur. Comtiores cibis utuntur, præter ferinum alioſquè & nobis uſitatos, peculiaribus quaſi & vernaculis. Omnium maxime delectantur carnibus muria conditis, Pekelfleiſch. Coquunt una vice fruſta ultra 5. vel 6. pondo pendentia; teſtor autem ea jucundiſſimi ſaporis eſſe. Carnes infumatæ, anſeres infumati ipſis quoquè gratiſſimi. Certo cuidam edulio ſunt adſueti, quod Sooſt appellitant. Jocantur extraneos, quum ſemel id edulii delibarunt, regionem iſtam ægerrime deſerere, quin, ſi egrediantur, eandem reviſundi miro deſiderio teneri. Mei memet egreſſus adhuc frequentiſſima pœnitudo capit, an iſtius edulii, à me ſæpe guſtati, virtute id accidat, aliis decidendum relinquo? Eſt autem ille Sooſt mixtura quædam è variis rebus, agnorum puta cruſculis, eorumquè inteſtinis tenuibus, anguillulis infumatis, rhombis, halecibus fluviatilibus, rapis, ſiſeribus, & neſcio quibus non, in lacte coctis. Utut vero

elixis

elixis aſſa & conchylia turdis heic miſceri videantur, non tamen inde nidor ingratus exſurgit, ſed palato ſatis adblandiens κέρασμα. Juſculum parant ex *urſina branca*, quod Bartſch nominant, idquè tantum non pro panacæa in variis morbis habent, carnes & piſces ejusmodi quoquè juſculo ſuaviter condientes. Accipiunt, niſi omnino fallor, *acanthi* folia ſicca, in pulverem redigunt admixta fermenti piſtorii panisq; biſcocti itidem in pulverem comminutorum æquali portione: Pulverem iſthunc in aqua fontana tamdiu coquunt, donec incipiat flavere. De hoc juſculo Bartſch nonnihil quoquè notatum videas in *Obſ. 52. Ann. II. Dec. I. Ephem. Cur.* & *Kerger. de ferment. Sect. 3. cap. 1. p. m. 182.* In delitiis quoquè habent edulium quoddam ex *Ovis*, nî fallor, *praſſinis*, ad imitationem *Caviaro* confectum. Ova namquè illa condiunt aceto cum ſale mixto, & ſic frigida magna cum aciditate liguriunt, appellantes Germ. Snepelrögen. Ex halecibus quoque cibum conficiunt *Roſſul.* Carnem halecum à ſpinis & oſſibus ſeparant, eiquè in fruſtilla concerptæ admiſcent raphanum, conciſa minutim poma dulcia, oleum olivum, ſal, acetum, piper. Poſt aliquot per dies in certo loco ſervant, ut pæne computreſcat olidiſſimum magma. Comedunt & laute vivunt. *Croco* condiunt edulia fere quæquè, & in hoc *Polonos* imitantur, qui nil verentur trium florenorum crocum inſumere in uno lucio piſce condiendo. Inter bellaria recenſent ſuum Suurtang/ quaſi dicas, Sauerzang / eo quod auſteritate ſaporis linguam quaſi forcipe prendat. Accipiunt arefacta piſa, iis affundunt aquam fontanam, admiſcent fermenti piſtorum nonnihil, reponunt ad fermentandum: ea hoc modo fermentata & prætumida delibant. Nobilis quidam ab ictero curatus, quum ſe lautius hiſce piſis invitaret, recidivam paſſus obiit. *Caſeo* ſummopere delectantur, eoquè veterano & olido. *Panes* ipſe ſibi quilibet in ſua domo pinſit, & ſunt illam artem feliciter edoctæ mulieres, ſic ut piſtoribus noſtris palmam facere dubiam poſſint. Præter panes ordi-

ordinarios *ſecalinos, triticeos* & *biſcoctos* pinſunt etiam ex *oryza* quosdam candididiſſimos & guſtatu ſuaves. Eſt quoquè *panis* quem ὀξύγλυκον vocant, ſeu *dulcacidum*, Germ. Süſſ-ſauer Brod/ eo quod guſtantibus ab initio dulcis, mox tamen acidulus videatur. Ejus parandi ratio me latet, ut & *liborum*, quæ ex *papaveris ſemine* pinſunt, & Maankuchen appellant. *Papaver* enim ipſis Maan/ & *ſemen papaveris* Maanſaat nuncupatur. Conficiunt *Rob* inſtar diacydonii pellucidi, è *baccis ericæ bacciferæ*, gratiſſimum, quod magni faciunt; non tantum inter ſecundas menſas id apponentes, verum & in variis morbis confortandi fine propinantes; Bakeykruht nominant. Quod reliquum eſt, Curlandi *rarisſime* pedeſtres eunt, ſed Ruſtici quoquè aut equis vehuntur, aut rhedis, quos ipſi fabricare norunt è ſolo ligno, ſic, ut in tota rheda cum rotis ſuis ne ferri unciam reperias, aut hiemali tempore carpentis. Etiam qui degunt in urbibus, templo licet vicini, attamen illuc vehi, quam pedibus commeare, malunt. Natura ſunt robuſti, toroſi, firmiquè habitus, ad frigiditatem tamen pluſculum inclinantis. Hinc Veneri non ſunt adeò dediti, niſi qui peregrinantes in exteris regionibus id virus contraxerunt. Balneis frequentiſſime & hebdomadatim fere lavantur. Non inſident aquæ, ſed aſcendunt ſudarium ſcamnum & reſupinantur ibidem maximam partem nudi, largiſſime ſudantes. Ancilla adeſt, quæ faſciculum ramuſculorum betulæ colligatum aquæ calenti aut lixivio intingit, & cubantes primum ſupinos, hinc pronos in ſcamno quaquaverſum leniter cædit, quod Quäſten vocant. Nec id habetur cuiquam pudori. Conſuetudinis eſt, Ruſtici, quum probe ſunt excalfacti è balneo ſtatim in profluentem collotenus merguntur (utplurimum enim ad rivos & flumina, quod ſupra monitum, ædificantur) aut hiemali tempore volutantur in nive, idquè vel tertium faciunt ſine ulla noxa. quinimmo vidi hac methodo febres profligatas. Balneas, ut ante dixi, ſacras habent *Letti*, animas hinc quoquè cibant in iſtis. Ea nocte, quæ præcedit

cedit *omnium animarum Feſtum*, prima ſc. *Novembris*, cibos 4. 5. aut circiter pro facultatula Patris familias ſuper inſtratam decenter menſam collocant, Parentum, filiorum & conſanguineorum demortuorum animas illuc diverſaturas, & cibos iſtos noctu delibaturas credentes, mane, quod reliquerunt animæ, omne ſcil. id quod appoſitum erat, ipſimet abligurriunt. Id vero jam aliquibus locis, obſtetricante Parochorum zelo fieri deſiit. Ad iram proni non ſunt, etiam, cum iraſcuntur placabiles. Morbis haut adeo multis obnoxii. *Scorbutus* tamen ipſis *endemius*, quod non æquè *Balthici* maris exhalationibus adſcribendum putarim, atquè diætæ incolarum, qui ſalſis & acidis mirum quantum inhiant. Suſpicor apud nos quoq; in ſuperiore *Germania* inauditum olim morbum firmius innidulari, quod *Hollandorum* more cœperimus halecibus, petaſonibus, aſellis, oſtreis, atquè id genus, pulpamentis invitari. *Febres* apud eos *intermittentes* nullo non tempore graſſari ſolent. Naturæ tantum robur, ut vix dupla purgantium doſi vacuentur. Ordinata cachectico cuidam *magiſterii guttæ Cambodiæ* grana ſedecim, nil effecerunt. *Emetici Tartari* octo grana vomitus modicos cient. *Calenicis Decoctis* parum ibi efficitur. Penetrantia deſiderant & δραστικά. Qui non admodum emunctæ ſunt naris, medicamentorum virtutem pretio æſtimant, ut, ſi parvo conſtiterint, eadem arbitrentur eſſe mediocris efficaciæ. Laudant itaquè pulveres, quibus Aurum bracteatum commiſcetur. Omnia medicamenta Kruht/ id eſt, herbam ſalutant; hinc, ſi medicinam hauſerunt, inquiunt, ikk hebbe Kruht ingenohmen. *Mediti* pauci, *Medicaſtri* longe quamplurimi. Antequam illinc exirem, aula Ducalis Excellentiſſimum *Harderum* Archiatrum eſt venerata, & in *Curlandia* tunc vivebat Dn. D. *Sleppecrellius*. Hos binos tum aluit univerſa Regio. Celebris tunc erat Pharmacopœus quidam in oppido *Bauska* ſedens, quem *Doctorem Bauskanum* vulgus appellabat. Ferunt eum aliquando ad Nobilem eruditum vocatum, qui cum Doctorem perſonatum

Latinis alloqueretur, iſte primo diſſimulavit, inſtanti, non ſcio latine, reſpondit. Atqui, Nobilis inquit, Tu es Doctor? Immo, reponit iſte, ſum equidem Doctor, ſed tantummodo *Praxis*. Alii cuidam de anhelitus difficultate crebro conquerenti, ni ſuccurratur in tempore, ait, metus eſt, ne *catarrhus vocativus* ſuperveniat. Alius uxorem cauſſabatur, quod pallor obſideret ora, præcordia palmus quaſſaret, lunare tributum ægrius penderetur, nec cibus pro voto appeteretur; *Miniſterium* (*meſenterium*) infit bonus ille *Praxis*, eſt obſtructum, & pituita multa ventriculi *beneficium* (*orificium*) opplevit. Ita nullibi non locorum id farinæ homines invenias. De *venarum pertuſione* notari velim perquam raro eam iſtis in locis adminiſtrari. Nec enim facile ferunt. In anno integro dubito, num decies eam fieri curarim. Atqui praxis mihi non rara fuit. Vivaces *Curlandi*, ſic ut capulares ibi belliſſime portantes ætatem pluſculos offendas. Maraſmo ſenili pleriq; intereunt. *O ſi daretur illic morari vitamquè cum ſuaviſſimis amicis & viris integerrimis olim claudere! ſed quid vota poſſent? Bene ſit iſti Regioni, quæ me procul à Patria peregrinantem benigniſſime accepit, & benefactorum myriadibus cumulatum fovit. Bene ſit Sereniſſimo Duci! Bene Clero γνησίως Lutherano! Bene Nobilitati vere Nobili, id eſt, & ſplendore generis, & virtutum decore conſpicuæ! Bene ſubditis omnibus. Curlandos* autem ſi qui has lineas fortaſſe lecturi ſunt, obteſtor, ut, ſi alicubi forte erraſſim, per litteras memet benevole moneant, & faxo, ut corrigatur, quod ſecus habet. Etenim à veritate, quam unice amplector, data opera nuſquam receſſi.

Pro-

# Proceſſus integri
in
# MORBIS
fere omnibus
# CURANDIS
à
## D. THOMA SYDENHAM
conſcripti.

Quibus acceſſit graphica ſingulorum delineatio ex eodem Auctore excerpta.

---

*Ad Exemplar Londinenſe*,

ANNO M.DC.XCII.

## Q. F. F Q. S.

# Medicamentorum quædam Formulæ in praxi magis familiares.

### Potio communis Purgativa.

℞. Tamarind. ℥ß, fol. Senn. ʒij, Rhei ʒiß, coq. in ſ. q. aq. ad ℥iij; in Colatura diſſolve Mannæ & Syr. Roſar. ſolut. an. ℥j. M. F. Potio.

### Emeticum commune.

℞. Aq. Card. Benedict. ℥ij, infuſ. Croc. Metall. ℥j, Syr. caryophyll. ℥ß, M. f. Vomitorium. *Sumat. hor. 4ta. Pomeridiana, ſuperbibendo poſt ſingulas vomitiones hauſtum largum liquoris poſſetici.*

### Julapium Perlatum.

℞. Aq. Ceraſ. nigr. Lact. Alexiter. āā. ℥iij, Aq. Cinam. hordeat. ℥j, Magarit. præp. ʒiß, ſacchar. cryſtall. q. ſ. adde Aquã Roſar. Damaſcen. ℥iß; F. Julap. *de quo cap. cochlear. iiij. vel v. in Languoribus.*

### Julapium Cardiacum.

℞. Aq. Lact. Alexiter; Ceraſ. nigr. ā. ℥iij, Aq. Epidem. Syr. Caryophyll. & de ſucco Citri, āā. ℥ß, M. f. Julap. *de quo capiat ſæpius.*

### Decoctum Diæteticum.

℞. Rad. Sarſæparill ℥vj, lign. Saſſafras. & Chinæ ā ℥ij, Glycyrrhiz. ʒiß; coq. in aq. font. congiis ij. per horæ dimidium; deinde ſtent clauſæ ſuper cineres calidos per horas xij; poſtea

ebulliant ad tertiæ partis conſumptionem; cum primum ab igne amoveatur, infunde ſem. Aniſi ℥ß; poſt duas horas coletur, & poſtea depuretur per reſidentiam, & liquor reponatur lagenis vitreis probe clauſis ad uſum. *Sit pro potu ordinario per xxx. dies.*

## Apozema Aperiens & Antiſcorbuticum.

℞. Rad. Gram. Cichor. Fœnicul. & Aſparag. ā. ℥j, uvar. Corinthiac. & paſſul. enucleat. āā. ℥ij, fol. hepat. ling. cervin. & cap. Vener. ā. M. j, fol. beccabung. ſub finem addit. M. ij. coq. ſ. q. aq. fontan. ad ℔. ij; ſub finem adde vini Rhenani ℔ß. Colatura adhuc calente, infunde ad duas horas, vaſe clauſo, cochl. hortenſ. M. j; colatur: adde Syr. è quinque radic. & è ſucco aurant. āā. ℥ij, aq. Cinam. hordeat. ℥j; M. f. Apozema *ſumat* ℔ß. *manè & 5ta pomeridiana per xiiij. dies.*

## Eclegma incraſſans in Tuſſi.

℞. Ol. amygd. dulc. ℥j, Syr. Papav. Rhæad. Portulac. Jujub. & Lohoch ſani, ā. ℥ß, Sacchar. cryſtall. q. ſ. M. in mortario marmoreo ad integræ horæ ſpatium & f. Linctus perfecte miſtus; recondatur in olla figulina, ad uſum. *Cap. ſæpius lambend. è baculo Liquiritiæ.*

## Eclegma fortius incraſſans.

℞. Conſerv. Roſ. rub. Syr. violar. & de Mecon. ā. ℥j. Sem. papav. alb. ʒiij, contundantur ſimul & per ſetaceum trajiciantur, deinde adde ol. nuc. moſch. expreſſ. gr. vj, f. Eclegma.

## In defluxione tenui.

℞. Conſerv. Roſ. rubr. ℥ij. Syr. de Mecon. & jujub. ā. ℥j. oliban. Maſtich. & ſuccin. ā. ʒj. ol. nuc. Moſch. per expreſſionem gr. vj. M. f. Lohoch. *de quo lambat ſæpe, bis in die cap. eclegm. deſcript. cochl. j. inſtilland. Balſam. Sulphur. aniſat. à gut. viij. ad gut. xij.*

## Cereviſia purgativa.

℞. Polypod. Querc. ℔j. Rhabarb. Monach. fol. ſennæ & paſſul. enucleat. ā. ℔ß. Rhabarb. inciſ. & rad. Raphan. Ruſtican. ā. ℥iij, fol. cochlear. hortenſ. Salv. ā. M. iiij. Aurantior. inciſ. num. iiij. infunde in congiis v, vel vj. Cereviſiæ non lupulatæ, fermentationis tempore, & quando ad maturitatem pervenerit, *ſit pro potu ordinario per dies xiiij. vel xxi. præcipuè vero ſumat hauſtum ſingulis auroris.*

## Emplaſtrum Hyſtericum.

℞. Galbani in tinctura Caſtorei ſolut. & colat. ʒiij, Tacamahac. ʒij; f. Emplaſtrum *pro umbilico.*

## Catharticum pro infantibus minimis.

℞. Syr. Cichor. cum Rhabarb. cochl. j. parvulum.

## Decoctum Amarum Purgativum.

℞. Decoct. amar. duplicata Senna ℥iiij, Syr. de Spina Cervina ℥j, Elect. de ſucc. Roſar. ʒij; M. f. potio.

# De affectione, in fœminis, hyſterica; maribuſ, hypochondriacá dictá.

*CUm à caſu aliquo graviore moleſtum patitur humana anima, ataxiam concipiunt animales ſpiritus; urina ſubinde limpidiſſima copioſe excernitur; ſanitatis recuperandæ ſpes omnis protinus abjicitur, & triſtiſſima quævis ſibi ominantur ægrotæ; quamcumque corporis partem morbus inſederit (plurimas autem inſidet) ſymptomata ei parti competentia confeſtim urgent; in capite apoplexia, hemiplegia ſoluta, ſtatim à partu adoritur; ſpaſmi epilepſiæ perſimiles (vulgò uteri ſtrangulatus, in quo venter & precordia guttur verſus intumeſcunt) infeſtant; clavus hyſtericus, in quo dolor in capite atrocisſimus, quem transverſo pollice poſſis contegere, ægra interim materiam viridem bili porraceæ*

*ratea parem evomente, miſerè excruciat; cordis palpitationem, tuſſim, paſſionem iliacam & colicam, nephritidem, urinæ ſuppreſſionem æmulatur paroxyſmus; vomitiones enormes, diarrhœam ſubinde excitat; externe in carne muſculoſa nunc dolorem nunc tumorem inducit, in tibiis hydropis inſtar; nec (quod mireris) intactos dimittit dentes; dolor dorſi creberrimè ſævit; & ſæpe ſæpius adeo refrigerantur externæ partes, ut cadaver plane referant; in riſum & lachrymas effuſiſſimas ſine ulla προφάσει ridicule irrumpunt; ptyaliſmus nonnunqnam eo gradu laborantes afficit, ut Mercurio delibutas facile crederes. Dolores hyſterici, quamcunque partem obſident; ubi diſceſſerint, teneritudinem, quæ tangi recuſat, relinquunt, ac ſi verberatæ eſſent carnes.*

## Mittatur ſanguis ad ℥viij.

*Emplaſt. de Galbano umbilico admeveatur. Sequenti mane aggrediatur uſum ſequentium pilularum.*

℞. Pil. Coch. maj. ʒij, Caſtor pulv. gr. ij, balſam. Peruvian. gut. iij; f. Pil. n. xij. *Cap. iiij. ſingulis vel alternis matutinis, pro ratione virium, hora 4ta vel 5ta matutina, ſuperdormiendo.*

℞. Aq. Rutæ ℥iiij, Bryon. comp. ℥ij, Caſtor. nodulo ligat. & in vitro ſuſpenſ. ʒß. ſacchar. cryſtall. q. ſ. *de quo capiat cochlear. iiij vel v. in omni languore. Poſt pilulas ſumptas utatur ſequentibus.*

℞. Limaturæ Chalyb. gr. viij; cum ſ. q. Extract. Abſynth. f. Pil. Num. iij, *ſumat ſummo mane, & repetantur hora 5ta pomeridiana per xxx. dies ſuperbibendo hauſtum vini abſinthitis.*

## Sin forma boli arrideat.

℞. Conſerv. Abſinth. Roman. & conſerv. flav. aurant. ā. ℥j. Angelic. condit. Nuc. M. condit. & Theriac. Androm. ā. ℥ß. pulv. Ari comp. ʒiij zinzib. condit. ʒij; c. ſ. q. Syr. de ſucco citri vel ejus defectu Syr. Aurantior. f. Electuarium.

℞. Elect. præſcript. ʒij, limat. chalyb. gr. viij; c. ſ. q. Syr. Auran-

Aurantior. F. Bolus *ſumendus mane & ſero, ſuperbibendo hauſtum vini abſinthitis, vel cochlear. vi. ſeq. infuſionis.*

℞. Rad. Angelic. Enul. campan. & Imperator. ã. ℥j, fol. Abſinth. vulg. centaur. minor. marrub. alb. & chamædr. ã. M. j. Cort. Aurantiorum duorum inciſ. affunde vini Hiſpanici q. ſ. ad ſupereminentiam duorum digitorum. Colentur tempore uſus. Vel:

In delicatulis Chalybs exhiberi poterit in forma pulveris ſequentis;

℞. Limatur chalyb. probe trit. ℥j, pulv. ari compoſ. ʒvj, ſem. Coriand. præp. aniſ. fœnicul. dulc. ã, ℥ß. Cinamom. acutiſſ. Corallor. rubr. præp. ã. ʒiij. N. M. ʒij; f. omnium pulvis ſubtiliſſimus cui adde ſacchari albiſſimi ad pondus omnium, *hujus capiat è cochleari* ʒß, *bis in die per 4. dies, ſuperbibend. cochlear. vj. ſeq. julap. vel vini Abſinthitis.*

℞. Aq. Lact. Alexiter. ℥xij, Gentian. comp. ℥iiij, Abſynth. magis compoſ. ℥ij. ſacchar. albiſſ. q. ſ. f. Julap. Vel;

℞. Vin. Rhenan. Abſynth. ℔ß, aq. Gentian. comp. ℥ij, Syr. Caryophill. ℥j; f. Julap.

℞. Myrrh. elect. Galban. & aſſæ fœtidæ ã. ʒj, Caſtor. ʒß, cum ſ. q. balſami Peruviani f. pil. è ſingulis drachmis xij. *ſumat iij. ſingulis noctibus, ſuperbibend. aq. bryon. compoſ. cochlear. iij. vel iiij per totum decurſum hujus proceſſus.*

Si pilulæ præſcriptæ ventrem moverint, utatur ſequentibus;

℞. Caſtor. ʒj, ſal. ſuccin. volat. ʒß; cum ſ. q. extract. Rutæ, f. Pilulæ Num. xxiiij, *cap. iij. ſingulis noctibus, ſuperbibendo julapii hyſteric. cochlear. iij. vel iiij.*

*Sp. C. C. ad gut. xvj. xviij, in aqua aliqua appropriata ſæpius exhibitus valde confert.*

Si vero his non cedat remediis, tum capiat ſequentes pilulas;

℞. Trochiſc. de Myrrh. pulv. ℈j. balſam Sulphur. Therebinth. gut. iv; cum ſ. q. gumm. Ammoniac. ſolut. f. Pil. num. iiij. *Capiat mane & ſero ſuperbibat julep. hyſteric. cochlear. iiij. vel v. inſtillando Sp. C. C. gut. xij.*

Electuar. antiſcorbuticum cum aqua ibidem deſcripta *prodeſt in his affectionibus ut &* Electuar. corroborans cum additione conſerv. cochlear. hortenſ. ℥j, pulv. ari compoſ. ʒvj, *ſuperbibendo aquam præſcriptam.*

At ſi affectus non his cedat remediis, adeundum eſt ad aquas ferreas; & ſi neque his, tum ad ſulphureas, quales ſunt Bathonienſes.

*INter bibendum aquas ferreas hæc obſervanda; ſi aliquod ſymptoma gravius acceſſerit, quod ad potationem aquarum referri poteſt, tunc ab iis æger abſtineat, donec ſymptoma iſtud penitus evanuerit. Æger in earum uſu per ſex ſeptimanas ad minimum, vel potius ad duos Menſes perſeveret. Zinziber conditum, vel ſemina carvi ſaccharata, ad calefaciendum ventriculum ſubinde ſumat, Pilulæ etiam hyſtericæ iij. devorari poſſunt per primas x. noctes ſuperbibendo julap. hyſteric. iiij. vel v. cochlear.*

*Quoad uſum aquarum Bathonienſium, duobus diebus bibat eas, ac tertio die per modum balnei eas ingrediatur, atque ita alternatim per ſex ſeptimanas vel duos menſes.*

*Si chalybs, juſto plus corpus calefaciat, tum per ejus uſum, 4ta quaque aurora ſumat aq. mineralium purgantium ℔iiij. Quæ tametſi alvum moveant, haud tamen tumultum cient, ut ſolent cathartica ex officinis deprompta.*

## De Febre depuratoria annorum 1661, 62, 63, 64.

*SI æger juvenis ſit, extrahatur ſanguis è brachio, & eodem die poſt aliquot horas, vel ſequenti die duabus horis poſt leve prandium*

*dium, emeticum ex infuſ. croc. Metall. exhibeatur; & poſt fruitam operationem Emetici hoc vel ſimile paregoricum.*

℞. Aq, Ceraſ. nigr. ℥iß, aq. Epidem. ℥ß, Laudan. Liquid. gut. xvj. Syr. caryophyll. ʒij; M. F. hauſtus.

Poſt hunc diem uſque ad undecimum vel duodecimum ſingulis Auroris injiciatur Enema ſequens.

℞. Decoct. comm. pro clyſter. ℔j. (vel lactis vaccini eandem quanitatem) ſacchar. culinar. & Syrup. violac. ā. ℥ij. f. Enema.

Poſt dictum diem alvus conſtipari permittatur, quo materia febrilis citius concoquatur, ad quem etiam finem Cardiaca moderata his ultimis diebus exhibita apprime conducunt; ut,

℞. Pulv. è chel. cancror. comp. gr. xiiij. elect. de ovo ℈ß; cum ſ. q. Syr. Caryophyll. f. bolus *ſumendus octava quaque hora, ſuperbibendo ſequentis julapii cochlear. v. vel 6.*

℞. Aq. Lact. Alexiter, Ceraſor. nigr. ā. ℥iij. Aquæ epidem. & Syr. Caryophyll. ā. ℥j. M. f. julap. vel alia his ſimilia.

*Hac methodo ſollicitè obſervata, ultimò circa xv. diem (tum ex laudabili in urina ſeparatione, tum manifeſta ſymptomatum omnium remiſſione) tempeſtivum eſſe potionem purgantem communem exhibere percipies.*

## De Febre Peſtilentiali 1665, 66.

P*Oſt Venæ ſectionem in lecto celebrandam, æger ſtragulis obruatur, & lacinia lanea ſincipiti alligetur, tum ſi vomitus non adſit, hoc vel ſimile Hydroticum exhibe.*

℞. Theriac Andromach. ʒß, Elect. de ovo. ℈j, pulvis è chel. Cancr. comp. gr. xij, Coccinel. gr. viij. Croc. gr. iiij. cum ſ. q. ſucc. Kermes f. bolus, *quem ſumat ſexta quaque hora, ſuperbibendo cochl. vj. ſeqq. julapii.*

℞. Aq. Card. Bened. & Scordij compoſ. ā. ℥iiij, aq. Theriac. ſtillat. ℥ij, Syr. Caryophill. ℥j, M. f. julapium.

Si adſit vomitio, hydroticum differatur, donec ſolo tegumentorum pondere ſudor promanare incipiat, linteaminis parte vultui ſuperinducta.

*INcepta diaphoreſis hauſtulis Zythogalæ ſalvia alteratæ, vel cerevisiæ cui macis aliquantulum incoxerit ſubinde repetitis ad naturalis diei ſpatium (i. e. horas 24.) eſt continuanda; in ſudore licet juſculis confortativis ægrum reficere.*

*Ubi tumor enatus fuerit, venam aperire non ſuſtinui, per horas adhuc à finito ſudore xxiiij, ægro ſe in lecto continente frigus caute devitetur. Induſium ſponte ſua in corpore areſcere permittetur, potulenta omnia calidiuſcule hauriantur, & Zythogalæ ſalvia alteratæ uſus etiamnum continuetur, in ſeq. luce potio purgans communis exhibeatur.*

Anni 1667, 1668. Febrem varioloſam & variolas produxerunt.

Anni 1669, 70, 71, 72. Febrem dyſentericam.

Anni 1673. 74. 75; Febrem comatoſam.

Curationem febrium horum annorum non attingo, quoniam methodo in febre anni 1685, &c. deſcripta curari eas potuiſſe autumo.

## De Febribus intermittentibus.

*CUm rigore & horrore adoritur paroxyſmus, quibus mox ſuccedit calor & huic tandem ſudor, & ſubſequens ἀπυρεξία: licet in primis morbi diebus, Autumno maxime, aliquoties remiſſio potius quàm intermiſſio perſentiſcetur. In calore æque ac in rigore vomiturit ut plurimum, ac vehementer ægrotat miſer cum ſiti & linguâ aridâ. In tenera ætate abdominis inflatio, in adul-*

tis

*tis crurum tumor febris ſolutionem; tonſillarum dolor, raucedo, oculi cavi facies Hippocratica, mortem denunciant.*

℞. Cort. Peruv. ſubtiliſſ. pulv. ℥j. cum ſ. q. Syr. Caryophyll. vel de Roſis ſiccis fiat Electuarium dividendum in xij. doſes; *quarum unam capiat 4ta quaque hora, ſuperbibendo vini cujuslibet hauſtum, incipiendo immediate poſt paroxyſmum.*

*Si autem præſcripti boli ventrem moverint, in hauſtu vini dentur gutt. x. Laudan. Liquid. ſingulis vel alternis vicibus poſt aſſumptionem boli, ut opus fuerit.*

*Ad recidivam præcavendam (præcipue in quartana) repetatur proceſſus prædictus ſingulis ſeptimanis per tres alias vices.*

## Sin forma Pilularum magis arrideat.

℞. Cort. Peruv. pulv. ℥j. cum ſ. q. Syr. Caryophyll. f. Pilulæ mediocris magnitudinis *quorum capiat 6, quarta quaque hora.*

℞. Cort. Peruv. pulv. ℥ij. Vin. Rhenan. ℔ij. ſtent ſimul in infuſione frigida & coletur per manicam Hippocratis *Uſûs tempore cap. ℥iij. tertia vel quarta quaque hora.*

## Altera Methodus curandi Tertianas.

℞. Serpentar. Virgin. ſubtiliſſim. pulveriſat. gr. xv. Vini albi ℥iij. ſumat duabus horis ante paroxyſmū, & ſtragulis coopertus æger ſudet per iij. vel iiij. horas, idem faciendo per duas alias vices ante paroxyſmum.

## In infantibus febre intermittente laborantibus.

℞. Aq. Ceraſ. nigr. & vini Rhenan. ā. ℥ij. Cort. Peruv. ſubtiliſſ. pulv. ʒiij. Syr. Caryoph. ℥j. M. F. julap. Cap. Cochl. j. alterumve pro ratione ætatis quarta quaque hora, donec paroxyſmi non amplius diſcrucient, inſtillando alternis vicibus, ſi diarrhœa adfuerit; Laud. liquid. gut. j, vel ij.

## De Febre præſenti ab an. 1685. ad 90.

*Calor & frigus ſe invicem excipiunt, artus pariter & caput dolent, pulſus interim fere ſanus, nonnunquam tuſſis, dolor circa collum & fauces, exacerbatio febris prope noctem, inquietudo, ſitis, lingua vel humida & ex omni parte pellicula albâ & ſcabra veſtita, vel ſicca, fuſci coloris in medio, quam partem undique cingit fimbria inalbeſcens. A jugi in lecto decubitu coma & phreneſis, à calido regimine petechiæ, maculæ purpureæ, eruptiones (quas vocant) miliares morbillis magis rubentes, pulſus inordinatus, tendinum ſubſultus, atque ita tandem mors. Sudores in initio ſymptomatici divexant; qui, ſi ab arte, provocentur, viſcoſi à capite erumpunt & materiam morbificam in caput aut in artus transferunt.*

*Mittat. ſanguis ad ℥x. è brachio. Reiteretur venæſectio; ſi modo reſpirationis difficultas, dolor capitis inter tuſſiendum lancinans, & alia ſigna Peripnevmoniæ nothæ adſint. In hoc caſu tam Venæſectio quam Catharſis repetenda, donec æger convaluerit.*

*Veſperi applicetur Epiſpaſticum, & ſequenti Aurora potio lenitiva præſcribatur, quæ ad tertiam vicem alternis diebus repetatur, & hora ſomni poſt Catharſin hauſtus pacificus propinetur.*

℞. Aq. Paralyſ. ℥iij. Syr. de Mecon. ℥j. ſucc. Limon. recent. extract. cochlear. ij. M. f. hauſtus.

*Aphthæ & ſingultus ſponte ſua poſt curationem febris ſupervenientes ſponte evaneſcunt, ſi in longum tempus decurrant, facile fugantur. Cort. Peruv. ℥j. cum Syr. Papav. Rhœad. q. ſ. in formam Electuar. vel Pilular. redacta, ſuperbibendo hauſtum lactis deflorati. Remedium hoc certiſſime ſcopum attinget ſi non fruſtrentur ejus vires ex jugi ægri in lecto decubitu.*

### Diebus à purgatione liberis ſequentia præſcribantur.

℞. Conſerv. Lujul. & Cynosbat. ā. ℥j. conſerv. Berb. ℥ß. Crem. Tart. ʒj. cum ſ. q. Syr. de Limonibus f. Electuar. *de quo*

*capiat*

*piat ad magnitudinem Nuc. M. ter in die, ſuperbibendo ſeqq. julap. cochlear. vj.*

℞. Aq. Portulac. Lactuc. Paralyſ. aa. ℥iij. Syr. de Limonibus ℥iß. Syr. Violar. ℥j; M. f. julapium.

*Si febris ita ventriculum infeſtet, ut æger potionem retinere nequeat; Pil. Coch. major. ad ℈ij. exhibeantur, tum etiam hypnoticum eſt concedendum v. g. Laudan. Londin. gr. iß. cum ſimili quantitate Maſtich. vel Laudan. Liquid. gut. xviij. in aq. Cinamom. hordeat. ℥j.*

*Decoctum album ſit pro potu, ut & cereviſia tenuis pro lubitu.*

## De infantibus febre præſentis conſtitutionis laborantibus.

*Hirudines duæ utrinque pone aures applicentur, dein Emplaſtr. Epiſpaſticum poſteriori cervici admoveatur.*

*Cum cereviſia, qua Rhabarbarum fuerit infuſum, purgetur.*

*Si poſt catharſin febris intermittere videatur, tum julapium cum cortice Peruviano (in capite de febre intermittente pro infantibus deſcriptum) exhibeatur.*

## De Febre ſcarlatina.

*Æſtate exeunte, infantes præcipue infeſtat. Rigent & horrent ſub initium; nec tamen admodum ægrotant; cutis univerſa maculis, parvis, rubris, crebrioribus, latioribus & magis rubentibus quam in morbillis, interſtinguitur: ad duos tresve dies perſiſtunt, quo quidem tempore evaneſcunt, & decedente ſubjecta cuticula, ſquamulis furfuraceis ad inſtar farinæ, cutis inſpergitur.*

℞. C. C. uſti & pulv. è Chel. Cancr. compoſ. á. ʒß. coccinel. gr. ij. ſacchar. cryſtall. ʒj. M. f. pulvis ſubtiliſſimus in xij. chartulas dividend. *quarum unam capiat 6ta quaq; hora, ſuperbibendo cochlearia ij. vel iij. ſequentis julapii.*

℞. Aq.

℞. Aq. Ceraſ. nigr. aq. Lact. Alexiter. ā. ℥iij. Syr. è ſucco Citri ℥j; M. f. julap.

*Applicetur etiam Epiſpaſticum poſteriori cervici, & qualibet nocte paregoricum ex Syr. de Mecon. propinetur & poſtquam ſymptomata ceſſaverint, purgetur æger.*

## De Pleuritide.

*Inter Ver & Æſtatem dominatur, à rigore & horrore orditur, quos ſtatim comitantur calor, ſitis, inquietudo & cætera febrium ſymptomata; elapſis pauculis horis, æger vehementi dolore punctorio in laterum alterutro circa coſtas corripitur, qui nunc verſus Omoplatas, nunc ſpinam, nunc anteriora pectoris ſeſe propagat, tuſſi crebra excruciatur. Materia ſputo rejecta in initio morbi pauca eſt & tenuis, & ſæpe ſanguinis particulis intermiſta, progreſſu vero copioſior & magis concocta, ſanguine etiam permixto. Febris pari paſſu incedit cum tuſſi, ſputo ſanguinis, Dolore, & pro ratione liberioris expectorationis ſenſim imminuitur; nunc alvus eſt aſtricta, nunc ſoluta nimis. Eductus è vena ſanguis ſevi liquati ſpeciem præ ſe fert, ubi refrixerit.*

Mittatur ſanguis è brachio lateris affecti ad ℥x.

℞. Aq. Papav. Rhœad. ℥iv, Sal. Prunel. ʒj. Syr. violar. ℥j, M. f. hauſtus, *Sumendus ſtatim à prima venæſectione.*

℞. Amygd. dulc. excorticat. Num. v. Semen Melon. Pepon. ā. ℥ß, Sem. papav. alb. ʒiij, aq. hord. ℔iß. aq. Roſar. ʒij, cum ſ. q. ſacchar. cand. f. ſ. a. Emulſio. *cap. ℥iiij. 4ta quaque hora.*

℞. Decoct. pectoral. ℔ij. Syr. violar. & capill. Ven. ā. ℥iß. M. f. Apozema *cap.* ℔ß. *Ter in die.*

℞. Ol. Amygd. dulc. ℥ij, Syr. violar. & capill. Ven. ā. ℥j. ſacchar. Cand. q. ſ. M. f. Eclegma, *de quo ſæpe lambat.*

Oleum Amygd. dulcium per ſe vel Oleum Sem. Lini recenter extracti exhiberi poteſt.

℞. Ol.

℞. Ol. Amygd. dulcium, Liliorum & unguent. Dialthææ ã. ℥j. M. f. linimentum, *quo inungatur latus affectum mane & ſero, ſuperimponendo fol. Braſſicæ.*

Repetatur Venæſectio ad tres alias vices, ad eandem quantitatem, quatuor diebus continuis, ubi dolor & difficultas ſuadent.

## De Peripnevmonia notha.

*INgruente hyeme & ſæpe ſub ejus exitum emergit, inſultu primo nunc incaleſcit nunc friget æger, ex motu quolibet vertiginoſus eſt, rubent & inflammantur genæ oculique, tuſſit & inter tuſſiendum dolor capitis lancinans premit, potulenta vomitu rejicit, urina turbida eſt & intenſe rubet, ſanguis pleuriticorum æmulus, anhelus crebro & celeriter ſpiritum ducit, dolente thorace ab aſthmate ſicco plane diſtinguitur, quod in iſto nuſquam comparent febris indicia, in hac manifeſto ſe produnt, licet minora longe & magis obſcura quam in peripnevmonia vera.*

Mittatur ſanguis è brachio dextro ad ℥x. die ſequenti æger hanc potionem ſumat:

℞. Caſſiæ extract. ℥j. Glycyrrh. ʒij, ficus pingues Num. iiij. fol. ſenn. ʒiiß. Agaric. trochiſcat. ʒj. coq. ſ. q. aquæ ad ℥iiij. in colatur. diſſolv. mannæ ℥j. Syr. Roſar. ſolut. ℥ß.

Si vero potionem aſſumere nequeat, capiat Pil. coch. maj. ℈ij. hora quarta matutina.

*Sequenti die iterum celebretur Venæſectio, ad eandem quantitatem; ac poſtero die repetatur Catharſis, quæ porro repetenda eſt alternis diebus, vel poſt majora intervalla, pro ratione virium; Atque inſuper ſi ſymptomata non ceſſaverint, extrahatur iterum ſanguis ſemel adhuc, bis vel ſæpius, diebus aliquot interjectis; prout res poſtulaverit; ſed ut plurimum Venæſectio bis celebrata ſufficiet. Interim dum hæc fiunt, præſertim in diebus*

*à purgatione vacuis, utatur decocto pectorali, eclegmate & oleo amygd. dulcium in pleuritide deſcriptis.*

## De Rheumatiſmo.

*Rigorem & horrorem & cætera febrium ſymptomata patiuntur, elapſo die uno alterove (eſt & ubi citius) dolor adeſt atrox nunc in hoc nunc in illo artuum, in carpis, humeris, & genubus præſertim, viciſſim hos relinquens & illos occupans, rubore & tumore in parte quam poſtremo affecit, adhuc reſiduis. Febris ſenſim evaneſcit, manente dolore, quin & nonnunquam immanius ſæviente. In lumbagine rheumatica immanis dolor adeſt, circa lumborum regionem fixus, nephritin mentiens, niſi quod æger non vomituriat, qui procumbere nequit, ſed vel è lecto exilit, vel ſuper eodem erectus ſedet, corpore perpetua agitatione nunc verſus anteriora, nunc poſteriora inclinato ſanguis pleuriticorum ſimilis.*

Mittatur ſanguis è brachio lateris affecti ad ℥x.

℞. Aq. Nymph. Portulac. Lactuc. ā. ℥iiij. Syr. de Limonibus ℥iß, Syr. violac. ℥j; M. f. julap. *de quo bibat ad libitum.*

Præſcribenda Emulſio 4. ſem. frigd. major. Cataplaſma è mica panis albiſſim. & lacte croco tincto *applicetur parti dolenti.*

*Die ſequenti eadem ſanguinis quantitas detrahatur, atque iterum die uno vel altero interjecto, reiteretur, atque porro quater vel pluries, ſi opus fuerit, hoc obſervando, ut poſt ſecundam venæſectionem majora ſint intervalla inter ſingulas ſanguinis miſſiones.*

*Diebus à phlebotomia vacuis enema è lacte ſaccharato ſubinde injiciatur, vel ſequens;*

℞. Decoct. comun. pro clyſter. ℔j. Syr. violar. & ſacchar. culinar. ā. ℥ij. M. f. Enema.

*Si imbecillitas ægri repetitionem phlebotomiæ non ferat, tum poſt ſecundam vel tertiam venæſectionem Curatio hac methodo tentanda.*

*Capiat*

*Capiat alternis diebus potionem communem donec convaluerit & iisdem noctibus paregorico ex Syr. de Meconio.*

*Sin his remediis non cedat, & æger ob imbecillitatem evacuationes qualescunque ferre nequeat, aggrediatur uſum Elect. & aq. antiſcorbutic. in ſcorbuto deſcript. quæ etiam remedia locum habent in rheumatiſmo ſcorbutico.*

*In Juvenibus atque iis qui temperatè vixerunt, vino non plus æquo dediti Rheumatiſmus diæta ſimplici admodum refrigerante, & mediocriter nutriente, æque feliciter ac repetitis venæſectionibus (quas minus ferre queunt) profligari poteſt. Exempli gratia. Solo lactis ſero ad dies quatuor veſcatur æger, poſtea præter ſerum pane ſimilagineo ſemel in die loco prandii, donec penitus convaleſcat; niſi quod poſtremis diebus alium inſuper panem pro cœna indulgere liceat. Symptomatis ceſſantibus, carnes pullorum elixorum cæteraque eupepta concedantur, tertio autem quoque die ſolo lactis ſero victitet, donec tandem pancratice valeat.*

## De Febre Eryſipelatoſa.

*NUlla non corporis pars, præſertim facies tumet dolet & ſumme rubet, puſtulæ denſæ, parvæ in veſiculas ſubinde faceſſunt, quæ per frontem caputque ſerpunt, oculi tumore obruti, rigor & horror atque reliqua febris indicia adſunt. In alia hujus morbi ſpecie, liquorum attenuantium potationi ſuperveniente, febricula adeſt, puſtulæ urticarum puncturas referentes, nonnunquam in veſiculas ſublatæ, mox recedentes, tuberculorum more ſub cute ſe condentes, maxime pruriunt, & ſcalpendo rurſum adparent. Eſt & alia eruptionis ſpecies, pectus ut plurimum obſidens, macula nimirum lata, cutim vix ſupereminens, pruriginoſa, cum ſquamulis flavis, qua vigente, æger bene ſe habet, eâdem evaneſcente, leviter ægrotat, urina turbida & flava, iisdem remediis, quibus pruritus ferinus, cedit, vino utatur æger & carnibus eupeptis.*

Mittatur ſanguis è brachio ad ℥ix. vel x. die ſequente ſumat potionem communem purgativam.

℞. Rad. Alth. & Lilior. ã. ℥j, Malvæ, Verbaſc. Sambuc. flor. Chamæmel. Melilot. ſummitat. Hyperic. & Centaur. minor. ã. M. j. ſem. lini, fœnugr. ã. ℥ß. coq. ſ. q. aq. ad ℔iij. Coletur liquor & tempore uſus adde ſingulis libris decoct. ſpirit. vini ℥ij. *Stuphæ è panno laneo, decocto immerſæ, ac expreſſæ, calide admoveantur bis in die & pars affecta poſt fotum ſequenti mixtura illinatur.*

℞. Spir. Vin. ℔ß, Theriac. Andromach. ℥ij, pulv. piper. long. & Caryophyll. ã. ʒij. f. Mixtura, *quâ charta emporetica madefacta parti affectæ circumvolvatur.*

*Si primæ venæſectioni non cedat morbus, tum repetatur: & adhuc non ceſſante, ad duas alias vices celebretur, interpoſito ſemper die uno.*

*Diebus à venæſectione liberis Enema è lacte cum Syr. violar. Emulſio refrigerans, & julap. refrigerans, ſunt præſcribenda.*

*De pruritu ferino & inveteratis cutis eruptionibus quæ Venæſectioni & Catharſi cedunt.*

℞. Theriac. Androm. ʒß, Elect. de ovo ℈j, Rad. Serpentar. Virgin. ſubtiliſſ. pulveriſat. gr. xv. Lap. Bezoar. orient. cum ſ. q. Syr. è conditur. Citri, F. Bolus *hora ſomni ſumendus per dies xxi. ſuperbibendo cochlear. vj. ſeq. julap.*

℞. Aq. Card. Bened. ℥vj, aq. Epidem. & Theriac. ſtillat. ã. ℥ij. Syr. Caryophill. ℥j. M. f. julap.

Singulis matutinis cap. liquoris poſſetici ℔ß. calide & ſudet horæ unius ſpatio.

His finitis, ſi puſtulæ adhuc non evanuerint, ſequenti Linimento partes affectæ inungantur.

℞. Ung. ex Oxylapath. ℥ij; Ung. Pomat. ℥j, flor. Sulph. ʒiij. ol. Rhodii ℈ß. f. Linimentum.

Verum-

Verumtamen Medicamenta præſcripta haud uſurpentur, niſi Venæſectione & Catharſi præmiſſis.

## De Angina.

*Angina inter Ver & Æſtatem maxime aggreditur, ſequuntur febris inſultum dolor & faucium inflammatio, unde tumor uvulæ, tonſillarum & laryngis, ne deglutire queat æger, nec ſpiritum ducere.*

*Mittatur ſanguis è brachio copioſe, tangantur partes inflammatæ melle roſaceo, ſpiritu vitrioli, vel ſpiritu ſulphuris ad ſummum acorem permixto vel ſpiritu vitrioli ſolo. Mox Gargariſma ſequens uſurpetur, non vulgari modo; ſed ita ut ſine ulla agitatione in ore contineatur, donec incaleſcat; dein expuatur, & repetatur ſubinde.*

℞. Aq. Plantag. Roſar. rubr. & ſperm. Ranar ã. ℥iij. albũ ovor. in aquam agitando redact. Num. iij. ſacchar. cryſtall. ʒiij. M. f. Gargariſma.

*Emulſio refrigerans in Pleuritide deſcripta in dies ſumatur.*

*Sequenti mane, niſi febris & dolor inter deglutiendum remiſerint, Venæſectio repetatur, Catharſi in diem poſterum rejecta, alias catharticum lenitivum exhibeatur.*

*Manente adhuc affectu (quod oppido rarum) repetatur adhuc venæſectio, & catharſis; Epiſpaſticum amplum ac forte applicetur poſteriori cervici poſt primam Venæſectionem.*

*Omni mane, niſi diebus purgationis, Enema refrigerans & emolliens injiciatur; diæta tenui utatur æger, & lecto per horas aliquot quotidie abſiſtat.*

*In his omnibus Febribus, intercurrentes appello, ut etiam in illa quæ præſentis conſtitutionis eſt, caute obſervandum, ut æger à lecto abſtineat magnã diei partem, ut juſculis hordeaceis, avenaceis ac id genus aliis victitet, & cereviſiam tenuem lupulatam & hydrogalam pro potu ordinario bibat.*

## De Morbillis.

INfantes plerumque impetunt. *Primo die rigent horrentque, calent & frigent alternatim. Secundo conſummatam febrim accerſunt. Ægritudo vehemens, ſitis, inappetentia, lingua alba (non vero ſicca) tuſſicula, capitis & oculorum gravedo, & ſomnolentia perpetua, acriter premunt, humor è naribus & oculis jugiter ſtillat, (quæ lachrymæ certiſſimum morbillorum ſignum) huc accedunt ſternutatio, tumor palpebrarum paulo ante eruptionem, vomitus, diarrhœa, cumdejectionibus colore viridi in dentientibus præſertim Symptomata ingraveſcunt ad quartum uſque diem, quo quidem die (nonnunquam quinto) in fronte & facie maculæ parvæ, rubræ, pulicum morſibus perſimiles prodeunt, quæ numero & magnitudine auctæ racematim coaleſcunt, & faciem maculis rubris majuſculis interſtingunt: Hæ maculæ è parvulis papulis, ſupra cutim paululum elevatis conflantur, quarum protuberantia digito levi, vix oculorum acie, deprehendi poſſit.*

*A facie, quam primo ſolam occupant, ad pectus ventremque, crura deinde tibiasq; propagantur maculæ; in his autem partibus luteæ & rubræ ſuperficiem cutis non ſuperantes conſpiciuntur. Eruptione morbillorum non perinde deliniuntur ſymptomata ac in variolis. Vomitus poſt eruptionem nullus; ſed tuſſicula & febris cum ſpirandi difficultate intenduntur, in oculos defluxio, ſomnolentia & inappetentia perſeverant. Die ſexto aut circiter frons & facies aſpereſcunt, emorientibus puſtulis ruptaque cuticula, in reliquo corpore maculæ latiſſimæ ſunt, & maxime rubeſcunt. Octavo circiter die in facie evaneſcunt, & vix in reliquo corpore permanent. Nono nullæ prorſus ſunt; per faciem vero & artus, quandoque & totum corpus in farinam quandam & ſquamulas ſeceſſunt, & tunc temporis febris, ſpirandi difficultas & tuſſicula augentur. In adultis à calido regimine liveſcunt primò, mox nigreſcunt exanthemata.*

℞. Decoct. Pectoral. ℔iß Syr. violac. & capill. Ven. ā. ℥iß. M. F. Apozema; Cap. ℥iij. vel iiij. ter vel quater in die.

℞. Ol.

℞. Ol. Amygd. dulc. ℥ij. Syr. violac. & Capill. vener. ã. ℥j. ſacchar. cand. albiſſ: q. ſ. M. f. Eclegma *de quo ſæpius lambat, præcipue quando tuſſis urget.*

℞. Aq. Ceraſ. nigr. ℥iij, Syr. de Mecō. ℥j. M. f. hauſtus *ſingulis noctibus ſumendus, à primo morbi inſultu, uſque dum convaluerit æger, doſin augendo vel imminuendo pro ratione ætatis.*

*Æger ſe contineat per biduum poſt primam eruptionem.*

*Si poſt morbillorū diſceſſū, Febris in lecto reſpirandi difficultas, & alia ſymptomata Peripnevmoniam mentientia ſupervenerint, eo in caſu ſanguis liberaliter extrahendus è brachio, ſemel, bis, vel ter, prout opus fuerit, convenienti ſpatio interpoſito inter ſingulas venæſectiones; atque etiam continuentur decoctum Pectorale ſupra deſcriptum ut & Lohech vel Ol. Amygd. dulc. per ſe. Circa diem xij. ab invaſione Cathartico lenienti purgetur.*

*Diarrhœa, quæ morbillos excipit, venæſectione ſanatur.*

## De Variolis.

*Diſtinctæ ſunt vel confluentes & in diſtinctis invadunt rigor & horror, calor intenſus, capitis & dorſi dolor vehemens, vomituritio, in adultis ingens in ſudores propenſio (& hinc mane confluxuros eſſe licet conjicere. Dolor ſub ſcrobiculo cordis, ſi manu prematur, ſtupore & ſomnolentia, nonnunquam & inſultus epileptici (in infantibus præſertim) quibus ſi, dentitione peracta, corripientur, in procinctu eſſe variolas poſſis prædicere, ita ut ſi forte inſultum epilepticum ſub veſperam patiantur, ſequenti aurora in conſpectum ſe daturæ ſunt variolæ, mites ut plurimum & rariſſime confluentes: Quarto incluſive ab invaſione die, nonnunquam ſerius; raro tamen ante illum erumpunt, quo tempore vel minuuntur ſymptomata vel prorſus evaneſcunt. In eruptione autem ſubrubræ primo puſtulæ, tenuiſſimarum acicularum puncta æquantes, ſparſim ſe produnt per faciem, collum, pectus, & corpus univerſum; tunc in faucibus dolor, qui cum puſtulis ſurgentibus augetur. Circiter octavum à primo inſultu diem intervalla puſtularum prius alba rubere jam incipiunt, in tumorem attol-*

*attolli, & dolore tenſivo affici; extenduntur palpebræ, & ut veſica inflata, oculos claudunt. Proximè à facie intumeſcunt manus, digitique diſtenduntur; puſtulæ faciei antea lenes & rubræ, jam aſperæ (primum maturationis indicium) & ſubalbidæ apparent, ſuccum inſuper luteum, colore à favo non abludentem evomunt, faciei & manuum inflammatio jam ſummè in puſtularum interſtitiis colorem exhibet flòridum, & roſarum Damaſcenarum æmulum, quem quidem colorem, quo mitiores ſunt variolæ, eo magis tum puſtulæ tum cutis interjecta ad amuſſim exprimunt: Quæ faciem occupant puſtulæ, aſperiores quotidie ac magis flavæ pro maturationis ratione; quæ manus & reliquum corpus, minus aſperæ albæque magis conſpiciuntur in dies. Die undecimo faciei humor & inflammatio recedunt, puſtulæ maturæ & juſtam magnitudinem (videlicet piſi grandiuſculi) adeptæ exareſcunt deciduntque. Decimo quarto vel quinto pereunt funditus; manuum autem puſtulæ pertinaciores, albæ adhuc & recentes die uno aut altero meras trahunt & tandem dirumpuntur, cæteræ autem, faciei nimirum & corporis deſquamantur, & in facie ſquamulis hiſce furfuraceis ſuccedunt foveæ. Per totum morbi decurſum alvus vel prorſus conſtipatur vel rariſſime dejicit. Maxima eorum pars, qui ex hoc morbo pereunt, octavo die in diſcretis, undecimo autem in confluentibus intereunt: Quippe tum in diſcreto hoc genere promoventur ſudores tum cardiacis cum regimine calidiore, prædicto die facies, quæ turgida & per interſtitia puſtulis interjecta inflammari debuerat, è contra flaccida reperitur & albeſcens, puſtulis nihilominus rubentibus & elevatis, etiam poſt ægri mortem; ſudor qui hucuſque manaverat, derepente evaneſcit, æger interim phrenitide corripitur, anxietate, jactatione, ægritudine, vehementibus, urinam parce reddit ac frequenter & tandem pauciſſimarum horarum ſpatio ad plures migrat.*

*In confluentibus eadem ſymptomata (ſed atrociora) febris ſcilicet, anxietas, ægritudo, vomituritio &c. immanius ſæviunt; licet non ita prompte, ac indiſcretis in ſudores diſſolvitur æger.*

*Diar-*

*Diarrhœa nonnunquam eruptionem præcedit & ad diem unum aut alterum poſt illum protrahitur, quod indiſcretis vix contingit. Tertio die aut citius, raro tardius, erumpunt; & quo citius, eo magis confluunt. Quandoque ad quartum vel quintum diem differtur eruptio ob atrox aliquod ſymptoma v. g. acutiſſimum dolorem in lumbis, nephritici æmulum, in latere pleuritici, in artubus rheumatici, in ventriculo cum ingenti ægritudie & vomitu. Non perinde ac in diſcretis, mox ab eruptione remittunt ſymptomata, ſed & febris & alia ad multos etiam dies poſt eruptionem puſtularum ægrum diſcruciant: Nunc eryſipelatis ritu, nunc morbillorum erumpunt, eruptiones licet tempore plane diſtinguantur. Creſcente morbo, non in molem aliquam ſpectabilem attoluntur; ſed in facie ſibi invicem implicitæ, tanquam veſicula rubra, vultum omnem contegunt, quem maturius elevant quam diſcretæ: poſtmodum ad inſtar pelliculæ albæ vultui agglutinatæ cutis ſuperficiem non admodum ſuperant. Præterlapſo die octavo pellicula alba quotidie paulatim magis exaſperatur, colore fuſco: intenſius magis eſt dolor cutis, donec tandem in truculentiori morbo nonniſi poſt diem vigeſimum latioribus laminis deſquamatur. Hoc interim obſervatu dignum, quod quanto puſtulæ matureſcentes propius ad colorem ſubfuſcum vergunt, eo deteriores lentius abſcedunt; quo magis cutem flacceſcunt, eo minus confluxerint, & ocyus ſe proripiunt. Ubi primum deciderit pellicula, nulla ſcabritie vultus afficietur; at vero mox illam excipiunt ſquamulæ furfuraceæ, indolis perquam corroſivæ, quæ foveas relinquunt patentiores & ſæpe cicatrices. Quandoque humeri & dorſum cuticula denudantur. Morbi periculum à puſtularum frequentia & numero in facie ſola, æſtimandum. Puſtulæ manuum & pedum majores, & quo altius ab extremitate artuum aſcenderis, eo ſenſim minores & contractiores extant. In adultis ſalivatio, in infantibus diarrhœa (licet non ita certò) confluentium comes. Ptyaliſmus nunc cum eruptione ſe prodit, nunc biduo-triduove præterito, materiam primo tenuem, die undecimo viſcidiorem ægerrimè, exſcreat. Siticuloſus eſt æger,*

*voce rauca, ſomnolentia & ſtupore ingentibus corripitur, inter bibendum ſubinde tuſſit, & potus per nares revertitur. Tunc ceſſat ut plurimum ſalivatio, cui niſi faciei intumeſcentia (quæ licet hoc ipſo die pro morbi genio aliquantisper remitti debeat, non tamen niſi poſt diem unum alterumve omnino ſolet recedere) & manuum jam inſigniter incipiens & diutius perdurans ſuppetias tulerint, ægro protinus moriendum eſt. Diarrhœa non ita mature infantes occupat, ac ptyaliſmus adultos. In utraque variolarum ſpecie febris ab inſultu ad eruptionem dominatur, inde dat inducias ad puſtularum maturationem, qua peracta, deſinit. Superveniunt à malo regimine ſymptomata anomala; qualia ſunt, puſtularum flacciditas & ſubſidentia, phrenitis, coma, maculæ purpureæ puſtulis interſperſæ, & in earum ſummitate maculæ nigræ exiguæ in medio ſubſidentes, ſanguinis mictus & ſputum ſub initio morbi, urinæ ſuppreſſio.*

*Separationis tempus cum febrili ebullitione tribus vel quatuor primis diebus tranſigitur: Expulſio per reliquum morbi tempus, mediantibus parvis abſceſſibus, in carne perficitur.*

Mittatur ſanguis quovis ex tribus primis diebus ab invaſione ad ℥ix. vel x. & poſtmodum vomitorium exhibeatur ad ℥j. vel ℥iß. ex Infuſione Croci Metallorum.

*His primis diebus diluatur ſanguis frequenti potatione cereviſiæ tenuis Lupulatæ.*

*Cum variolæ omnes eruperint (quod ut plurimum ex ſexto die poſt invaſionem) veſperi propinetur Syr. de Mecon. ℥j. quæ repetatur dehinc ſingulis noctibus ad diem decimũ poſt invaſionem. Eà nocte, ſi variolæ è confluentium genere fuerint, augeatur doſis ad ℥iß. quæ dein repetatur ad ℥j. mane & ad ℥iß. ferè ſingulis noctibus, donec æger convaluerit.*

Si Syr. de Mecon. minus congruat, ſubſtitui poſſit Laudan. Liquid. videlicet gut. xviij. pro ℥j. Syrupi & gut xxv. pro ℥iß. Hoc interim obſervandum, quod ſi paregoricum bis in die

die exhibitum orgaſmum compeſcere non valeat (quod in variolis inſigniter confluentibus ſub finem earum ſæpe accidit) tum 8va quaque hora exhibendum vel ſæpius, ſi opus fuerit.

*At ſi variolæ interſtinctæ fuerint, ſatis erit, ut ſolummodo ſingulis noctibus poſt plenam eruptionem exhibeatur paregoricum, atque etiam in minori doſi.*

*Qualiscunque autem generis variolæ fuerint, atque etiam qualicunque morbi tempore, ſi phrenitis acciderit, omnino oportet ut inordinato ſpirituum motui frænum injiciatur, ac proinde ſi prior paregorici doſis metam non attingat, alia atque alia aſſumatur, donec tumultus penitus compeſcatur, interpoſito inter ſingulas doſes ſpatio aliquo, ut pernoſcere valeamus, utrum doſis ultima id, quod quærimus, præſtiterit, antequam nova ingeratur.*

*Si omnimoda urinæ ſuppreſſio acciderit, æger è lecto eximatur, & aliquantulum ambulet.*

*Si ſaliva ob calorem ſit adeo viſcida, ut expectorari non poſſit, tum gargariſma cum ſyringa ſæpe in fauces injiciatur. Componatur è cereviſia tenui vel aq. hordei cum Melle roſarum; vel ſequens uſurpari poterit.*

℞. Cort. Ulmi ʒvj. rad. Glycyrrh. ℥ß. Paſſul. enucleat. Num. xx. roſ. rubr. p. ij, coq. ſ. q. aq. ad ℔iß. colatur. diſſolv. oxymel. ſimpl. & mell. Roſ. ā. ℥ij. M. f. Gargariſma.

Si die undecimo, vel alio quovis poſt eum, febris ſecundaria cum inquietudine, jactatione, & cæteris id genus ſymptomatis, uſque adeò efferatur, ut Paregoricis utcunque repetitis ſufflaminari nequeat, & mors quaſi immineat, tum ſanguis ad ſatis magnam quantitatem illi eò detrahatur, nempe ad ℥xij. vel circiter, atque porro repeti poſſet ſemel vel bis in ſequentibus diebus, ſi ſymptomatum dictorum ratio idem poſtularit, at non alias. Catharſis etiam blanda die decimo tertio (non antea) vel quovis alio die eum inſequente (modo venæſectio præceſſerit) inſtitui poſſit, nempe ex Electuar.

 leni-

lenitiv. ℥j. diſſolut. in aq. cichor. vel lact. Alexiter. ℥iv. Verumtamen nec Venæſectio nec Catharſis impediunt, quo minus paregorica in uſum veniant, quæ (haud obſtantibus iis tum quoad largam doſin quam repetitam exhiberi debent, ſi opus adhuc fuerit: nam ad hæc in hoc morbo ſemper confugiendum.

*Quando puſtulæ perfecte exaruerint, inungatur facies linimento ex æqual. part. Ol. amygd. dulc. & pomat. per biduum; & non ultra.*

*Die xxi. poſt invaſionem mittatur ſanguis è brachio; & ſequenti die Catharſis celebranda, quæ porro alternis diebus ad tres alias vices repetatur.*

*Quoad regimen; à lecto abſtineat ad ſextam diem poſt invaſionem, in quo poſtea ſe contineat uſque ad xvij. non niſi iisdem ſtragulis tectus, quam quibus ſanus uti ſolebat.*

*Juſculis avenac. hordeac. Pomis coctis & cereviſia tenui victitet, & poſt undecimum diem vini hiſpanici cochlear. iv. vel v. bis in die exhibeantur, ſi æger voluerit.*

*Si crurum tumor non evacuationibus præſcriptis cedat, tum fotu fol. Malvæ, verbaſci, ſambuc. lauri cum floribus melilot. & chamomill. in lacte coct. facilè fugatur.*

*Si primis morbi diebus æger hæmoptoê laboret, vel urinam reddat ſanguineam, tum pulvis & tinctura, quæ in capite de hæmoptoê præſcribuntur, ſexta quaque hora, (donec ſymptomata iſta prorſus ceſſaverint) diligenter exhibeantur. Quo etiam caſu Paregorica liberali manu propinanda.*

## De Chorea Sancti Viti.

*Convulſionis ſpecies quædam eſt, pueros puellaſve à decimo ætatis anno ad pubertatem invadit, prodit ſe claudicatione, vel inſtabilitate alterutrius cruris quod æger poſt ſe trahit fatuorũ more: manum ejusdem lateris, vel pectori vel alii alicui parti applicitam, nequit continere in eodem ſitu horæ momento, ſed in*

*livm*

*alium ſitum & locum convulſione diſtorquebitur, quicquid æger contra nitatur. Antequam poculum ad os poſſit adducere, mille geſticulationes, circulatorum inſtar exhibebit: Non enim recta linea ori admovet, ſed deducta à ſpaſmo manu, huc illuc aliquandiu verſat, donec tandem forte fortuna labiis propiùs apponens liquorem derepente in os injicit, & avide haurit; dedita tanquam opera, ut ſpectantibus riſum moveret.*

Sanguis ad ℥viij. plus minus pro ætate ex brachio educatur.

*Die ſequenti, dimidia pars, vel quiddam amplius, pro ratione ætatis, potionis communis hauriatur; & veſperi hauſtulus ſequens propinetur.*

℞. Aq. Ceraſ. nigr. ℥j. aq. Epilept. Lang. ʒiij. Theriac. Andromach. ℈j. Laudan. Liquid. gut. viij, f. hauſtus.

Potio cathartica ad tres vices alternis diebus repetatur, & hauſtus Paregoricus iisdem noctibus.

*Poſtea ſanguis iterum extrahatur; & ad Catharſin, uti prius, æger revertatur, & ſic ſanguis mittatur, & alvus abducatur ad tertiam quartamve vicem; ſpatio tamen inter alternas evacuationes obſervato, ut nihil periculi ægro immineat.*

Diebus à purgatione vacuis ſequentia præſcribantur.

℞. Conſerv. Abſinth. Roman. & flaved. Aurant. ā. ℥j. conſ. Anthos ℥jß. Theriac. Andromach. vet. & nuc. moſch. condit. ā. ʒiij. Zingib. cond. ʒj. Syr. è ſucco citri q. ſ. f. Electuarium, *de quo capiat ad magnitudinem nuc. moſch. mane & hora quinta pomeridian. ſuperbibendo vini ſequentis cochlear. v.*

℞. Rad. Pœon. Enul. comp. Imperator. & Angelic. ā. ℥j. fol. Rutæ, Salviæ, Betonicæ, Chamædryos, Marrūb. alb. & ſummit. Centaur. min. ā. M. j. Baccar. juniper. ʒvj. Cortic. duor. Aurant. Incidantur & infundantur frigide in vini Canarini ℔vj. Coletur tantummodo uſus tempore.

℞. Aq. Rut. ℥iiij. aq. Epilept. Lang. & Bryon. compoſ. ā. ℥j. Syr. Pœon. ʒvj. M. f. julap. cap. cochlear. iiij. ſingulis noctibus cubitum iturus, inſtillando ſp. Cor. Cerv. gut. viij.

Applicetur plantis pedum Emplaſtrum de Caraunâ.

*Ob Recidivæ metum pertundatur ei vena & ad dies aliquot purgetur, ea ipſa anni ſequentis tempeſtate (vel paulo ante) qua morbus invaſit. Veriſimile mihi videtur, quod hæc methodus curationi Epilepſiæ adultorum convenire poſſit, quod tamen non adhuc expertus ſum. Cum vero Chorea Viti ætates teneras adoriri ſoleat, in Epilepſia adultorum tam ſanguinis detrahendi quantitas, quam Catharticorum doſis adaugeantur.*

## De Apoplexia.

*SOmnus eſt profundiſſimus, & omnimoda ſenſus & motus privatio, excepta reſpiratione, quam ægri habent difficilem cum ſtertore.*

Mittatur ſanguis è brachio ad ℥xij. quamprimum, ac poſtea ex venis jugularibus ad ℥viij, deinde vomitorium ex ℥iß. vel ℥ij, infuſ. croc. metall. propinetur ſtatim.

Emplaſtrum Epiſpaſtic. ſatis amplum ac forte poſteriori cervici applicetur.

*Dum hæc aguntur, erectus ſedeat æger in lecto, nec ſtragulis nimis obrutus. Spir. Sal. Armoniac. optime rectificatus admoveatur naribus.*

*Finita vomitorii operatione, ſubinde exhibeantur cochlear. iij. vel iv. ſequent. julapii.*

℞. Aq. Rutæ ℥iiij. aq. Bryon. compoſ. & Antiepilept. Langii ā. ℥j. Sp. C. C. gut. xx. Sacchar. cryſtall. q. ſ. f. julap.

*Vel cochlear j. Sp. Lavendul. compoſ. per ſe propinari poſſit bis vel ter, durante Paroxyſmo, hora dimidia vel integra interpoſita. Cavendum eſt, ne Cardiaca plus juſto calida, ac nimis frequenter (uti mos eſt) exhibeantur; nam quacunque demum ſpecifica*

*ciſica virtute pollere videantur, plus damni quam emolumenti ægro apportant, utpote quæ humores fundere (ac proinde malum augere) apta nata ſunt: quod etiam incommodum non minus infertur ex nimia ſtragulorum congeſtione.*

*Paroxyſmo jam finito, ad præcavendam recidivam ſequentia exhibeantur.*

℞. Pil. coch. maj. ℈ij. *cap. tertia quaque die per 6. vices hora 4ta matutina ſuperdormiendo.*

℞. Conſerv. flor. Salv. Roriſmarin. ā. ℥j. conſer. flaved. Aurant. ʒvj. nuc. moſch. condit. & Zingib. cond. ā. ℥iß. Theriac. Andromach. Veter. ʒij. pulv. elect. diambr. diamoſch. dulc. ā. ʒj. cum ſ. q. ſyr. conditur. citri ſ. Opiata, *capiat ad magnitudinem Caſtaneæ mane & ſero ſuperbibend. aq. Epilept. Lang. cochl. ij.*

℞. Ambr. gryſ. ʒß. ol. deſtill. ſem. aniſ. cinamom. nuc. moſch. ā. gut. ij. ol. caryophyll. gut. j. ſacchar. in aq. flor. aurantior ſolut. ℥iiij. f. ſ. a. Tabellæ, *quarum capiat unum ad libitum.*

*Ab uſu potûs generoſioris cujusvis ſibi temperet, veſcatur juſculis avenaceis, hordeaceis, ut & ex pullis gallinaceis confectis, & quandoque etiam (præcipue inter purgandum) carne pullorum, agnorum ac id genus cibis eupeptis.*

## De Ophthalmia.

*Ex oculorum inflammatione patet.*

Mittatur ſanguis è brachio ad ℥x. ſequenti die ſumat potionem purgativam comunem, quæ repetenda eſt per duas alias vices, duobus diebus interpoſitis, iisdem noctibus ſumat hauſtum paregoricum ex Syr. de Mecon. ℥j.

*Diebus à purgatione vacuis ſumat ter aut quater in die ℥iiij. emulſionis ex ſem. frigid. maj. & papav. alb.*

℞. Aq. Plantagin. Roſar. rubr. & ſpermat. ranar. ā. ℥j. pulv. Tut. præp. ʒj. f. collyrium, *cujus guttæ aliquot inſtillentur oculis bis in die; at non incipiendum niſi poſt primam purgationem.*

*Si bis*

*Si his remediis affectus haud cedat, repetatur venæſectio ſemel vel bis (præcipue ſi ſanguis Pleurirticus apparuerit) ut etiam Catharſis.*

*Abſtineat ab uſu vini & cujusvis liquoris generoſi, ab uſu etiam ciborum coctu difficilium & ſale conditorum; & diebus inter purgationes bibat hydrogalam coctam.*

*Nota, quod ſæpe accidit, quod venæſectioni & Catharſi utcunque repetitis Ophthalmia non cedit; hoc in caſu Paregoric. ex Syr. de Mecon. ℥j. ſingulis noctibus exhibitum, curationem ſine aliorum ſuppetiis abſolvit.*

## De Uteri procidentia.

℞. Cort. Querc. ℥ij. coq. in aq. font. ℔iiij. ad ℔ij. ſub finem addendo Cortic. granat. contuſ. ℥j. roſar. rubr. flor. granator. ã. Miij. dein adde vin. rubr. ℔ß; fit pro fotu, *qui cum pannis laneis parti affectæ admoveatur mane horis duabus, antequum è lecto aſſurgat, & nocte poſt decubitum, donec ſymptoma penitus evanuerit.*

## De Paroxyſmo Nephritico.

*ADſunt dolor fixus in lumborum regione, urina cruenta, arenularum ante calculi excretio, ſtupor cruris è directo renis laborantis, ſeſſis retractio ejus lateris, in quo eſt dolor, nauſea & vomitus. Dolor colicus nephritico haud abſimilis; licet in quibusdam ſymptomatis plane diſcrepet, quæ recenſita in capite de Colica bilioſa videas.*

*Si æger temperamento ſanguineo fuerit, mittatur ſanguis è Brachio affecto reni reſpondenti ad ℥x; dein liquoris poſſetici cui Rad. Alth. ℥ij. incoct. fuerint cong. j; quam citiſſime bibatur; & Enema ſequens injiciatur.*

℞. Rad. Alth. Lil. albor. ã. ℥j. fol. Malv. Parietar. Branc. Urſin. & flor. Chamom. ã. Mj. ſem. lini & fœnugræc. ã. ℥ß. coq. ſ. q. aq. ad ℔jß. M. f. Enema.

*Si vomitus urgeat, Laudan. Liquid. ſatis magna propinetur*

*tur videlicet ad guttulas xxv; vel Pil. Matth. gr. xv. vel xvi: In ſenibus vero & morbo diuturno fractis ut & vetulis vaporibus obnoxiis (præcipue ſi ſub initium Paroxyſmi urinam eæ reddant nigram & ſabuloſam) venæſectio omittatur; at quoad reliqua, eâdem quæ dicta eſt via omnino procedendum.*

## De Dyſenteria, Diarrhœa & Teneſmo.

*Rigent horrentque, ſequitur deinde totius corporis calor, quem brevi excipiunt ventris tormina, & hæ dejectiones crebræ & mucoſæ omnes (niſi quod ſtercoroſæ nonnunquam interponantur) cum ingenti cruciatu & moleſtiſſimo viſcerum omnium quaſi deſcenſu, quoties exoneratur alvus, ſanguinis interim lineamentis intertextæ, licet aliquando ne minimum ſanguinis per totum morbi decurſum admiſceatur. Progreſſu morbi ſanguis ſincerus quandoque excernitur, & gangræna inſanabili afficiuntur inteſtina. Si æger ætate floreat, vel cardiacis incaleſcat, febricitat admodum; lingua eſt ſubalbida, quadam mucilagine denſe obſita, interdum nigra & ſicca. Proſternuntur vires, disſipantur ſpiritus, aphthæ inſuper oris interna fauceſque obſident, præſertim ubi materiæ peccantis evacuatio adſtringentibus præpoſterè impeditur, non exacto per cathartica morbi fomite. Aliquando exulante febre, agmen ducunt tormina & cætera morbi ſymptomata ſequuntur.*

*In Diarrhœa humores excrementitii ſine ſanguine aut inteſtinorum exulceratione excernuntur.*

*In Teneſmo aſſidua eſt deſidendi cupiditas, qua nihil præter mucoſum quoddam & ſubcruentum aut purulentum rejicitur.*

*Mittatur ſanguis è brachio quamprimum, eademq; nocte paregoricum propinetur; & mane ſequenti potio purgans communis repetenda alternis diebus ad duas alias vices, & paregoric. poſt purgationes, quamprimum ſuo defunctæ ſunt munere; at diebus à purgatione vacuis idem manè & ſerò eſt exhibendũ.*

*Poſt Venæſectionem & Catharſin ſemel celebratam, per totum morbi decurſum, ſequens cardiacum exhibeatur.*

℞. Aq. Ceraſ. nigr. & fragor. aa. ℥iij. Aq. Epidem. Scord. compoſ. & Cinamom. hordeat. ā. ℥j. Margarit. præp. ℈iß. Sacchar. Cryſtall. q. ſ. adde aq. Roſar. Damaſcen. ℥ß. ad gratum ſaporem. M. f. julap. *de quo cap. cochlear. iij. vel v. in languoribus, vel ad libitum.*

*Potus ſit lac coctum cum triplo aquæ vel decoctum album, ut:*

℞. G. C. C. & micæ panis albiſſ. ā. ℥ij. coq. in aq. fontan. ℔iij. ad ℔ij. poſtea ſ. q. ſacchari albiſſim. edulcoretur. *Vel ſi dejectio virium poſtulaverit*, Aq. font. ℔ij. cum Vin. Canarin. ℔ß. ſimul coctæ *pro potu frigide aſſumantur.*

*Cum per tres vices purgaverit æger, tota curatio uſui Laudani bis vel ter in die repetiti poſtea incumbit, niſi quod enema ex lacte vaccin.* ℔ß. *& Theriac. Andromach.* ℈iß. *Subinde injiciatur, quod in alvi egeſtionibus mire confert.*

*Cum alvi fluxus in diarrhœam tantum aſſurgat, phlebotom. & catharſi præſcript. omiſſis ſeq. bolus ſingulis matutinis exhibeatur.*

℞. Rhabarb. pulv. ℈ß. (plus minus pro ratione virium) c. ſ. q. diaſcordii f. bolus addendo ol. Chym. Cinam. gut. ij.

*Noctibus inſequentibus paregoric.* ex aq. Cinam. hordeat. ℥j. & Laudan. Liquid. gut. x. *exhibeatur.*

*Ubi tormina ſicca ſine dejectionibus excruciant, curantur diluendo ſero lactis frigide propinato, & tepide injecto; ut in cholera morbo pullorum juſculo aut lacte cereviſiato.*

*Si hic morbus diutius excurrat, adeo ut omnis ejus vis in rectum Inteſtinum decumbat, cum aſſidua deſidendi cupiditate, in hoc affectu, diæta analeptica inſtituatur, & liquor aliquis cardiacus pro libitu ingeratur, ut reſtaurari poſſint vires, quibus redeuntibus, Teneſmus ſponte ſe proripit.*

*In dyſenteria male curata dolores aliquando ægrum ad annos aliquot diſcruciant, in hoc caſu phlebotomia repetita priſtinam facultatem reſtituet.*

*Notandum eſt, quod in conſtitutionibus huic morbo minus faventibus omiſſis evacuationibus dyſenteria Laudano ſolo ſanatur,*

*tur, quod mane & ſero repetendum, donec ſymptomata penitus evanuerint, vel etiam ter Nychthemeri ſpatio, ſi opus fuerit.*

## De Colica biliosâ.

*INteſtinorum dolor atrociſſimus eſt, per horas aliquot affligit, febris in hunc morbum deſinens, qui aut quaſi injecta faſcia conſtringit, aut in punctum contractus quaſi terebella perforat; ſubinde remittitur, mox recrudeſcit. Sub initio non ita certo ad unum aliquod punctū determinatur, neque tam crebra vomituritio, neque alvus ita pertinaciter catharticorum vim eludit; quo autem magis augetur dolor, eo obſtinatius in puncto figitur, vomituritio frequentior, & major alvi adſtrictio, colica tandem in iliacam tranſeunte. A nephritide ſic diſtinguitur. 1. Dolor nephriticus fixus in rene eſt, & ab eo ad teſtem exporrigitur, ſecundum longitudinem ureteris. Colicus vero vagus eſt, & cinguli inſtar medium ventrem affligit. 2. A paſtu colicus dolor augetur, nephriticus potius imminuitur. 3. In colico dolore ab excretione per alvum & per vomitum majus levamen emergit, quam in nephritico. 4. In dolore nephritico urinæ primum claræ & tenuis, poſtea aliquid ſubſidet, & tandem arenulæ aut lapilli excernuntur: in colica urinæ ab initio craſſiores exiſtunt. Sanguis è brachio paulo liberalius educatur, & poſt horas tres vel iv. Anodyn. exhibeatur poſtero die Catharticum Lenitiv. & interpoſito die uno, ad tertiam vicem propinetur.*

*At ſi malum hoc fructibus horariis, vel aliis cibis avide ingeſtis, originem debeat, tum ventriculus ante omnia lacte cereviſiato affatim hauſto eluendus eſt; quo exantlato, Anodynum propinandum eſt; ſequenti autem die vena ſecanda eſt, & in ordine præſcripto procedendum.*

*Ubi hic morbus minus perite tractatus diutiſſime fatigaverit, & ægrum pene confecerit, liberalior ſive Aquæ Epidem. ſive Mirabilis, ſive alius cujuſcunque, qua ſanus maxime delectabatur, uſus ægrum hoc tempore ultra ſpem omnem juvit.*

## De Cholera morbo.

*INtra Auguſti limites ſe continens, vix in priores Septembris hebdomadas evagatur, A crapula & ingluvie excitatus ſimilis affectus, nullo temporis diſcrimine inſurgit, qui licet eodem curetur modo, alterius tamen eſt ſubſellii. Adſunt vomitus enormes, ac pravorum humorũ cum maxima difficultate & anguſtia per alvum dejectio; ventris ac inteſtinorum dolor vehemens, inflatio & diſtentio; cardialgia, ſitis; pulſus celer ac frequens, parvus & inæqualis; æſtus & anxietas, nauſea moleſtiſſima, ſudor, crurum & brachiorum contractura, animi deliquium, partium extremarum frigiditas, & ſimilia, quæ ægrum in 24. horarum ſpatio interimunt.*

*Pullus tenerior in tribus circiter aq. font. congiis elixetur, ut carnis ſaporem vix perceptibilem liquor referat, hujus decocti vel (defectu ejus) liquoris poſſetici capaciores aliquot cyathos æger tepide exhauriat; & eodem tempore ex eodem liquore enemata ſucceſſive repetenda.*

*Hauſtibus & Clyſteribus Syr. Lactuc. Violar. Portulac. Nymphææ, eorumve alicujus uncia ſubinde admiſceri poterit.*

*Exantlato hoc eluvionis penſo (quod iij. vel iiij. horas ſibi vendicat) Paregoricum curationi coronidem imponit.*

*Si non acceſſerit Medicus, niſi poſtquam æger vomitu & dejectionibus per multas horas continuatis fuerit exhauſtus, & jam frigeſcant membrorum extrema, tum ad Laudanum Liquidum fugiendum eſt in paulo majori doſi, (videlicet Laudan. Liquid. gut. xxv. in Aqu. cinam. fort. ℥j.) & cum ceſſaverint ſymptomata, nihilominus mane & ſero quotidie eſt repetendum at in minori doſi, donec priſtinas vires receperit.*

Eſt ſpecies quædam choleræ morbi infantibus valde familiaris, ac ſæpenumero funeſta, ex dentitione vel crapula originem ducens. Horum ætas tenella minime fert, ut diluatur ventriculus larga liquorum potatione, multominus ut Catharticis tumultus major in humoribus excitetur, ſed cura-

tio-

tionem Laudano ſolo aggredi oportet: quamobrem gut. ij, iij, vel iiij, vel plures, pro ratione ætatis, cochlear. j. cereviſiæ tenuis vel aquæ cujusvis appropriatæ inſtillatæ exhibeantur, repetanturque, ut opus fuerit.

## De Colica Pictonum.

*Eſt ſpecies quædam Colicæ, quæ degenerare ſolet in Paralyſin, & motûs omnimodam manuum ac pedum depravationem; quam hoc nomine Riverius in capite de Paralyſi indigitat, & apud inſulas Caribum notiſſima eſt; utpote, quæ magnam vim hominum infeſtat.*

*Hunc dolorem atrociſſimum ſanat* Balſam. Peruv. *frequenter ac in magna doſi exhibit.* nempe ſi ejus guttulæ xx, xxx, vel xxxx. ſacchari albiſſim, coch. j. inſtillentur, *& bis vel ter in die dentur: At Paralyſis huic remedio haud cedit.*

## De Iliaca paſſione.

*Periſtalticus inteſtinorum motus invertitur, propinata Cathartica & injecta Enemata in emetica ſtatim tranſeunt, alvi fæces per vomitum rejiciuntur.*

Mittatur ſanguis è brachio dextro ad ℥ix. vel x. Poſt aliquot horas exhibeatur ſequens pulvis.

℞. Reſin. Scam. vel (defectu ejus) reſin. jalap. gr. xij. Calomelan. Turq. ℈j. M. f. pulvis; *cap. è cochlear. j. lactis vaccin. ſuperbibendo ejusdem lactis cochlear. j. vel alterum, vel ſi forma pilularum magis arrideat,*

℞. Pil. ex duobus ʒß. Calomel. Turquet. ℈j; cum ſ. q. Balſam. Peruvian. f. Pil. iiij. *Sumend. è cochl. j. Syr. violarum.*

*Finita operatione cathartici, ſumat ſequentem hauſtum.*

℞. Aq. cinamom. fort. ℥j. Laudan. Liquid. gut. xxv. M. f. hauſtus, *qui porro repetendus eſt bis, ter, vel ſæpius in die, donec vomituritio & dolor penitus ceſſaverint, atque etiam, iſtis ſymptomatis ceſſantibus, nihilominus ad curationem confirmandam per aliquot adhuc noctes capiat idem paregoricum in minori doſi cubitum iturus.*

## De Fluxu menſium immodico.

*Menſtruorum fluxus naturaliter conſtitutus, capacitatem teſtæ ovi anſerini implet. Patet autem immodicus ex difficili tolerantia, virium lapſu, inappetentia, cachexia, colore cadaveroſo, & pedum intumeſcentia.*

Mittatur ſanguis è brachio ad ℥viij. ſequenti mane ſumatur potio purgativa comūnis, repetaturque alternis diebus ad duas alias vices; & noctibus poſt purgationem Paregoric. è Syrupo è Meconio exhibeatur. Diebus à purgatione vacuis ſumat ſequentia.

℞. Conſerv. Roſar. ſicc. ℥ij. Trochiſc. de Terra Lemnia ʒiß. Cort. Granat. Corall. rubr. præp. & boli armenæ ā. ℈ij. Lapid. hæmatit. Sang. Dracō. ā. ℈j. c. ſ. q. Syr. Cydonior. f. Elect. *de quo ſumat ad magnitudinem nucis moſchatæ major. mane & hora 5. pomeridiana, ſuperbibendo ſequent. julapii cochl. vj.*

℞. Aq. Germin. querc. & Plantagin. ā. ℥iij. Aq. cinam. hordeat. & Syr. de Roſ. ſicc. ā. ℥j. ſp. Vitrioli q. ſ. ad gratam aciditatem.

℞. Fol. Plantag. & urtic. ā. q. ſ. contundantur ſimul, & ſuccus exprimatur, & poſtea clarificetur, *de quo cap. cochlear. iiij. vel v. ſæpiuscule ad libitum.*

*Poſt primam purgationem applicetur Emplaſtrum ſeq. regioni lumborum.*

℞. Emplaſtr. de Minio, & ad Herniam ā. part. æq. extendantur ſuper alutam f. Emplaſtrum *regioni lumborum admovendum.*

## De Colica hyſterica.

*Est ſpecies quadam ſeu inſigne potius ac valde uſitatum affectionis hyſtericæ ſymptoma, cui comitem ſe adjungit dolor circa ſcrobiculum cordis atrociſſimus, uti etiam humorum viridi colore per vomitionem ejectio.*

*Primo, quo ſaburra humorum vitioſorum in ventriculo contentorum minus impediat paregorici efficaciam, ſatis magna quan-*

*quantitas liquoris poſſetici affatim ingurgitetur, atque iterum per vomitionem rejiciatur, nempe* ejusdem liquoris cong. iß, *quo peracto*, Laudan. Liquid. gut. xxv. in aq. Cinam. fort. aq. Epidem. vel alius vehiculi ℥i. *propinentur.*

*In uſu Paregoric. hoc notandum, quod eo uſque repetendum eſt, donec ſymptomata omnia penitus ceſſaverint, debitum interea tempus interjiciendo, ut dijudicare valeamus, quid prior doſis effecit, antequam novam ingeramus.*

*Si ſanguineo temperamento prædita ſit ægra, vel ſi antea hoc ſymptomate haud multum infeſtata fuerit ac viribus fracta, hoc in caſu ſanguis primum è brachio detrahendus, antequam vomitorium præſcriptum propinetur.*

*Hac ipſa methodo clavus hyſtericus curatur ſin vero colica hyſterica in longam diuturnitatem abeat, per paroxyſmos affligens tum in eorum intervallis, ſive extra paroxyſmum ſeq. uſurpentur.*

℞. Zedoar. ſubtiliſſimi pulveriſat ʒj. c. ſ. q. Syr. è conditur. Citri. f. bolus, *ſumendus mane & ſero per xxx. dies, ſuperbibendo ſequentem infuſionem.*

℞. Zedoar. inciſ. minutim. ℥ß. vin. canarin. ℥iiij. infundantur frigide per xij. horas; deinde coletur pro uſu; *vel* balſam. Peruvian. *ut in Colica Pictonum, uſurpetur.*

*Quæ de colica hyſterica hic dicuntur, de colica etiam hypochondriaca dicta ſunto; ut & hoc diligenter advertendum.*

*Utriusque affectus natura ſibi vendicare videtur, ut alia atque alia tententur, donec tandem ad illud remedium perventum fuerit, cui quaſi genuino morbus cedit; tametſi ut plurimum chalybs imprimis confert.*

*Colica hyſterica tamen hypochondriacis, quam hyſtericis ſæpiſſime in icterum deſinit, qui ſenſim ſponte ſua ſucceſſit, ſin autem longas moras nectat, exhibeatur Apozema ſequens.*

℞. Rad. Rubiæ Tinctor. Curcum. ā. ℥j. chelidon. major, cum toto & ſumitat. Centaur. min. ā. Mj. coq. in æqualib. partibus vini Rhenani & aq. fontan. ad ℔ij. colatur. diſſolv. Syr. de

de 5. radic. ℥ij. M. f. Apozema; *De quo capiat ℔ß, calide mane & ſero, uſque dum convaluerit.*

## De Ictero.

*Color flavus in toto corpore, præſertim in oculorum albis eſt conſpicuus, quo quidem colore objecta omnia apparent affectis tincta, corporis pruritus, ſegnities & laſſitudo, linguæ amaror, vomitus bilioſus interdum, ſingultus, egeſtio alba, urina crocea & pannum immerſum eodem colore inficiens, morbum indigitant.*

*Exhibeatur potio purgativa communis, dein aggrediatur uſum ſequentium; & durante eorundem uſu, catharticum præſcriptum 4to quoque die exhibeatur.*

℞. Conſerv. Abſinth. Rom. Conſerv. flaved. aurant. ā. ℥j. angelic. condit. Nuc. Moſch. condit. pulv. ari compoſ. & chalyb. cum acet. præp. ā. ʒß. extract. Centaur. min. extract. Gentian. & Crem. Tart. ā. ʒij. Croc. Angl. pulv. ʒß. cum ſ. q. Syr. de 5. Radicibus. f. Electuarium, *de quo cap. ad magnitudinem nuc. moſch. mane & hora 5tâ pomeridiana (vel vice Electuarii ſumat pilulas chalybeatas) ſuperbibendo poſt matutinam doſin Aquarum mineralium purgantium ℔iiij. & poſt pomeridianam doſin Apozemat. in colica hyſteric. deſcript. ℔ß.*

*At ſi ſigna hydropis affuerint, tam mane quam ſero Apozema ſuperbibat.*

*Si vel his diu continuatis morbus adhuc obſtiterit, ad aquas ferreas adeundum eſt, quæ ex ipſo fonte ſunt bibendæ.*

## Ad præcavendum abortum.

*Eadem præſcribenda ac in Fluxu menſium immodico, omiſſis ſolummodo catharſi & ſuccis.*

## De immodico lochiorum fluxu.

*Fluxum lochiorum naturalem tria conſtituunt, ſanguis ſcil. purus, copioſus, per triduum primum fluens; dehinc ſanguis aquoſus, loturæ carnium craſſiori ſimilis, per quatriduum præter*

*propter*

*propter durans; hinc poſtmodum materia viſcoſa & mucilaginoſa, pauco aut nullo ſanguine permiſta, per 5. aut 7. die prodiens, & ſic porro ad menſis finem.*

*Fluxus autem eorum immodicus dijudicandus eſt ex virium dejectione, animi deliquio, ſanguine grumoſo effluente, cibi faſtidio, dolore in hypochondriis, ventris tenſione, pulſu debili & frequenti, viſûs obtenebratione, aurium tinnitu & convulſionibus.*

*Victus incraſſans inſtituatur & potus ſequens addatur.*

℞. Aq. Plantag. vin. rubr. ã. ℔j coq. ſimul ad tertias, & deinde edulcoretur ſ. q. ſacchar. albiſſ. *cujus, cum frigeſcat, cap.* ℔ß. *bis vel ter in die.*

*Interim julap. aliquod hyſtericum (at ſatis mite) ſubinde propinetur, & nodulus ſequens naribus applicetur;*

℞. Galban. Aſſæ fœtid. ã. ʒij Caſtor. ʒiß. Sal. ſuccin. volatil. ʒß. M. f. nodulus *vel*

℞. Spir. Salis Armoniac. ʒij. de quibus ſæpe olfaciat.

## De Suppreſſione lochiorum.

*INtumeſcit venter, dolor gravativus imum ventrem, lumbos & inguina occupat, facies rubeſcit, difficilis eſt reſpiratio, perturbantur oculi, rigores, febres acutæ adſunt, animi deliquia, ſudores frigidi, pulſationis & ardoris ſenſus in utero, paralyſis in partibus inferioribus, ut & interdum epilepſia. E veſtigio lecto addicatur, & Emplaſtrum Hyſtericum umbilico admoveatur quamprimum, tum Electuar. ſequens adhibeatur.*

℞. Conſerv. Abſinth. Rom. Rutæ a. ℥j. Trochiſc. è Myrrh. ʒij. Caſtor. Croc. Anglic. Sal volatil. Sal ammoniac. & aſſæ fœtidæ ã. ʒß. cum ſ. q. Syr. è 5. radicibus f. Electuar. *cap. ad magnitudinem nucis moſch. quarta quaque hora, ſuperbibendo ſeq. julap. cochl. 4. vel 5.*

℞. Aq. Rutæ. ℥iiij. Bryon. compoſ. ℥ij. Sacchar. cand. q. ſ. f. julap. *vel ſumat* Trochiſc. de Myrrh. ℈j. *quarta quaque hora.*

*Si tota prædictorum quantitas conſumatur, & lochia adhuc ſupprimantur, Laudanum unica ſaltem vice exhibendum, ut* Laud. Liquid. gut. xiiij. in aq. Bryon. compoſ. *vel* Laudan. ſolid. gr. iß. cum aſſæ fœtidæ ℈ß. in pilulas duas redactum.

*Si hæc nihil proficiant, tum enema ex lacte ſaccharato unica ſaltem vice injiciatur.*

## De Hydrope.

*FOveæ à digitorum impreſſione in ſurarum parte inferiori ſub noctem conſpicuæ mane evaneſcentes hoc malum primum indicant, maximè ſi ſpiritus interim ægrius ducatur (haud raro tamen fœminæ prægnantes & quibus catamenia ſiſtuntur, ab aſthmate inveterato derepente liberati eodem tumore tentantur) pedibus cruribusque ad extremum tenſis, in abdomen ruunt aquæ, & ad ultimum capacitatis ſuæ limen paullatim diſtendunt, donec tandem in viſcera nobiliora impetu ab iis facto æger ſubmergitur. Pro rata, qua partes à morbo obſeſſæ mole augentur, aliæ magis magisque gracileſcunt, urgentibus dyſpnæa, urinæ paucitate & ſiti intenſa, viros ingraveſcente ætate; fæminas, ubi jam parere deſierint, ut plurimum adoritur. Indicationes curativæ dirigendæ ſunt primo ad aquarum evacuationem, deinde ad inſtaurandum ſanguinis robur, quo novus aquarum proventus præcaveri poſſit.*

℞. Vin. alb. ℥iiij. Jalap. ſubtiliſſ. pulveriſat ʒj. Zinzib. pulv. ℈ß. Syr. de ſpin. cervin. ℥j. M. f. Potio *ſumenda ſummo mane, repetendaque ſingulis vel alternis diebus, pro ratione virium, donec partes affectæ detumuerint; vel*

℞. Tamarind. ℥ß. fol. ſenn. ʒij. Rhei ʒiß. coq. ſ. q. aquæ ad ℥iij; colet. diſſolvetur Mannæ & Syr. Roſar. ſolut. ā. ℥j. Syr. de ſpin. cerv. ℥ß. Elect. è ſucco Roſar. ʒiij. M. f. potio *ſumenda ut ſupra. Vel,*

℞. Pil. ex duobus ℈j. Elater. gr. iij. Ol. Chym. Caryophyll. gut. ij. f. Pil. Num. iij; *cap. ſummo mane, repetanturque, ut opus fuerit; vel*

℞. Gam.

℞. Gambugii gr. xv, vin. alb. & aq. cichor. a. ℥iſs. Syr. de Spin. Cervin. ℥ſs. M. f. Potio, *ſumenda ut ſupra; vel*

℞. Cort. interior. Sambuc. è ligno deraſ. Miij. coq. in aq. & lacte partibus æqual. miſtorum ℔ij, ad ℔j. Coláturæ *capiat dimidiam partem mane, & alteram ſero quotidie, donec convaleſcat. At hoc remedium, niſi in corporibus, quæ facillime purgativis cedunt, nihil confert.*

*Circa uſum Catharticorum in hoc morbo hæc tria advertenda ſunt.*

*Primò, utrum ægri corpus facile an vero difficulter catharticis cedere ſoleat, cum in iis qui facile purgantur Syr. de Spin. Cervin. ſolut. ad ℥j. exhibitus aquas ſat copioſe eliciat, in illis vero, qui difficulter purgantur, Cathartica ſupra deſcripta, utut valida, vix ſcopum attingant.*

*Secundo Cathartica omnia, quæ ſegnius operantur, magis officiunt quam proſunt; quamobrem purgatio paulo fortior & nimia juſto debiliori eſt præferenda.*

*Tertio, aquæ ea maxima celeritate exhauriri debent, quam ægri vires ferre queant; ne nimis longa inter purgationes intervalla adhibendo, aquæ denuo affatim colligantur.*

*Eſt autem ubi medicamenta omnia, qualiscunque demum generis, quæ alvum movent, prorſus omitti poſſint ac debeant; quoties enim æger conſtitutione eſt infirmiori, vel fœmina vaporibus obnoxia, aquarum evacuatio diureticis ſolum committenda, inter quæ ea ſunt efficaciſſima, quæ ex ſalibus lixivialibus fiunt; ut*

℞. Cinerum Geniſtæ ℔j. infundantur frigidè in Vini Rhenan. ℔iiij. liquoris per filtrationem colati ℥iij. *mane, ſta pomeridiana & ſero ſingulis diebus exhibeantur, uſque dum humor evanuerit.*

*Aquis jam penitus evacuatis, calefacientia & corroborantia medicamenta uſurpanda; ut*

℞. Rad. Raphan. Ruſtican. fol. cochlear. hortenſ. abſinth. vulgar. Salviæ, ſummitat. Centaur. minor. & Geniſt, infun-

dantur in cereviſia forti pro potu ordinario, *qui potus incipienti hydropi aliquando ſine catharticis ſubvenit, vel ſequent. utatur;*

℞. Conſerv. Cochl. hortenſis, abſinth. Rom. ā. ℥j, extract. Gentian. abſinth. vulgar. & centaur. min. ā. ʒiij. cum ſ. q. Syr. è cort. citr. f. Electuarium, *de quo ſumat ad quantitatem nuc. moſch. major. mane, quinta pomeridiana, & veſperi, ſuperbibend. ℥iij. ſequentis infuſionis.*

℞. Rad. Gentian. ℥j. ſummitat. Geniſt. Centaur. min. & abſinth. vulgar. ā. Mj. ſem. fœnicul. & Petroſelin. ā. ʒij, inciſis minutim affunde Vini Rhen. ℔iiij, ſtent ſimul in infuſione frigida, & colentur ſolummodo tempore uſûs.

Notandum, cum ad corroborantium uſum deventum fuerit, ægrum nullo modo purgandum eſſe, tantisper dum ſanguinis corroborationi navetur opera.

*Quod & per ſalium lixivialium uſum omnino obſervandum, quo quidem tempore pariter corroborare convenit.*

℞. Rad. Raphā. Ruſticā. ℥iij, fol. cochl. hortenſ. abſinth. vulg. ſalviæ, ſummitat. Centaur. min. & Geniſtæ ā. Miij. aurant. inciſ. Num. iij, infundantur in congiis vj. cereviſiæ fortis non lupulatæ, inter fermentandum; *ſit pro potu ordinario.*

## De Gonorrhœa virulenta.

*Corripitur dolor genitalium inſolitus, & rotatio teſticulorum, in non recutitis macula morbilli æmula glandem occupat ſtatim, à cujus exortu liquor, ſeminis inſtar, exſtillat, qui quotidie à ſeminis colore & conſiſtentia recedens flaveſcit, tandem dilutius ovi vitello; in lue virulentiore vireſcit, & aqueo humori permiſcetur ſanguine tincto. Puſtula dicta ulcus fit, aphthis infantum ſimile, indies latius & profundius depaſcens, ſuperveniente orificii callo, Verpi non glandis ulcere, ſola gonorrhœa tentantur. Mox magnus dolor in pene, quoties erigitur, quaſi manu transver-*

*verſus fortiter conſtringeretur, noctu præcipue urget, dum æger lecto incaleſcit. Curvatur penis à freno contracto. Accedit ardor urinæ, inter mingendum vix perceptibilis, ſed mictu finito, per urethræ ductum acriter urens, maxime qua in glandem deſinit. Carbunculæ lotii exitum quandoque impediunt; & ſcroti dolor ac inflammatio nonnunquam ſuperveniunt.*

℞. Maſſ. Pil. coch. major. ℥iij. extract. Rudii ℥j. Reſin. jalap. & diagryd. a. ʒß; cum ſ. q. opobalſam. f. Pil. è ſingulis drachmis vj. *Cap. iv. ſingulis auroris, donec urinæ ardor & color flavus materiæ ſeminiformis admodum imminuentur. Poſtea alternis diebus ad ſeptimanas adhuc duas; ac ſub finem bis in ſeptimana, donec humor ſtillare prorſus ceſſaverit;*

*In iis qui difficulter purgantur, ſubinde intercalari poſſit potio communis purgativa, cui addantur,* Syr. è Spin. Cervina & Elect. è ſucco Roſar. a. ℥ij; *vel curatione minus feliciter ſuccedente* Turbith. Minerale ad gr. viij. *exhiberi poteſt bis vel ter, diebus quatuor interpoſitis, vel vice Turbith. mineral.*

℞. Pil. ex duobus ʒß Mercur. dulcis ℈j. cum ſ. q. opobalſam. f. Pil. iiij. *ſummo mane ſumendæ.*

*Si æger à dicta catharſi abhorreat, poſt pilulas primo deſcriptas, tribus auroris continuis ſumptas, tum mane, & hora 5ta pomeridiana quotidie injiciatur Clyſter ſequens, niſi quod ſemel aut bis in hebdomade omiſſo clyſtere, Cathartic. imperandum.*

℞. Elect. è ſucc. Roſar. ℥vi. Terebinth. Venet. vitello ovi ſolut. ℥ß. diſſolvatur in Aq. hord. ℔j. colaturæ adde Syr. violar. ℥ij. M. f. Clyſter.

*Singulis noctibus cap.* Opobalſam. vel balſam. è Mechâ gut. xxv. ſacchar. fruſtulo exceptas, hujus defectu Terebinthina Cypria ad quantitatem avellanæ ſubſtitui poſſit.

*Sit pro potu hydrogala; at cereviſia tenuis in paſtubus; Vel ſequentem methodum aggrediatur.*

℞. Pil. ex duobus ʒß. Opobalſam. gut. iij. f. Pil. Num. iij. *cap. hora 4ta matutina ſuperdormiendo, repetanturque alternis diebus, vel tertia quaque die.*

*Diebus à purgatione vacuis injiciatur mane & hora quinta pomeridiana clyſter ſupra deſcriptus.*

Procedente curatione (quacunque ea demum methodo tentetur) ſanguis ſub medium curationis ſemel vel bis mittatur, & diæta refrigerans & incraſſans præſcribatur, & medicamenta iisdem viribus pollentia, qualia ſunt hydrogala, emulſiones ex ſeminibus frigidis &c:

*Si Penis tumore afficiatur.*

℞. Rad. Althææ Lilior. a. ℥iß. fol. Malor. verbaſc. ſambuc. Hyoſcyam. flor. chamomel. melilot. a. Mj. ſem. Lini Fœnugræc. a. ℥ß. coq. ſ. q. aq. Font. & F. Potus *parti affectæ admovendus per horæ unius ſpatium bis vel ter in die.*

Peracta fomentatione, perungatur pars affecta ol. ſem. Lin. recent. extract. deinde emplaſtr. è mucilaginibus alutæ inductum labiis præputii tumidis circumponatur.

*Si ulcus in præputii labiis, vel in ſubjecta glande, hæreat, tum ſequens linimentum præſcribatur.*

℞. Unguentum Baſilicon. ℨvj. unguent. nicot. ℨij. præcipitat. aq. Roſar. loti & optime lævigat. ℨß. M. f. linimentũ *quo lintei raſura imbuatur, & ulcuſculo admoveatur ſemper poſt fotûs præſcripti uſum.*

*Si ſcrotum tumore afficiatur, ſtatim ſanguis è brachio extrahatur, atque bis in die fotus præſcriptus parti affectæ admoveatur, ſingulis fotibus addendo ſp. vin. Gall. cochl. j. vel alterum, vel cataplaſma ex Oxycrato & farina fabarum, ejus loco applicandum.*

*Catharticis interim & refrigerantibus modo deſcriptis introſumptis utendum eſt.*

De

## De Lue venerea.

*Ubi aut è gonorrhœæ mora, aut indebito adſtringentium uſu labes ſanguini imprimitur, exoritur lues, comparent in inguine bubones, in capite dolores & artubus, articulorum interſtitiis, noctu præcipue invadentes in lecto calidos, cruſtulæ & porrigines, in variis corporis partibus, quæ ad inſtar ſevi flaveſcunt. Quo magis ſcabies diffunditur, tanto minus æger diſcruciatur. In cranio, tibiis brachiisque exoſtoſes, oſſium inflammatio & caries, ulcera phagedænica in variis partibus, ſed fauces ut plurimum primo aggredientia, quæ ſenſim per palatum in naſi cartilaginem propagata mox eam abſumunt, ita ut fulcro deſtitutus naſus plane concidat. Ulceribus, carie & dolore in dies exacerbatis, pereunt per vices membra, lacerum donec cadaver, & jam ſuperis grave, humo condatur.*

℞. Axung. Porc. ℥ij. Mercur. crud. ℥j; M. f. Linimentum *in tres æquales partes dividendum, quorum unâ brachia, crura & tibias ad tres noctes continuas manibus ſuis æger perungat.*

*Si intra tres dies poſt ultimam inunctionem ſalivatio haud procedat, tum* gr. viij. Turbith. mineral. in Conſerv. Roſar. rubr. *exhibeantur; aut corporibus minus robuſtis* Mercur. dulc. ℈j. *aut ſi ſalivatio jam incœpta prius elangueſcat, quam ſymptomata penitus diſparuerint, extimulanda ſubinde eſt eadem doſi Mercur. dulcis.*

*Ptyaliſmus ita moderari debet ut* ℔iiij. *Nychthemeri ſpatio expuat, aut circiter.*

*Si juſto altius exurgat Ptyaliſmus cum inflammatione nimia, atque id genus ſymptomatis ingruentibus, aliquantulum reprimendus eſt medicamentis catharticis, donec debitum gradum attingat.*

*Quam primum ſymptomata ceſſaverint, ſtatim immutentur induſium & thori lintea ſint ea, quæ prius uſurpata fuerint.*

*Si diarrhœa ſupervenerit (quod pleramque accidit antequam ſalivatio bene aſſurgat) tunc ſiſtenda eſt uſu* Laudani Liquid. *ita doſin augendo atque repetendo ut debitum opus abſolvat.*

*Si os exulceretur* Aq. Roſ. Damaſc. *vel* lacte aq. permiſt. *vel ſeq. decocto idem colluatur.*

℞. Rad. Alth. Hord. mundat. a. ℥j. ſem. cydonior. ℥ß. coq. ſ. q. aq. ad ℔ij. M. f. gargariſma, *quo ſæpius utatur.*

*Diæta & reliquum ægri regimen, eadem ac in catharſi imperanda, niſi quod primis aliquot diebus liquore poſſetico, juſculis avenaceis, hordeac. ac cereviſia tenui tepefacta nutriatur.*

*His omnibus rite peractis, (etiamſi ſymptomata omnia evanuerint, ac ſubinde morbus penitus profligari videatur) quo minus recidivam poſtliminio patiatur, ægro ſemel in ſeptimana per 4. vel 6. vices,* Mercur. dulc. ℈j. *exhibendus, utcunque bene ſe habeat, & etiamſi jam domo egrediatur.*

## De Fluore albo.

*Quod effluit, modo album, modo pallidum, flavum, viride aut ſubnigrum, modo acre & erodens, tetrum quandoque & graveolens, decoloratur facies, dolet ſpina dorſi, proſternitur appetentia, oculi pedesque intumeſcunt. Color colluviei linteolo exceptæ & rurſum exſiccatæ humorem oſtendit.*

Mittatur ſanguis è brachio ad ℥viij.

℞. Pil. Coch. maj. ℈ij. Caſtor. gr. ij. Balſam. Peruvian. gut. iij. f. Pil. Num. iiij. *Cap. hora 4ta matutina ſuperdormiendo, repetanturque per alias duas vices interponendo diem unum vel alterum, pro ratione virium.*

℞. Aq. Rutæ ℥iiij. Aq. Bryon. comp. ℥ij. Sacchar. cryſtall. q. ſ. f. Julapium; *cap. cochlear. iij. vel iiij. in omni languore; dein aggrediantur uſum ſequentium.*

℞. Theriac. Andromach. ℥iß. conſerv. flaved. aurant. ℥j. Diaſcord. ℥ß. Zingib. condit. & nuc. moſch. condit. a. ʒiij. pulv.

pulv. è chel. cancr. compoſ. ℥iß. cort. exterior. granat. Rad. angelic. hiſpanic. Corall. rubr. præp. & Trochiſc. de terra Lemnia a. ℥j. Boli Armen. ℈ij. Gum. Arabic. ℥ß; cum ſ. q. Syr. de Roſ. ſiccis. f. Electuariũ *de quo ſumat ad magnitudinem NM. major. mane, hora 5ta pomeridiana, & nocte per menſem integrũ, ſuperbibend. ſequent. infuſionis cochlear. vj.*

℞. Enul. campan. Imperator. Angelic Calam. Aromatic. a. ℥ß. fol. Abſinth. Roman. marrub. alb. centaur. minor. Calaminth. vulgar. ſalviæ ſiccæ a. Mj. Baccar. juniperi ℥j. incidantur minutim, & infundantur in vini Canarini ℔iiij, ſtent ſimul in infuſione frigida, coletur tantummodo tempore uſus. *Veſcatur cibis eupeptis, & abſtineat ab uſu oleorum & fructuum qualiumcunque & ſingulis paſtibus bibat vinum hiſpanicum.*

## De Diabete.

*SUcci ſanguini illati per vias urinarias crudi & incocti exitum ſibi quærunt, unde ſenſim labefactantur vires, colliqueſcit corpus, & quaſi ſubſtantia ejus per hanc cloacam exinanitur, cum ſiti, ardore viſcerum, lumborum coxarumque intumeſcentia, & ſalivæ ſpumoſæ expuitione crebra.*

*Eadem præſcribenda ſunt, quæ in fluore albo omiſſis ſolummodo venæſectione & catharſi.*

## De dolore hæmorrhoidum.

*INtenſiſſimus inter excernendum dolor excruciat, & excrementi ſuperficies cruore conſpergitur: Nonnunquã tumores verrucis ſimiles in ſphinctere deliteſcunt, vel in margine ani apparent.*

Mittatur ſanguis è brachio dextro ad ℥x.

℞. Semen Melon. Pepon. a. ℥ß. ſem. papav. alb. ʒij. Amygd. dulc. excorticat. Nũ. v. contundantur in mortario marmoreo ſenſim affundendo Aq. hord. ℔iß. aq. roſar. ʒij. ſacchar. albiſſ. q. ſ. f. ſ. a. Emulſio; *cap. ℥iij. ſæpiuſcule.*

℞. Flor. ſulphur. pulv. Glycyrrhiz. ſalviæ a. ʒj. c. ſ. q. Balſam. Lucatel. f. Pil. è ſingul. drachm. vj. *cap. iij. in die ſuperbibendo emulſion. præſcript. cochlear. vj.*

 ℞. Aq.

℞. Aq. Sperm. Ranar. ℥iiij. in qua diſſolv. Lithargyr. ʒij. Opii ℈j; f. mixtura, *cujus tantillo Linteum madefactum parti affectæ applicetur, vel ſi tumor intus lateat, cochlear. ij. ejusdem mixturæ modo clyſteris injiciantur.*

*Pro Potu ordinario bibat aquam cum lacte coctam, vel aquã hordei, & à carnis eſu abſtineat, ſingulis noctibus ſumat diacodiũ.*

## De fluxu hæmorrhoidum immodico.

*INnoteſcit ex viribus proſtratis, copia & diuturnitate ſanguinis excreti, fœdo corporis colore, ad citrinum, (ut in ictero) vergente, ſuccedit cachexia, & deinde hydrops.*

*Eadem conferunt, quæ in fluxu menſium immodico, omiſſa ſolummodo catharſi.*

## De Epilepſia puerorum.

*VEl primo menſe aggreditur à frequentibus nimis alvi dejectionibus (quo in caſu diaſcordium ad quantitatem grani piperis in aqua ſaxifragiæ aut lacte materno ſolutum & exhibitum præſtantiſſimum eſt remedium.) vel circa dentitionis tempus, à ſeptimo ad decimum menſem tuſſi comitata eſt, aut (quod multo deterius) vomitu & diarrhœa, viridia (ut ſolent hyſtericæ) egerente infante. Quandoque improviſò occupat paroxyſmus, os oculosque diſtorquens, nigredine vultum perfundens, & artus varios convellens, quandoque præſentitur ex digitorum in pugnum contractione, & ex ſtabili & inſolita oculorum orbitarum immobilitate. Nunc ſeriùs, nùnc ocyus, ſe proripiunt paroxyſmi, certa ſubinde periodo, vago aliàs inſultu revertentes; ſed, appetente morte, à tergo ſe invicem premunt: ſi quando inducias dent, in ſoporem proclives ſunt infantes, donec à novo reſuſcitantur inſultu.*

*Applicetur Emplaſtrum Epiſpaſticum poſteriori cervici quamprimum.*

℞. Aq. Epilept. Lang. ℥iij. Landan. Liquid. gut. j. vel ij. vel plures pro ratione ætatis Syr. Pœon. ʒj. M. f. hauſtus, *ſumendus quamprimum.*

℞. Aq.

℞. Aq. Rutæ. ℥iij. aq. Epileptic. Lang. & aq. Bryon. comp. ℥ij. Syr. caryophyll. ℥ß; M. f. julap. *cap. cochlear. j. ſingulis horis, ſi hauſtus præſcript. paroxyſmum non fugaverit.*

## De Rachitide vera.

*IN Rachitide adſunt partium laxitas & mollities, debilitas & languor, ignavia & torpor, & inæqualis earundem nutritio, videlicet caput juſto majus, facies plenior & floridior partes carnoſæ infra caput emaciantur, nodis protuberant articuli, maxime carpi, paulo minus tali, tument & extremitates coſtarum oſſa incurvantur, præcipue tibiæ & fibulæ, hinc ulnæ & radii aliquando femoris & humeri, decurvantur etiam oſſa; Dentes tardè & moleſtè erumpunt, vacillant, nigreſcunt, & fruſtulatim excidunt, pectus à lateribus anguſtum, anterius acuminatum abdominis repletio, & hypochondriorum tenſio, tuſſis & pulmonum vitia laceſſunt, lateralis decubitus modo dextri, modo ſiniſtri averſatio.*

℞. Fol. Abſynth. vulgar. Centaur. minor. Marrub. alb. Chamædryos, Scordii, Calaminth. vulg. Parthen. ſaxifrag. pratenſ. hyperic. Virg. aureæ, ſerpill. menth. Salviæ, Rutæ, Card. Bened. puleg. abrotan. Chamæmel, Tanacet. liliorum convallium omnium recent. tollect. & inciſ. a. Mj. Axung. Porcin. ℔iiij. ſev. ovin. & vini claret. a. ℔ij. macerentur in olla fictili ſuper cineres calidos per horas xij, deinde ebulliant ad humiditatis conſumptionem, & poſtea colentur ut f. Linimentū. *quo venter & hypochondria illinantur mane & ſero, ut etiam artus hoc malo affecti, per 30. vel 40. dies, vel donec convaluerit.*

℞. Singulorum ingredient. præſcript. a. Mij. infundantur frigide cereviſiæ non lupulatæ cong. iiij. pro potu.

## In tumoribus infantium ventres occupantibus ab evacuationibus nimiis procedentibus.

*SAnguis & viſcera herbis corroborantibus confortentur, ut in Rachitide vera; niſi quod axillæ etiā utræq; inungatur, at nō artus.*

## De Febribus à dentitione ortis.

℞. Sp. C. C. gut. iij vel iiij. pro ratione ætatis in cochl. j. vel altero aq. Ceraſor. nigr. vel Julap. vel alterius appropriati, *exhibeantur quarta quaque hora ad vices quatuor, vel ſex.*

## De Febre hectica infantum.

*INſigni quodam calore languent cum appetitus dejectione, artus & truncus corporis emaciantur.*

Rhabarb. inciſ. ℨij. in lagenam vitream cereviſiæ tenuis ℔ij. capacem immittantur pro potu ordinario.

*Epoto hoc liquore, aliæ* ℔*ij. eidem Rhabarb. ſuperaffundantur ad tertiam vicem.*

*Si vero potus vi Cathartica ſaturatius impregnetur, tum* ℔*j. epota alteri cereviſiæ mox adjiciatur.*

## De Hæmorrhagia narium.

*Dolor & calor ſinciput lancinant.*

*Sanguis è brachio frequenter extrahatur; victûs ratio refrigerans & incraſſans injungantur; julap. refriger. & incraſſans, cum emulſionibus refrigerantibus præſcribantur.*

*Singulis diebus Enema refrigerans, atque omni nocte Paregoric. ex Syr. de Mecon. exhibeatur & ſemel vel bis potio purgativa præſcribatur.*

Lintea quadruplicata immerſa aq. frigidæ in qua Sal. Prunell. diſſolvatur & poſtea leviter expreſſa *admoveantur nuchæ & utrinque cervici ſæpiùs in die.*

*Poſt evacuationes liquor ſequens applicetur.*

℞. Vitriol. Hungaric. & alumin. a. ℥j. phlegmat. vitriol. ℔ß. coq. tamdiu, donec omnia fuerint diſſoluta, liquorem frigefactum filtra, & à cryſtallis ſubinde natis ſepara, liquore reſiduo adde ol. vitrioli duodecimam partem; *vel potius.*

℞. Aq. Plantag. ℥ij. bol. Armen. ſubtiliſſ. pulveriſat. ℥ß. probe miſceantur. *Turunda ex linteo raſo liquore hoc humectata nari, ex quo ſanguis ſtillat, indatur per dies duos iſtic relinquenda.*

Hoc

*Hoc minus ſuccedente* Vitriol. Roman. Aq. commun. diſſolvatur *qua turunda imbuta nari indatur, liquore etiam hoc linteamina imbuta, & applicata, ſanguinem ſiſtunt, ſi ex parte externa diffluat.*

## De Chloroſi.

*ADſunt vultus & totius corporis decoloratio, intumeſcentia in facie, palpebris & malleolis, gravitas totius corporis, crurum ac pedum tenſiva laſſitudo, reſpiratio difficilis, cordis palpitatio, capitis dolor, pulſus febrilis, ſomnolentia, pica & menſium ſuppreſſio.*

*Sumat* pil. Chalybeatas; vel pulv. Chalybeatum in affectione hyſteric. præſcript. plus minus pro ratione ætatis, *ſuperbibendo hauſtum vini cujuslibet ad libitum, vel* infuſion. corroborant. cum Rad. Angelic. ibidem deſcriptam. *Si ægra non valde debilis fuerit, purgetur ſemel vel bis ante præſcriptorum uſum.*

## De Suppreſſione menſium.

*CIbum faſtidiunt mulierculæ, fœdus faciei color eſt, gravitas totius corporis, dolores ſyncipitis, lumborum, crurum, & imi ventris; pedum tumores infeſtant.*

*Eadem præſcribenda ac in hyſterica affectione, at ſi iisdem remediis affectus non ceſſerit, tum ſeq. ſunt præſcribenda.*

*Singulis auroris, & 4ta pomeridiana ſumat* Julap. hyſteric. ſine Caſtor. cochlear. v. inſtilland. Sp. C. C. gut. xij. *ſingulis noctibus ſumat cubitum itura* Trochiſc. de Myrrha ℈j. cum Syr. de Artemiſ. in formam boli vel Pil. radact.

## De Vomitu ſanguinis.

*IN hæmoptoe dolor & calor pectus obſident, cum debilitate quadam. Mittatur ſanguis ex brachio dextro ad* ℥x. *ſequenti mane ſumat* potionem purgativ. commun. *& eadem nocte* Paregoric. ex ℥iij. aq. Ceraſ. nigr. & Syr. de Mecon. ℥j.

*Poſtea aggrediatur uſum ſequent.*

℞. Bol. Armen. ʒj. pulv. Rad. Symphyt. ℥ij. terr. Sigill. La-

pid. hæmatit. & ſang. Dracon. ā. ℈i. Sachar. albiſſ. ad pondus omnium M. f. pulvis ſubtiliſſimus. *cujus capiat ℈j. mane, 5ta pomerid. & nocte ſuperbibend. ſequent. Apozemat ℥iiij.*

℞. Fol. Plantagin. Rubi Sylveſtris, & millefolii a. Mj; coq. ſ. q. aq. ad ℔iß, in colatura diſſolve Syr. de ſymphyt. ℥ij; M. f. Apozema; *vel capiat cochlear. vj. ſequent. Tincturæ.*

℞. Flor. Roſar. Rubr. ℈vj. Cort. intern. querc. ℥ß. ſem. plantag. parum contuſ. ℈iij. Aq. font. ℔ij. ſp. vitriol. q. ſ. ad levem aciditatem, infundantur in vaſe clauſo calore levi, per 4. horas; colatur, add. aq. cinnamom. hordeat. ℥iij, ſacchar. albiſſim. q ſ. ut f. Tinctura guſtui grata.

*Si uſum pulveris abhorreat, utatur electuario, in fluxu menſium immodico præſcripto.*

*Enema quotidie injiciatur, & diacod. hora ſomni propinetur.*

*Phlebotomia inſuper ſemel, bis vel ter (ut opus fuerit) reiteretur, diebus aliquot interpoſitis; & ſemel iterum, ſi res poſtulet, repetatur potio purgativa.*

*Diæta incraſſans & refrigerans obſervanda.*

## De Punctura tendinis.

H*Umor aqueus, vel ichor quidam, ex orificio venæ inciſæ jugiter diſtillat.*

℞. Rad. lilior. albor. in lacte vaccin. ad teneritudin. coct. & contuſ. ℥iij. farin. ſem. Lini & avenac. a. ℥iij. coq. ad cataplaſmatis conſiſtentiam in eodem lacte, quo radices coctæ fuêre, *applicetur parti affectæ mane & ſero.*

## De Ambuſtis.

F*Oveatur pars affecta linteis ſpir. vin. imbutis, uſquedum evaneſcat dolor, ac deinceps de novo imbuatur linteum, quod ter vel quater in die parti affectæ applicetur.*

## De Mania communi.

A*Nimis exaltata & vivida ſanguinis craſi oritur. Eſt & altera maniæ ſpecies febres intermittentes diuturniores excipiens, in ſtultitiam tandem degenerans, producta quidem à debilitate*

*& va-*

*& vapiditate ſanguinis, à diutina fermentatione. Præſcribantur itaque cardiaca generoſiora videlicet.* Theriac. Andromach. Electuar. de Ovo. pulvis Comitiſſ. Gualt. Rawleigh. in aq. Epidem. theriacal. vel alia; *& diæta inſtituatur analeptica.*

*In junioribus mittatur ſanguis è brachio ad ℥viij. vel ix. bis vel ter. Diebus tribus inter ſingulas venæſectiones interpoſitis. Tum ſemel extrahatur ſanguis è venis jugularibus. Poſtea tota curatio innitatur ſequenti Cathartico; quod ſumat tertia vel 4ta quaque die, donec convaluerit, hoc interim obſervando, quod cum octies vel decies purgatus fuerit æger, exhibitio Cathartici ad ſeptimanam unam vel alteram omittatur.* ℞. Pharmac. domeſtic. (i. e. rad Bryon. alb.) pulv. ʒj. lactis vaccin. ℥iiij. vel,

℞. Ejusdem ℥ß. vel ʒvj. vin. alb. ℥iiij. infundantur per noctem, in colatura diſſolve Syr. violar. ℥j. M. f. Potio. vel,

℞. Gambugii gr. xiiij. aq. ceraſ. nigr. ℥iij. Syr. caryophyll. ℥ß. f. Potio.

## De Contuſionibus.

*Mittatur ſanguis è brachio lateris magis affecti ad ℥x; ſeq. mane exhibeatur potio communis purgativa, ac deinceps eodem modo venæſectio & purgatio alternatim repetantur, donec æger convaluerit. Interim toto decurſu, ſi internæ partes lædantur, ſequentia præſcribantur.*

℞. Decoct. Pectoral. ℔iß. Syr. violar. cap. Vener. a. ℥ij. f. Apozema; cap. ℔ß. ter in die, Item ol. amygd. dulc. recent. cochl. j. ſæpius propinetur. ℞. Ol. Amygd. dulc. unguent. dialthææ & Pomat. a. ʒj, M. f. Linimentum, *quo inungatur pars læſa mane & ſero ſuperimponendo fol. Braſſicæ.*

## De Furfure, ſive porrigine capitis.

*Potio purgans communis bis propinetur, dein*

℞. Ol. Amygd. amar. & Laurini ciner. fol. abrotan. a. ʒj. miſceantur probe & f. Linimentum, *quo inungatur totũ caput ſingulis matutinis, diligenter infricando, & poſtea ſuperimponendo veſicam ſuillam. At primum abſcindatur totũ capillitiũ, & poſtea defricentur ſquamulæ ſenſim, ſingulis auroris, prout decidere pronæ fuerint.*

De

## De Morſu canis rabidi.

P*Oſt 40. dies aut plures melancholica adſunt ſymptomata, febris, ſitis, hydrophobia, & tandem partium extremarũ convulſio.*

℞. Spir. vin. optim. rectificat. ℥iij, Theriac. Andromach. ℥j; f. mixtura, *qua illinatur pars læſa ter in die, ſuperimponendo linteum eadem mixtura imbutum.*

## De Ulcere Veſicæ.

P*Ũs graveolens aut ſanguis, nonnunquam ſquamulæ ſeu pelliculæ membranaceæ ac veluti furfuraceæ cruſtulæ (ſin in renibus hæreat ulcus, carunculæ minutulæ, aliquando craſſiores) unà cum urina excernuntur, perpetua dyſuria, & continuus earum partium dolor infeſtant; renibus autem affectis ulcere, dilucida dyſuriæ & doloris dantur intervalla, pus etiam excretum copioſius eſt, album, leve & minime fœtidum, lacti ſimilis profunditur urina: & longe poſt mixtionem pus ab eo ſeparatum in fundo reſidet.*

℞. Emplaſt. Flor. Unguent. dict. ℈iß. f. Pil. Num. ix. *cap. iij. horis medicinalibus, ſuperbibendo ſequentis aq. coch. vj.*

℞. Rad. Fœnicul. conſolid. Ariſtoloch. & caryophyl. a. ℥iij. fol. Agrimon. Hyperic. Bugul. ſanicul. Plantagin. a. Mvj. incidantur minutim, & deſtillentur in vini albi & lact. a. ℔iiij. & eliciantur, ſolummodo ℔iiij. pro uſu.

℞. Pulv. rad. Conſolid. major, & gum. Arabic. a. ℥j. ſacchar. Penid. ℥ij. f. Pulv. *cap. cochl. bis in die.*

## De Aſthmate inveterato in iis, qui ſanguineo temperamento præditi ſunt.

D*Ividuntur in tres ſpecies, dyſpnœam, quæ difficilis eſt reſpiratio, in qua crebrior denſiorque eſt ſpiritus tractio ex infarctu pulmonum ſine ſtertore oriunda: Aſthma, ubi frequens & magna reſpiratio, in qua diaphragma, muſculi intercoſtales, tum etiam abdominis, violenter moventur, cum ſtertore & ſibilo. In priore ſpecie ſubſtantia pulmonum, in poſteriore bronchia oppilantur: Et Orthopnœam, quæ eſt maxima ſpirandi difficultas, ſub qua ægrotantes non niſi ſedentes & erecta cervice reſpirare poſſunt. Muſculi etiam pectoris & ſcapularum vehementer exagitantur.*

*Mitta-*

*Mittatur ſanguis è brachio dextro ad ℥x. die ſequenti ſumat* potionem purgativ. commun. *quæ repetatur tertia quaque die per duas alias vices. Diebus à purgatione vacuis ſumat ſequentia:*

℞. Sem. aniſ. ſubtiliſſ. pulveriſat. ʒij. cum ſ.q. balſam. Locatell. f. Pil. ex ſingulis drachmis vj. *cap. iij. mane, & 5ta pomeridiana, ſuperbibendo decocti amari ſine purgantib. ℥iiij. calide. Si ſymptomata adhuc maneant, repetatur de novo integer proceſſus.*

## De Paralyſi.

S*Enſus & motus in partibus quæ afficiuntur, vel ſimul, vel alterutra tantùm facultas aut prorſus extinguitur aut vitiatur.*

*Sumat* Pil. coch. min. ℈ij. *alternis matutinis per vj. vices; deinde capiat ter in die per xxx. dies electuar.* Antiſcorbutic. ʒij. *ſuperbibendo* aq. Antiſcorbutic. cochlear. vj. *Vide in Scorbuto.*

℞. Unguent. Nervin. ℥iij. Spir. Lavendul. comp. & ſp. Cochlear. hortenſ. a. ℥iß, *quo inunguntur partes affectæ, ut ſpina dorſi, &c. manè & ſerò.*

*Pleraque præſcriptorum, ut ut curationi ſcorbuti, ſolum deſtinari videantur; attamen cum humores crudos ac fixos volatiliſare præ aliis apta nata ſunt, in Paralyſi etiam conveniunt.*

## De Tuſſi & Phthiſi.

T*Uſſis per ſe patet, Phthiſis autem invadit ab ætatis onno 18. ad 35. Extenuatur totum corpus. Febris moleſtat hectica, à cibo invaleſcens (quæ ex celeritate pulſus, rubedineq; genarũ dignoſcitur) materia per tuſſim excreta eſt purulenta, in ignem conjecta tetrum ſpirat odorem, & immiſſa in vas aqua repletum, fundum petit, ſudores nocturni ſuperveniunt, liveſcunt tandem genæ, facies pallet, exacuantur nares; temporum quoque collapſus, unguium incurvatio, capillorum defluxio, & alvi profluvium colliquativum, mortem ſtatim ſubſecuturam denuntiant.*

*Si Tuſſis recens fuerit, & nondum febrim, aut alia ſigna Peripneumoniam notham comitantia, accerſiverit, vel ſi à Pleuritide, aut Peripnevmonia, ob neglectam, ſufficientem Phlebotomiam, male curatis eadem nequaquam orta fuerit, his in caſibus ſatis erit, ut æger per dies aliquot ab uſu carnis & vini abſtineat, & his ſimilibus remediis ad libitum utatur.*

℞. Balſamum ſulphuris Aniſatum ad gut. x. cochl. j. ſacchar.

Cryſtall inſtillatum *bis vel ter in die devoretur; ut etiam Tabellar. ſequent. quas ſecũ æger continuo portet, unã frequent. aſſumat.*

℞. Sacchar. Card. ℔iſs. coq. ſ. q. aq. font. uſquedum adhæreſcat extremis digitor. tum adde pulv. Glycyrrhizæ. Enul. Campan. ſem. Aniſ. & Angelic. a. ℥ſs. pulv. Irid. Florent. Sulphur. a. ʒij. ol. chym. aniſ. ℈ij; f. ſ. a. Tabellæ domeſticæ vocandæ, *atque hoc interim Eclegmate utatur.*

℞. Ol. amygd. dulc. ℥ij. Syr. cap. Ven. Violac. a. ℥j. ſacchar. Cand. q. ſ. f. Lohoch. *de quo ſæpiùs lambat ex bacillo Glycyrrhizæ quando Tuſſis urget.*

*In defluxione etenim Eclegmata incraſſantia exhiberi poterunt Sin vero Tuſſis his remediis haud ceſſaret (præcipuè autem ſi febrim comitem habeat, vel ſi à Peripneumonia aut Pleuritide originem ducat) tum ineptum fuerit pectoralibus fidere; ſed venæſectione & Catharſi debellanda eſt, ut in methodo, quæ in curatione peripneumoniæ nothæ deſcribitur.*

*Verum enimvero cum, his omnibus non obſtantibus, Tuſſis non modo non curationi ceſſerit, ſed & diuturna pulmonum concuſſione eos adeo debilitaverit, ut phthiſis tandem ſubingreſſa fuerit, tum hac methodo procedendum.*

℞. Balſam. Peruvian. gut. x. inſtilletur cochl. j. Syr. Hederæ terreſtris, vel ſi id minus gratum fuerit ægro, cochlear. j. ſacchar. cryſtall. *cap. ter in die ſuperbibendo decoct. amari ſine purgantibus. ℥iiij. vel (ſi idem ventrem moverit) ℥iij. ſed omnibus aliis (quotquot adhuc inventa ſunt) equitatio ad ſatis longa & diutina itinera facile palmam præripit, hoc obſervando ut ſi æger juvenilem ætatem prætergreſſus fuerit, majus tempus huic exercitio impendere debeat, quam ſi puer aut juvenis eſſet; & ſane haud multo certius cortex Peruvianus febri intermittenti, quam in hac ætate equitatio Phthiſi medetur.*

## De Scorbuto.

A*Dſunt ſpontaneæ laſſitudines, corporis gravitas, dyſpnœa, præcipuè ex motu corporis, gingivarum putrefactio, oris graveolentia ſanguinis è naribus crebra eruptio ambulandi difficultas, crurum nunc intumeſcentia nunc extenuatio, in iiſdem perpetuo maculæ lividæ plumbeæ, flavæ, aut violaceæ, faciei color plerum-*

*que*

*que ex pallido fuſcus. Extrahatur ſanguis è brachio ad ℥viij. niſi ſigna hydropis adfuerint. Seq. mane exhibeatur Potio purgat. communis, quæ repetatur tertia quaque die per duas alias vices.*

*Diebus à purgatione vacuis, uti etiam poſtea, per menſem unum vel alterum ſumat ſequentia.*

℞. Conſerv. Cochlear. hortenſ. ℥ij. conſerv. Lujulæ ℥j. pulv. ari compoſ. ʒvj. c. ſ. q. Syr. aurantior. f. Electuar. *de quo cap. ad magnitud. nuc. moſch. major. manè, ſta pomeridiana & nocte, ſuperbibendo aq. Raphan. compoſ. cochlear. vj. vel ſequentis.*

R. Rad. Raphan. Ruſtican. raſpat. ℔ij. rad. ari ℔j. fol. cochl. hortenſ. Mxij. fol. menth. ſalv. Naſturt. aquat. & Beccabung. a. Mvj. ſem. cochlear. hortenſ. parum contuſ. ℔ß. nuc. moſchat. ℥ß. vin. alb. ℔xij deſtillentur organis communibus & elicientur ſolummodo ℔vj. pro uſu. *Vel Fol. recent. Cochlear. hortenſ. per ſe deſtillentur pro uſu dicto.*

*Porro ſequens Cereviſia ſit pro potu ordinario.*

℞. Rad. Raphan. Ruſtican. recentis inciſi ʒij. fol. cochlear. hortenſ. num. xij. paſſular. enucleat. num. vj. Aurant. cum toto inciſi dimidium, in Lagenam vitream ℔ij. cereviſiæ tenuis capacem ſubere mox probe obturandum immittantur.

*In hunc modum parentur eodem tempore ſex Lagenæ pro uſu, & poſt aliquot dies ſex aliæ, antequam priores exhauriantur, & ſic deinceps; vel,*

*Vice hujus cereviſiæ ſeq. mixturæ cochlear. ij. vel iij. immiſceri poterint ſingulis hauſtibus potûs communis.*

℞. Rad. Raphan. Ruſtican. & ſem. cochlear. hortenſ. a. ℥ß. fol. cochlear. hortenſ. Mij. pulpam unius aurant. contundantur ſimul in mortario marmoreo ſenſim affundendo vini albi ℔ß. coletur cum levi expreſſione, & reponatur pro uſu.

*Eadem remedia, Phlebotomia & Catharſi omiſſis, in Rheumatiſmo ſcorbutico, ſive Hyſterico, valde proſunt.*

# Index Morborum.

*A.*
De Abortu præcavendo p. 176
De Ambuſtis 190
De Angina 157
De Apoplexia 166
De Aſthmate 192
*C.*
De Canis rabidi morſu 192
De Chloroſi 189
De Cholera morbo 172
De Chorea S. Viti 164
De Colica bilioſa 171
De Colica hyſterica 174
De Colica Pictonum 173
De Contuſionibus 191
*D.*
De Diabete 185
De Diarrhœa 169
De Dyſenteria 169
*E.*
De Epilepſia Puerorum 186
*F.*
De Febre Conſtitutionis præſentis 150
De Febre Conſtitutionum variarum 148
De Febribus à dentitione ortis 188
De Febre depuratoria 146
De Febre eryſipelatoſa 155
De Febre Infantum 151
De Febre hectica Infantum 188
De Febre intermittente 148
De Febre peſtilentiali 147
De Febre ſcarlatina 151
De Fluore albo 184
De Furfure, ſive porrigine capitis 191
*G.*
De Gonorrhœa virulenta 180
*H.*
De Hæmoptoë 189
De Hæmorrhagia narium 188
De Hæmorrhoidum dolore 185
De Hæmorrhoidum fluxu immodico 186
De Hydrope 178
De Hypochondriaca affectione 143
De Hyſterica paſſione 143
*I.*
De Ictero 176
De Iliaca paſſione 173
*L.*
De Lochiorum fluxu immodico 176
De Lochiorum ſuppreſſione 177
De Lue Venerea 183
*M.*
De Mania communi 190
Medicamentorum quædam formulæ 141
De Menſium fluxu immodico 174
De Menſium ſuppreſſione 189
De Morbillis 158
*N.*
De Nephritico paroxyſmo 168
*O.*
De Ophthalmia 167
*P.*
De Paralyſi 193
De Peripneumonia notha 153
De Phthiſi 193
De Pleuritide 152
De Pruritu ferino 156
De Punctura tendinis 190
*R.*
De Rachitide vera 187
De Rheumatiſmo 154
*S.*
De Scorbuto 194
*T.*
De Teneſmo 169
De Tuſſi 193
*V.*
De Variolis 159
De Ulcere Veſicæ 192
De Vomitu ſanguinis 187
De Uteri procidentia 168

PILÆ

# PILÆ MARINÆ
## Anatome Botanologica,

AUCTORE

D. JO. MATTH. FABRO,
Sereniſſ. Duc. Würtemberg. Archiatro,
Civitatis Heilbronnenſis Med. Ordinar.
Academico Curioſo.

---

*NORIMBERGÆ,*
ANNO M. DC. XCII.

# PILÆ MARINÆ ANATOME BOTANOLOGICA

## Ejuſque adeo Origines, propagines, compagines, indagines & imagines, &c.

ADeo modica Pilæ Marinæ antiquitus exiſtimatio fuit, ut paucis pauca, plerisque nulla ejus memoria obvenerit. Nec curioſitas major modernis contigit. Præter Bronchoceles pulverem averruncum, ultra non requiritur in uſu Pharmaceutico. Imo adeo ſuperficiarie quoque inſpicitur, ut præter ocularem contemplationem ignota hactenus fuerit omnis ejus origo, fabrica, patria &c. *Pilæ marinæ vilipendium.*

Cum ante annos complures forte Pharmacopœo cuidam noſtrati inter officinalia cætera numeroſa pilarum copia adveheretur, mentem ſtimulabat curioſitas, in ejus compaginem inquirendi, adeoque, cum earum diverſas diſcerperemus, varia inter illa recondita cum delectatione tanta deteximus, ut ſubinde plures perſcrutandi cupiditas inceſſeret, imprimis ut, quis aut qualis eſſet hic fœtus, penetrare poſſemus tali ſcrutinio. *Scrutinii occaſio.*

Cumque Viris etiam gravioribus ſtudia hæc noſtra probari cerneremus, inſuper ad ulteriorem perveſtigationem amœniora ingenia invitare intenderemus, has noſtræ materiæ primitias publici juris facere, ſimul tamen quæ forte de ea inter autores alios occurrebant, majoris elucidationis cauſa, adjungere voluimus.

Principio quidem diverſis nominibus Pila Marina inſignitur. Aliis videlicet Palla Marina, Sphæra Marina, Sphæra *Synonyma.*

Tha-

Thalaſſia, vernaculo noſtro idiomate **Meerballe** nuncupatur. *Ol. Wormio* Pila ſtagnalis, quod tali loco inveniſſe ſe perhibeat, de qua tamen infra diſquirimus.

*Paronyma paradoxa. Adarce.* Diverſis quoque maritimis Pilæ Marinæ nomen tribuitur. Adarcen quidam cum Palla Marina male confundunt, redarguente utique *Matthiol. in Dioſc. l. 5. c. 94.* quæ tamen nil aliud quam accrementum gypſeum vel tophaceum eſt arundinis, huic vero generi è quo Pila formatur peculiariter familiare, quodque nil aliud quàm ſpongiten officinarum eſſe putamus, adeoque de eadem huic meletemati adjungemus ſequenti tempore.

*Spongia.* Sphæram ſ. Pallam marinam *J. Theod. Tabernæmontanus* inter ſpongias marinas perperam refert, & figuram plane inconvenientem, quam *Matthiol. in Dioſcor. ed. C. Bauh.* rectius Alcyonio tribuit. *Geſnero* Spongia Marina & Pulmo marinus idem eſt *Tom. 2. part. 15.* pelle dura viridi veſtiri, compreſſam aquâ manare, immerſam vero aquam attrahere, litoribus frequentem eſſe tradit, cujus figura cum pila noſtra, præterquam quod crenatam pingit, non male convenit.

Spongia quippe nil niſi muſci genus compactius, ſive uti acutiſſimo *Bacon. à Verulamio Sylv. exper. 702.* dicitur copioſius & tenax eſt. An Conferva *Plin. l. 27. c. 8.* quam, à ferruminando dictam fluminibus maxime alpinis familiarem, ſpongiam potius aquarum dulcium, quàm muſcum eſſe ait. Sæpius ſane muſcoſa ſpongiis ſimilima φυτεύματα in aquis præſertim ſtagnantibus obſervavimus, muſci quidem primordia retinentia, in denſam vero congeriem concreta, ſæpe etiam, muco extra aquam reſicato λιθοειδὲς quiddam referentia.

*Halcyonia Varia.* Pari impertinentia Pila noſtra cum Alcyoniis confunditur, occaſionem forte præbuit *Plinii locus lib. 10. c. 33.* ubi nidos Alcyonum pilæ figuram obtinere perhibet, texturam obtinentes mirabilem, nec conſtare unde confingantur. Piſcium ſpinas præ ſe ferre, cum floccis aliis ſic invicem conjunctas, ut nec aquis penetrentur, nec armis; quæ ſane omnia à

noſtris

BRITISH MUSEUM
NATURAL HISTORY





ad pag. 201. App.

BRITISH MUSEUM
NATURAL HISTORY.

noſtris non adeo procul abſunt præterquã quòd ſpinoſos pilarum villos pro piſcium ſpinis, floccisve habuerint. Hæc vero admixta in nidis volucrum edulibus Sinenſium Alcyonum legitimarum, maritimarum ſcilicet volucrum invenimus. Nidos videlicet hujusmodi in Aula *Ser. Eberhardi* glorioſæ ac beatæ memoriæ primum vidimus & guſtavimus, quos ante exquiſite ab *Athanaſio Kirchero* referente *P. Dan. Barthold S. J.* & *P. Phil. Marino* Epiſtola Italica deſcriptos legimus. Sunt videlicet aviculæ Halcedini ſimiles alias incognitæ, quæ verno tempore per æſtus marinos horrendũ ſpumantes inter Cochinchinæ & Haynæ Inſularum ſcopulos infinito numero transvolare, ſimulque alas ſpuma illa imbuere cernuntur. Hæ poſtmodum ex hac ſpuma, ut veriſimile eſt, nidos parant pellucidos, Collæ piſcium ſimillimos, quos inter avicularum unguiculos, plumulas, ſpinas piſcium tenellas invenimus. Ob ſaporis aromatici ſuavitatem à Magnatibus illius loci ſemper magni æſtimati menſisq́ue appoſiti fuere. Ad aulas noſtras delatæ in caponum & gallinarum juſculo leviter coquuntur quale Cinaræ ſ. Carduo eſculento aptari ſolet. At neque huic cum pila noſtra quidquam præter patriam familiare eſt, nec odor etiam maritimus. Sed errore ut ſolet errorem trudente, pro Halcyonis vel Halcedinis nido alias noto ab aliis habebatur, quos equidem *Matthiol. l. 1.* redarguit, attamen materiam eam eſſe putat, ſuper qua, marinis æſtibus congeſta, volucres illæ nidificent. Rurſus aliud rufum Alcyonium (Halcyonium rectius ἀπὸ τῆ ἅλος) adducunt Coralii inſtar coacervatis in globum veluti vermiculis lapidoſa materia. Denique *idem* ſubjungit vermi ſimile, conſiſtentia molli, colore purpureo Venetiis primo viſum. Analogum vel idem quoque fortuito nobis olim obtigit eodem littore ad Malamocci Venetorum portus ripam albo tamen colore. Compages erat mediocris pilei fere amplitudine, ad globoſam figuram pedalis diametri proxime accedens, mediocriter ponderoſa è folliculis meris, formicarum ova tam figura, quam

*Halcyonum Sinenſium nidi edules.*

*Halcyonium Vermiculoſũ Adriaticũ.*

quantitate primitus referentibus nunc vero non nihil rugoſis: folliculi erant inanes, foraminulis rotundis ſinguli pervii, quibus conſtabat vermiculum ſive quodcunque animalculum excluſum inde fuiſſe. His arena litoralis ingeſta aliquid ponderis adferebat, hac vero nunc temporis ſucceſſu dilapſa, pars ea quæ nobis ſupereſt, pugnis duobus æquiparanda, ne ſemunciam quidem pendet. Ab hoc licet aliquid decerpatur, veſtigium nullum ſupereſt, ſiquidem folliculi tenuiſſimi facillime invicem diſcedunt. Veneti rerum maritimarum collectores curioſi ova purpuræ appellabant, quod cum ſæpius *cit. Matth. loco* rurſus aliquo modo concordat, dicente hoc piſcatoribus litoris Tergeſtini quod Veneto proximum eſt, familiariter notum album & leviſſimum cochlearum marinarum quæ aculeis rigent (hæc autem ipſa purpura eſt) nidum nomine Garuſe appellari. Velleribus vero ſimile eſſe addit, quod in noſtro non obſervavimus, niſi forte indicata maſſa antehac lanugini involuta eam tunc amiſerit.

*Halcyonium rufum.* Cæterum Alcyonium illud rufum & lapidoſum *Henr. Fuiren, & Ferrand. Imperatus* Mileſium appellat, neque tamen aſſequimur quo titulo in Alcyonii, minus vero pilæ, ſocietatem trahatur, niſi quod maritimum credatur, cujus tamen miro caſu in pagi noſtræ viciniæ Sunthemii ruinis fruſtum pugni mediocris magnitudine à milite lapidi quadrato muſcoſo adhærens repertum, ac decuſſum ad nos delatum fuit, quod, cum adjecta ejus portione *Præluſtri noſtro DN. Præſidi* communicaremus ἄλογον ei plane videbatur, quod non niſi in mari profundo generari hactenus omnes crediderint, & potius caſu cum arenato muſco applicitum fuiſſe putabat; verum qui adſtiterunt militi ſimul aſſeverabant haud aliter ſaxo, ac fungus arbori ſolet, adhæſiſſe. Præterquam quòd neq; in hoc neque aliis exemplis quidquam maritimi ſive odoris, ſive ſaporis, ut alia ſolent, deprehendere potuerimus, *Iconem ejus adjicimus*, ut appareat nil aliud eſſe quam Tubulariam Coralloidem quo nomine eam quoque olim accepimus. Mentionem

*Tubularia Coralloides.*

tionem ejus facit *deſideratiſſ. noſter Velſch. Hecatoſt. 1. Obſ. 30.* figuram vero ejus, negligentia chalcographi abſurdam reddidit. *Beslerus* in rarioribus è mari rubro numerat. Planta vero quam addit altera cinerei coloris Coralii genus eſt ſine dubio, infinitis poris quaſi ſtellatis conſitum quale inter noſtra etiam ramoſum tenemus. *Famigeratiſſimus Olaus Wormius*, (rariſſimæ eruditionis & tam in Naturæ, quam hiſtoriæ antiquitatis, ſeptentrionalis imprimis, rarioribus & rariſſimis Vir mirifice inſtructus) Pilas quasdam marinas inveniri ait: *Muſei l. 1. c. 5. p. 49.* poroſas, criſpas, quæ ſemina &c. ſaccharo incruſtata referant, ſphærica quædam, alia oblonga, poroſa eleganti criſpatura oculos paſcentia. Saccharinum Alcyonium, *Halcyonium Saccharinũ.* addit, diceret aliquis, & *Doldii* Galactitem criſpum eſſe conjicit. Fallimur aut in bivia devia ducitur Vir egregius, quod in dijudicatione raritatum Naturalium, ob infinitam planè ſupellectilem peritiſſimo cuicunque facillime continget, incruſtata enim illa criſpatura utique ſe commendantia nil niſi Tiburtina hisve ſimilia alibi reperta ludentis Archei pigmenta eſſe putamus, quæ vulgus loci Confetto de Tivoli ap- *Confetto de Tivoli.* pellare conſuevit, in via ſcilicet qua juxta Tiberonem ſive Anienem Romam itur, paſſim legenda, quæ confectionibus ſaccharinis Amygdalorum, cinnamoni, aniſi, coriandri tam glabris quam criſpatis adeo accurate aſſimilantur, ut mixta ne diſcerni quidem citra guſtus judicium valeant. Intus vero lapillos continere nuſpiam invenimus ſed ſolida calcaria vel gypſea conſiſtentia prædita eſſe deprehendimus.

Lapides, & teſtæ marinæ quare fere rotundæ reddantur, rationē Ariſtoteles adfert *Probl. ſect. 23. quæſt. 36.* *Διὰ τί τὰ ἐν τῇ θαλάττῃ ὄστρακα καὶ λίθοι στρογγύλα γίνονται; ἢ ὅτι ὁμοίως περιθραυόμενα τὰ ἔσχατα εἰς τὸ στρογγύλον σχῆμα ἔρχεται; τούτου γάρ τὸ ἔσχατον ὅμοιον. ἡ δὲ θάλαττα, πάντῃ κινοῦσα ὁμοίως περιθραύει.* Quod ſcil. extrema compari ademtu circumfracta in rotunditatem ſe colligant: Mare nimirum quocunque agitando, pariter circum infringere & obtundere. Ratio Philoſopho

digna eſt. Sed ad mare non tantum, nec teſtaceis ex ead. ratione tribuendum. Silices quoque modo ad rotunditatem vergere quis ignorat, & ſi gibboſitate laborent incumbentiæ alterius quæ incrementum æquale præpedit, adſcribendum eſt. Nil attinet adducere ſilices, advertantur ſabula groſſa, denique arenæ etiam tenues. Minimum petrificationis punctum eſt, terreſtre, argillaceum, lutoſum, hoc circa limus aquæ fluviali proprius ſenſim æqualiter agglutinatus undiquaque. Propterea niſi præmemorata incumbentia obſtaret, citra dubium nil niſi globos lapides cerneremus. Hæc vero atomorum accremeta ad pilarum noſtrarum formationem nihil faciunt, ubi particularum myriades æqualis proportionis ſolidæ ſubſtantiæ non per continuitatem apponuntur, ſed per contiguitatem arctiſſimam tanta firmitate cuſpidibus ſuis implicantur ut vel gladii aciem eludant. Adeoque præmemorata omnia mira antiquitatis confuſione (quæ in materia medica præſertim illi plus nimis familiaris eſt) ſphæræ thalaſſiæ adſcita fuiſſe quivis facile intelligit. Nunc vero ſi ad legitimas Pilas æquoreas tranſeamus eas quoque ipſas duûm generum eſſe deprehendemus.

*Sphæra thalaſſia piloſa.* Dari enim præter herbaceas noſtras, piloſas quoq; Sphæras thalaſſias, *Author exceptione major f migeratiſſimus Bononienſium Protiatrus Marcellus Malpighius* nobis omnino perſuadet *Epiſtola ſuper hac materia data 8. April. Anno 1688.* verbis ſequentibus: *Elapſis annis ſtudioſiſſimus Amicus in Romano littore non longe à Centumcellis hujusmodi pilas collectas, & fragmenta arundinum à te deſcriptarum algæque Venetæ plantam dono mihi dedit. In horum itaque luſtratione omnia fere his conſona reperio, quæ ab eximia tua ſagacitate deprehenſa ſunt, circa tamen compagem exaratæ pilæ adhuc incertus ſum, varia enim compaginantur ſubſtantia, licet circa eandem maris oram eructentur. Nonnullæ namq; pilæ marinæ ſola pilorum fuſci coloris confuſa congerie conglobantur, ita ut probabiliter maris jactatione in filtrum implicentur. Pili vero inæqualis magnitudinis ſunt: Ut pluri-*

*plurimum digiti craſſitiem æquant, rotundi ſunt & depreſſi, ſenſim in apice gracileſcentes in acum deſinunt, exortu vero, cæterorum pilorum more, ab animalium corio emergentium, capitulo quaſi ovali pollent, diluti coloris. Implicantur, & arcte in externa ſuperficie ſibi invicem cohærent, ut in ſolidum denſumq́ deſinant corpus, reliqua vero interior moles laxe locatis pilis ita compaginatur, ut ſinguli pili integri absque vi ſeparari poſſint.* Ita quidem laudatus *Malpighius.* Præterea Phocæ & Phocænæ hæc peculiariter tribui ab autoribus eximiis legimus. Dubio tamen judicio an ex earum pilis an nutrimentis formentur. *Pila an ex Phocæ Ventriculo.* *Famigeratiſſimus Altdorf. Prof. Medicus Sen. Mauritius Hoffmannus in Epiſtola hac de re ad nos data,* Pilam Marinam Neapoli allatam, relatione amicorum, Equi marini ſeu Hippopotami excrementum fuiſſe perhibet, adeoque in vilipendium prolapſum eſſe conjicit, quo minus à Naturæ ſcrutatoribus curioſis in examen penitius traheretur. *An equi marini excrementum.* Colligunt forſan, quia equi terreſtris excrementa globoſa ſunt & è palea, fœno &c. digeſtis formantur. Hoc vero animal Niloticum omnino eſt, & Ægypto proprium, unde in Hieroglyphicis perinde ut Crocodilus Nilo fere adjungi, atque in Numiſmatibus antiquis pro ipſa Ægypto Symbolice excudi conſuevit. Quod ſi ergo tanquam rari quiddam Neapoli Venetiis allatum fuit hujuſmodi Haloſphærium pila noſtra eſſe non potuit, quales nimirum in ipſis Venetorum litoribus (al Lito è Malamocco) aliquoties invenimus. Ut abſurdum adeo non videatur dari pilas marinas tam piloſas quam fruticoſas, & illas quidem ſive ex equo ſive ex vitulo marino, utroque maris mediterranei incola amphibio pellito ordinario. His enim & deſcriptio coloris & conſiſtentiæ pilorum in *ſ.a. Illuſtr. Malpighii epiſtola* omnino convenit. Notiſſimumq́ue eſt linctu pilorum deciduorum in ventriculis animantium maſſas glomosq́ue coagmentari frequentes, quin & in hœdorum lactentium ſtomachis eadem ratione concreſcere. Opinionem de pilis vituli marini philoſophemate fulcit. *Ath. Kircherus Tr. de Ma-*

*Phocæ pili mari ſi emĕte ſurriguntur.*

*gnete l. 3. p. 3. c. 2.* cum Phocæ pili in pellibus etiam detractis opinione priſca, (recenti tamen obſervatione id quoque ab Hiſpaniolæ, Inſulæ Ind. Occidentalis, perveſtigatoribus confirmatum tradit *editor & translator oper. Conr. Geſneri familiaris Conrad. Forerus Medicus Vinterthurienſis P. 2. tit. Phocæ*) perhibeantur ſe mari inquieto erigere, Pilæ vero ſponte litoribus oberrare dicantur has ex illis conglobatas ipſa ſurrectione motum ſibi conciliare. Annis pluribus elapſis Civis noſtrâs Vir honeſtus inter quam plura cætera abſurda multis annis per urinam præcipue cum doloribus atrocibus & ſanguine liquido redditis, globulum è pilis felinis compactum vomitu rejecit. Talesque compilationes globoſas, pilorum veneficorum complures novimus egeſtas. Problema noſtrum, nunquid etiam in piſcium grandiorum ventriculis tale quid coagmentari poſſe veroſimile videatur, fermento vel ruminatione intervenienti, *laudatiſſimo Malpighio* nuper transſcripſimus, ad quod *ille, fibrarum mollitiem*, reſpondebat, *non ita facile ſucci ſtomachici aciditatem ſuperare poſſe, ut pilis accidit.* Equidem in piſcium ventriculis reperta memorabilia vidiſſe non recordamur; attamen defectum hunc negligentiæ potius cauſa evenire putamus, quod interanea pleraque & ventriculi inprimis absque conſideratione abjici ſoleant. Perinde vero in illis, grandioribus inprimis, quos maria vel flumina generant ampliora, compingi poſſe, non videmus quid obſtet. Præſertim cum quædam eorum genera vegetabilibus nutriri ſoleant. Terreſtrium animantium ventriculi uti calore fervido, ſic & fermento acerrimo piſces multis modis ſuperant; attamen globum ἐγγάστρον equinum uncias ſeptendecim pendentem habemus è palea fœnoque maſticato, nequaquam vero conſumto conſtantem, ideoque adeo poroſum & laxum, ut aquæ injectus mergatur minime. Jucunda eſt hiſtoria, quam *curioſiſſimus Kircherus* recitat *Sinæ illuſtratæ p. III. c.* V. de Magni Mogoris Indiæ Orientalis elephante primario & chariſſimo. Is enim cum graviter langueret, & ſubinde proboſcidem

*Pilæ an in piſcium ventriculis generentur.*

*Canna ſaccharina in elephantis ventriculo germinans.*

ori

ori immergeret, Medico Europæo cogitandi occaſionem præbuit, eſſe, quod ventriculum affligeret, immerſo itaque brachio in obſequentis belluæ rictum vegetantis in ipſo ventriculo cannæ ſaccharinæ radicis manipulos extraxit, adeoque fera ſanitati reſtituta ingentem Monarchæ lætitiam, magno ſuo fœnore, ac populi admirationem excitavit. Recordamur in puella Wimpinenſi ante triginta pluresve annos piſa intra ventriculum digiti longitudine germinantia ſuffocationis periculum inſigni cum anguſtia excitaſſe, quæ tandem vomitu è nido evulſa fuere, non in longum quidem extenſæ, ſed arcte invicem intricatæ. *Piſa in ventriculo germinantia.*

Cæterum ut ad materiam noſtram revertamur, Pila marina compages eſt villorum retuſorum innumerabilium, globoſæ ut plurimum figuræ ad aquarum ripas reperienda. *Modò allegatus Velſchius in epiſtola familiari* flores arundineos papposos materiam pilæ componere autumat, quos per mare dilapſos & ventorum impetu ad loca littorea depulſos aquarum circumgyratio in pilas conformet. Eadem etiam cum pluribus adducit, quæ inter nos anno 1660. de hac materia tractabant. Nos autem materiam eorum judicamus villoſam, hiſpidam. Evulſi ſeparatim villi ſetas porcinas omnimode referunt duritie, flexibilitate, teneritate, figura, præterquam quod aſperitate quadam pollent. Nemo non videt plantæ cujusdam eſſe ſtamina, ſuffragante odoratu quoque, qui tam ſalſugine pelagus, quam uſtione herbam vel arundinem potius manifeſte comprobat. *Plinius* in Italiæ paludibus arundinem quandam naſci ait, cortice dentibus utili, *l. xvi. c. xxxvi.* quem uſum pilæ quoque noſtræ eſſe infra docebimus. Potiſſimum vero ipſa pilæ anatome, cannæ ſeu arundinis prolem eſſe oculis exponit omnium. Et quidem non papporum ſeu floccorum, quorum nec ullum unquam veſtigium deprehendere licuit, nec foliorum, quæ tenera ſunt, & per aquæ ſuperficiem natantia, unde Alga obliqua *Plinio* conſcribitur ſub Adarces titulo, cujus capita è radice tuberantia, villoſa & compagi pilari non idonea eſſe *Pila materia.*

eſſe *C. Bauhinus* addidit ad *Matthiol. L.V.* atque typo expreſſit. Nec errabis admodum, ſi credere velis, villos ſetacaos etiam proxime radicem, ad modum Daucorum, vel imprimis etiam Algæ Venetæ, quam *C. Bauhinus* edit. Matthiol. l. iv. c. xcv. graphice ſatis expreſſit, cæterarumq; hujus generis pullulantes pro pilæ materia ſimul recipere. Oſtendemus autẽ in ipſa Anatome, ejusmodi ſetas caulis maxime, atque etiam infimorum foliorum duritie pollentium portiones diſſipatas eſſe, qualiter cannabina ſtupa fragmentis vulgo contritas reddere ſolet.

*Figura rotunda.* Figuram ſphæricam, conicam, vel his proxime accedentem uti volutando conſequantur, utique non ſatis ex Authoribus capere poſſumus. Familiariſſimum quidem eſt, fluvios vel amnes arundinoſos, ubi ſinus nacti fuere horum fragmenta congerere affatim, unde tam antiqui, quam moderni undarum fluctuationi, rotationi, reverberationi, volutationi hunc effectum tribuerunt. Nuspiam tamen cohærere adeo natantia, nedum arctiſſime adeo contexi & intricari, minime vero in pilam exquiſitam cernuntur, nec per veſtigium vel rudimentum ſaltem. Mirum etiam eſt alterius plantæ portiones folioſas, vel arundinoſas, vel herboſas vix unquam his permiſceri, ſed unius duntaxat & ejusdem plantæ villos atque nervos eodem plane modo refractos, comminutos, & contuſos. *Non à fluctibus aquarum.* Adeoque aſſertionis difficultatem ingerit. 1. Ipſius pilæ materia: ſemper, ut diximus, hæc una eſt atque eadem, & raris admodum heterogeneis permiſcetur, cum in ſinubus tam maritimis, quam fluvialibus infinita ramentorum genera confluant. 2. Figura ſemper aut perfecte rotunda, aut ad talem proxime accedens, quam ſi rotatio, vel potius jactatio aquarum cauſaretur, infinitas hujusmodi ſphæras paſſim reperiremus. 3. Conſiſtentia arctiſſima, & per vim intricata, adeoque enim exquiſite fibrarum ſegmenta compinguntur, ut non ſine difficultate dirimi queant, quod ſparſus aqua-

rum,

rum lentusque impulſus minime efficere valet. 4. Modus fiendi, quem equidem non accurate adeo novimus, manifeſtum tamen eſt, plantam, è qua confieri ſolet, principio detruncari, deinceps filamenta ipſa quaſi maſticata comminui, ipſas etiam plantæ baſes direptis fibris tanquam retundi, cæteris denique ſui ſimilibus acubus fibroſis obduci & circumvolvi, quæ omnia uti ab inordinato aquarum motu procedere poſſint, non ſatis videmus vel aſſequimur. *Formationis modus.*

Exiſtimamus ergo 1. Peculare animantis genus eſſe, quod peculiariter è Arundinis ſive Algæ frutice delectetur, eoque ſi non unice, ſaltem ut plurimum veſcatur. Forſan enim pilarum collectores, quas heterogeneis nimium ſcatere vident, abjiciunt, neque ad nos deferunt. 2. Maſticatam plantam à fermento ventriculi ſic confici, ut præter nerveas fibras minus alterabiles nihil remaneat. 3. Has quoque ipſa maſticatione comminutas, eodem quaſi coloſtro vel glutine ſubactas arctius, ut caſtorum pili in formandis pileis intricantur, & tenacius invicem cohærere. 4. A minima portione pugillari initium ſumere, ſenſimque accrementa conquirere. 5. Coarctatione ventriculi exinaniti cogi & compilari invicem. 6. Novis ingeſtis adeo non diſſolvi vel dirimi, ut potius ea, perinde ac laneis veſtimentis feſtucæ & quiſquiliæ adhæreant, ſuæque maſſæ priori intruſa pertinaciter fixa maneant. *Noſtra ſententia.*

Ulteriora perveſtigationis adminicula ſubinde non tantum à Maris Mediterranei accolis Italis, ſed & Aſiaticis, Syris, (ſi modo Martis furibundi fluctus *Generoſi Dn. à Bruele* Alepo nobis correſpondere ſoliti conſortium non eripiat) juxta cætera curioſa, quorum quædam jam obtinuimus, expectamus, atque etiam Septentrionis novitatibus augere inſtituimus. Interea vero quæ nobis obtigere ſpeciminis loco, qua fieri potuit:

potuit fide ac induſtria depinximus atque deſcripſimus, & ut clarius omnia appareant, anatomen pilæ noſtræ diſcerptis plusquam C. exemplis adornavimus; plurimæ quippe, imo pleræque nil niſi ejusmodi fibras decurtatas continent, adeoque mirabatur *B. noſter Velſchius* ad indagationem ulteriorem à nobis incitatus, ſe perquiſitis plurimis nil plane memorabile obſervare.

Textura earum haud eſt ália, quam lanæ pilearii pedibus manibusque arctiſſimæ intricatæ, vel qualis pilorum in caprarum ſylveſtrium & domeſticarum, vitulorum, boum, equorum &c. coagmentata in globi figuram rhopaloſis. Hoc tamen notavimus, interſtitia dari, per quæ maſſa ſphæræ diduci atque chartæ inſtar prius convolutæ explanari poſſit. Conicam quandoque figuram ἀνομάλως acquirit, modo ovalem, aut ſtrumoſam. Id vero plerumque fit contentorum cauſa, uti oblongam quandam congeriem invenimus, truncum ſeu baſin arundinis cum foliorum partibus ſemi palmum fere æquantem.

Atque ex his ipſis contentis, quæ potiſſimum ipſius plantæ partes ſunt, nec in pilorum tantum meditullio, quemadmodum in Ægagropilis, ſed paſſim reperiuntur, ad intentionis noſtræ ſcopum maxime pervenimus. Quo vero curioſis aliis facilior eſſet dignoſcendi opera, in tabellas redegimus, & inſpectioni expoſuimus hoc ordine:


*Pilæ Anatome & partes: 1. Homogenea.*

*I. Tab.* oſtendit 1. Radicum fibras minores. 2. paulo craſſiores, funiculorum inſtar contortas. 3. radicularum tricas cum parte radicis geniculatæ, & foliorum nervis reciduis. 4. radicis veteranæ exuvias medulla conſumtâ.

*II. Tab.*



Tab. I.



Tab. II. p. 211.


BRITISH MUSEUM
NATURAL HISTORY.

BRITISH MUSEUM
NATURAL HISTORY

Tab. V. pag. 211.




Tab. VI. pag. 211.





Dec. II.

BRITISH MUSEUM NATURAL HISTORY

Tab. III. pag. 211.




Tab. IV. pag. 211.



*II. Tab.* cernitur 5. radix geniculata cyperi, vel quam maxime Auriculæ montanæ inſtar, quam rhizotomi mendaces ignorantibus pro Doronico legitimo obtrudere ſolent. 6. ejus cum propaginibus radicum teretium connexio. 7. eadem cum foliorum fibris reſiduis. 8. foliorum & fibrarum ortus è radicibus geniculatis & teretibus varius.

*III. Tab.* 9. fibræ radicum geniculatarum exeſa medulla cum foliorum capillamentis. 10. capillamenta eadem è foliis nata. 11. glomus foliorum & capillamentorum è radice geniculata. 12. radicis gemmæ, ex iisque nata folia.

*IV. Tab.* 13. Foliorum ſeries denſa ordinibus ſuis è geniculis orta. 14. foliorum compages papyracea tum integra, tum in fibras diducta, horumque albicantia quædam, quædam ex planta congenere nigricantia.

*V. Tab.* 15. Plantæ pars largior è radice geniculata, foliorum tum externorum in fibras ſolutorum, tum internorum integrorum faciem aphronitro vel ſale marino fatuo, vel potius ſpumæ reſiccatæ portiunculis gypſeis obductorum oſtendens. 16. nervorum congeries radicis medullæ fibroſæ reſiduæ innixa, retuſis nervorum ſummitatibus. Hæc particula, ut & præcedens globulis quaſi nitroſis vel cretaceis paſſim conſpergitur. 17. totius plantæ congeries jam in pilæ figuram deſuper formari incipiens.

*VI. Tab.* 18. Cannæ ipſius pars contrita, nervoſa, foris glabra, lutea.

*VII. Tab.* 19. Planta congener, radicibus tamen flaccidis, foliiſque nigricantibus.

2. *Heterogenea.* *VIII. Tab.* & ſequentibus contenta pilæ varia ob oculos ponuntur. 20. muſci capillaris ſpecies maritima tenerrima. 21. muſci capillaris ſpecies altera vel potius capillamentum ex ipſa canna. 22. ſtamen tenellum ſpinæ piſciculi facie, quam in plantæ medio diverſis vicibus invenimus. 23. foliolum Adianthi Syriaci *Tabern.* quod littoreum eſt, Lactucæ marinæ *Ejusd.* ſimile, petiolo lanuginoſo. 24. Turbo ſpermatophorus Trifolii marini ſeu Medici echinatus. 25. Nuclei incerti cortex. 26. ſpongiola tenerrima, quæ conchulæ turbinatæ accreverat. 27. conchularum marinarum ſpecies diverſæ. 28. vermium cruſtaceorum tubuli.


*IX. Tab.* 29. Planta coralloeides tenella, muſcoſa. 30. alia ejusdem fere generis. 31. phytevma rufum, reticulatum, ligneæ duritiei, aſperum, ramulis mirabiliter invicem contextis, retis inſtar marini, non planum tamen, quale hoc conſumta folii medulla & reſiduis coſtarum tantum propaginibus remanet, ſed pollicis fere ambitu denſum, qualiter muſcus corallinus petræus in ericetis naſci ſolet. 32. aliud ejusmodi puniceum. 33. ſpongiæ marinæ tenerioris particulæ.

*X. Tab.* 34. Spongiæ marinæ portio ſatis ampla ex ovali glomo extracta. 35. pila marina in latum diducta & expanſa.

*XI. Tab.* 36. Pilæ marinæ integra facies.


Atque hæc ſunt, quæ caſu oblatis nobis exemplaribus eruere non ſine animi delectatione & compaginis admiratione obtigit. Plura vera curioſa inveniet ſcrutator quicunque ſedulus, quem ad negotium hoc jucundum invitamus, ac ut repertis ulteriora largiri dignetur, per ipſa curioſorum ſacra obteſtamur.

Deni-




Annus X. Append.

BRITISH MUSEUM
NATURAL HISTORY




Dec. II.

BRITISH MUSEUM
NATURAL HISTORY

Tab. XI.

pag. 202.





Fig. 36.
ad pag. 212.



Annus X. Append:

BRITISH MUSEUM
NATURAL HISTORY

Denique ne inutili plane materia tempus triviſſe videamur, quædam Medico commodo idonea adducimus.

In univerſum autem pilæ thalaſſiæ omnia ea accomodamus, quæ maritimis, ſalſuginis cauſa conveniunt, adeoque & ea, quæ de Alcyonio, quod Cæycum *Plinius L. XXXII. c. VIII.* appellat, lepras, lichenes, lentigines tollere, purgare, oculorum etiam cicatrices curare. Addit *Dioſcorides*, mulieres contra omnis generis vitia cutanea, ſmegmata ex his parare, alopecias emendare, dentes purificare, ad pſilothra quoque expeti. Adarches arundinem in Italiæ paludibus natam, dentibus utilem *idem* perhibet, *l. XVI. c. XXXVI.* Ruzma, ſive Ruſma Turcarum, ſaponis genus pilos omnes ſolo affrictu eradicans ex Algæ marinæ cineribus fieri ab Armeno negotiatore accepimus. In *Actis* quidem *Societatis Regiæ Anglicanæ An. 1666.* terræ cujuſdam genus eſſe Ruzma Turcarum traditur; nos vero in noſtra originali maſſa tale nihil deprehendimus, quæ leviſſima & læviſſima, totaque eſt ſolubilis, pinguiuſculi nidoris. *Galenus de Comp. Med. l. 1. c. 2.* unguento ad pilos conſervandos deſtinato σφαῖραν θαλάσσιαν (quam improprie translator *Janus Cornarius* ſpongiam marinam reddidit) primo ordine admiſcuit. Leviori ſcilicet quantitate collutionem capitis moliebatur, ut ſordes capillorum radicem ſuffocantes tantum detergeret.

*Pilæ marinæ uſus Medicus.*

*Ruzma Turcarum.*

Idem autem *Galenus*, *curatum* ſcio, inquit, *ea planta omnibus fere oſſibus fractis prolapſum ex arbore putatorem, circumdata ea toto corpore, & aqua ſua aſperſa, quoties marceſceret: nec niſi deficientem herbam mutabat. Coaluit vero vix credibili celeritate. Nicolaus Myrepſicus* unguento contra vermes pilam permiſcuit; eam vero in mari rotundam, ut lana congeſtam inveniri ait apud *Matthiolum in Dioſcor. l. V. c. CXV.*

*CXV*. eadem ſcilicet ſalſuginis æquoreæ ratione Corallina quoque in ἀντισκωληκῶν numero recenſetur. Vires incidentes, diſcutientes, & ſiccantes huic & maritimis ſimilibus adſcribit *B. Velſchius Hecatoſt. I. Obſ. XVIII. Mirari vero Helmontium queas*, ſubjungit, *qui tract. de tartaro non in potu, ſimilia medicamenta non diſſolventia, ſed terreſtria adſtrictiva appellat. Imprimis ſpongiam in carbonem uſtam, cui omnino ſimillima eſt hæc* (pilæ) *papporum arundinaceorum rhopaloſis*. Seplaſiariis noſtris non niſi ad coercendas juguli ſcrophulas expeti ſcitum eſt. Dies tamen diem citra dubium per plura docebit experimenta.

Illu-

Illuſtriſſimæ Naturæ Curioſorum
Academiæ

# D. GABRIELIS CLAUDERI,


Electoris atque Ducum Saxoniæ
Archiatri,

memoriam

L. M. Q. conſecrat

FRIDERICUS WILHEL. CLAUDER,
Med. D. Pract. Altenburg.

*Theſeus III. Nat. Curioſ.*


Theſeus I.
Gabriel Clauder Altenburg
Miſnicus, Med: Doct: Hæred: in Schech-
wiz, Archiater Elect: Saxon: et Ducalis Sa-
xo-Gothan9, S.R.I. Acad: Nat: Cur: Adjunct9.
Clauſum heic exiguâ Clauderum cerne tabellâ
Claudere nam famam ſecula nulla queant,
Pulcra Palæpolis cineres in marmore claudit
Non poterat tumulo nobiliore tegi.
m.e. G. Thomaſius f.
Nat: Altenb: 1633. 18 Octob: et 1691. 9. Jan: Denat:

TRiſtis officii debitum expedio, ut grati animi monumentum Tibi, *Patrue atque Socer* deſideratiſſime, collocem. Immortali memoria à te in me profecta beneficia niſi colam, cum humanitate nihil habeam commercii. A ſupremo enim NUMINE ſi abeam, nemo te laudabilius de vitæ meæ curriculo eſt meritus. Optimi Patris (quem fratrem habuiſti) providentiam mors repentina mihi in primæ pueritiæ annis abripuit. Tanti columinis jactura miſerrimum me reddidiſſet, niſi DEI indulgentia te mihi reliquiſſet ſuperſtitem. Memori ſiquidem animo reputans, quo iſte meus Pater quondam te complexus amore fuerat, omnem adhibuiſti diligentiam, ut ſoboli miſeræ ſiſteres, quod ipſi exhiberi non potuit, mutui favoris teſtimonium. Quis eum idoneis commemorabit laudibus? Quæ lingua illius magnitudini ſufficiet? cujus calami excellentia iſtius claritati reſpondebit? ſi poëtici deſiderii particeps ora centum conſequerer, haud tamen iſti paria poſſem eloqui præconia. Plurima dabo pauciſſimis. Non curæ modo tibi fuit incredibili, ut optimis in patrio Lyceo tingerer literis; ſed etiam, ut, Academicis conſecratus ſtudiis, Medicæ artis notitia imbuerer. Quanta benignitate meam juviſti inopiam, ut

ille conatus proſpere procederet? Quam ingente facilitate aditum mihi aperuiſti ad excellentiſſimorum virorum benevolentiam, ut illorum inſtitutione in variarum rerum peritia, quam Medicinæ amplitudo poſtulat, proficerem? Cumque non inidoneus judicarer, qui aliis in valetudinis vel cuſtodia vel reparatione opera mea quantulacunque inſervirem, ſuaſu tuo primum vicinum oppidum, & deinde dulciſſimam elegi patriam, ubi novus Roſcius experirer, quid deſiderantibus mea prodeſſe poſſet induſtria. Quod poſtquam ſubieram, innumeræ tuo erga me amori factæ ſunt acceſſiones. Non modo enim tuarum curarum vices mihi demandaſti ſæpius, ſed & vitæ tuæ delicias, unicam filiam mihi deſpondiſti, unde non exiguam in me derivatam eſſe proſperitatem, intellectu eſt facillimum. Nihil à veritate alieni aſſeram, angelum te fuiſſe, pronuncians, à DEO O. M. ſalutis meæ procurandæ cauſſa mihi ſalutariter conceſſum. O ſi diutius te frui potuiſſem! Utinam longinquior vitæ hujus uſura tibi fuiſſet data! Id ſi contigiſſet, quanta alacritate ſenii tui incommoda ſublevaſſem, ut gratæ mentis ſignificatio tibi eſſet edita. Sed quoniam per arcana NUMINIS conſilia tam felici mihi eſſe non licuit, cineribus tuis præſtabo, quod incolumi exhibere non valui, laudatiſſimi nominis tui memoriam calamo levidenſi delineaturus, ut ſi qua futura, poſteritas in egregiorum Medicorum numero te collocare poſſit. Arduum autem

ea ra-

ea ratione in me ſuſcipio negotium, non virium mearum fiducia, quas imbecilles eſſe non ignoro, ſed officii erga te declarandi promtitudine excitatus. Medicum dici aliquem, non magno indiget conamine, dum, multos ſine veritatis ipſius ſuffragio tam nobili venire nomine, experientia dictitat; ſed eſſe revera Medicum, & poſſidere omnia, quæ illius tituli excellentia ſibi vindicat, non eadem facilitate contigit hominibus. In Optimorum catalogo non poſtremum tibi decernendum eſſe locum, grati agnoſcent poſteri, quibus laudum tuarum fama commendabitur. Singula enim tenuiſti cumulatiſſime, quæ ab oblivionis injuria te liberare queant. Non autem tumultuario ſaltu ad encomii hujus transvolaſti faſtigium, ſed plurimorum annorum ſpatio fuit opus, antequam illud contingeres. Quicquid à prima pueritia peradoleſcentulus, in juvenilibus annis & in ipſa virilis vitæ maturitate peregiſti, ad illum te perduxit apicem. Fruſtraneo labore ad Medicinæ ſtudium animum adjiciunt, quibus naturæ benignitas ingenii felicitatem denegat. Quomodo enim ſine illius dotibus in tam arduæ artis ſanctuaria penetrent? In te fingendo ſingulari optima illa mater uſa eſt liberalitate, omnia largiter impertiens, quæ ad illam imbibendam idoneum te efficerent. Imo hæreditario quaſi jure felicior indoles à te ex parentibus tranſiit honeſtiſſimis ex quibus anno M. DC. XXXIII. XIIX. Octobr. Altenburgi natus es, venerabili nempe patre

*Joſepho Claudero*, qui de re literaria pariter & ſacra præclare meritus, illuſtre urbis noſtræ Gymnaſium per viginti annorum ſpatium laudabiliter moderatus eſt, totidemque annos diverſis Eccleſiæ noſtræ muneribus parili fide præfuit; & matre *Barbara*, M. Michaelis Neandri, Archidiaconi Neapolit. ad Orlam filia, quæ octoginta ſex utriuſque ſexus hæredum mater, avia proaviaque facta, octogenaria major beate obiit. Sed cui bono eſt ingenii excellentia, niſi cum eximiarum rerum cupiditate copuletur? Naturæ pignoribus multi gaudent, quæ aut ignava ſepeliunt ſocordia, aut rebus perdunt turpiſſimis. Ab ejusmodi furfuris homuncionibus ipſe fuiſti remotiſſimus, ab ipſis incunabulis meliorum conatuum ſingulari flagrans deſiderio. Admirati ſunt Clariſſimi viri, quibus uſus es Doctoribus, induſtriæ tuæ contentiones egregias. In iis primum obtinuit locum *Georgius Crauſerus*, patriæ Scholæ tum Rector, Eiſenbergenſis poſtea Ephoriæ Antiſtes, cum *M. Floeſſero* & *M. Liſtio* Conrectoribus. Quanta cupidine ab illorum pependiſti ſtudiis? Nihil docuerunt, quod non didiceris, freno, potius, quam calcari indigens. In plurimorum animis humanitatis diſciplinæ frigere ſolent; ipſe autem illarum accenſus deſiderio, non potuiſti prius quieſcere, quam intima illarum familiaritate fuiſti beatus; turpitudini tibi fore ratus, niſi & in illis excelleres artibus, quarum notitia & Patri & fratribus in eruditorum concionibus laudes

non

non exiguas pepererat. Minima non neglexiſti, ut magnis eniteſceres. Linguis non indiligentem navaſti operam, ut haberes claves, quibus artium altiorum conclavia reſerares. Multi, ſolidiorem fidei capitum ſcientiam illis tantum relinquendam eſſe autumant, qui in Eccleſia ſanctis fungi cupiunt muneribus. Quaſi negligi poſſint dogmata, è quibus æterna haurienda eſt felicitas. Aliam tu amplexus es ſententiam. Quippe ſub laudati Crauſeri diſciplina non ſaniorem modo religionis noſtræ doctrinam, ſed & ſecus ſentientium opiniones cognoviſti, per univerſæ vitæ ſpatium fructus inde expertus multiplices. Hinc ſine fidei ſalutaris naufragio inter adverſariorum Scyllas atque Charybdes in exterarum regionum perluſtrationibus navigaſti ſalvus, & usque ad extremum vitæ tuæ halitum divinæ veritatis amorem retinuiſti perpetuum. Provocare poſſum teſtes, non modo, quos conſuetudo quotidiana tibi reddidit familiares, ſed & inprimis, qui Eccleſiæ curant negotia, quam ſolicitus de fidei ſanctitate ſemel cognita fueris, quanta indignatione nonnullorum audieris temeritatem, quos inſanæ novitatis ſtudium cum magno Eccleſiæ periculo in noxias præcipitavit ineptias. Sed redeo, unde digreſſus ſum. Annum in patrio Lyceo decimum octavum expleveras, cum Patris fratrum Præceptorumque juſſu atque conſenſu Academicas ἀκροάσεις colere conſtitueres. Eo animo primum te contuliſti Jenam, in celeberrimum omnis hu-

manæ pariter & divinæ ſapientiæ emporium. Factum id eſt refloreſcente Majo anni M. DC. LII. Menſis ille tanta vernæ amœnitatis copia non renitet, quanta laudabilium deſideriorum multitudo in te fuit conſpicua. In omne artium genus lætiſſimo excurriſti ſtudio, perdiſcens ſingula, quorum cognitio nominis clari famam amaſiis ſuis conciliat. Imprimis naturalium rerum notitiam incredibili ſectatus diligentia, non ignarus, quod, juxta πολυθρύλλητον, *Medicus incipiat*, *ubi deſinit* Phyſicus, doctiſſimorum Profeſſorum, *Stahlii*, *Zeiſoldi*, *Bechmanni*, *Olpii*, uſus opera, ſub & cum quibus etiam non raro in diſputatoriam arenam magno aliorum applauſu deſcendiſti. Quo facto, dici non poteſt, quam ſingulari felicitate Medicis artibus incumbere cœperis. Gaudebant illæ tum temporis ibidem doctoribus, quorum fama nunquam intermorietur, *Rollfinckio*, *Moebio*, atque *Schenckio*, apud exteros quoque celeberrimis. Nihil neque voluptatum neque moleſtiarum ab horum auſcultationibus te potuit abſtrahere. Hos non ſomniculoſe, non frigide audiviſti, ſed ardentiſſime, ſed conſtantiſſime. Quem in te diſcendi fervorem admirantes unanimi dixerunt mente: O nos felices tam induſtrium nacti auditorem! Si perrexerit, ceu hactenus conſuevit, tam in uſitatam in rebus Medicis ponere diligentiam, in illarum ſanctuaria penetrabit, magno nobis quondam futurus ornamento. Colligi inde poteſt, quam acceptus illis fueris, quanta facili-

tate

tate tibi januam ad interiora doctrinæ ſuæ penetralia patefecerint. Neque illis tantum laudis tuæ Claritas innotuit, ſed & aliis, qui publice perceperant, quam acriter ſub laudati Mœbii præſidio *de hepatis atque bilis uſu* diſputaveris. Integrum illic vixiſti triennium, manſurus diutius, niſi mirifica NUMINIS providentia te Lipſiam avocaſſet. In ſumma ibi agebat celebritate, non de Chymicis modo experimentis, ſed & reliquis Medicinæ ſtudiis incredibiliter meritus, quem ut alterum Æſculapium univerſus orbis politior adhuc admiratur, excellentiſſimus *Johannes Michaelis*. Ille ut ampliſſimorum negotiorum ingenti copiæ ſufficeret, in contubernio ſuo duos aut tres Medicinæ Candidatos liberaliter aluit, quibus non tantum ſelectiſſimæ Bibliothecæ, in ordinem Locosque communes, ceu vocant, redigendæ curam, cum Chymicorum laborum cuſtodia, ſed etiam complures ægrotos inviſendi ſolicitudinem commiſit. Cumque eo tempore nonneminis diſceſſus in illorum numero locum cuipiam novitio vacuefeciſſet, Pater meus pro ea, quam cum eminentiſſimo iſto Medico colebat, familiaritate efficiebat, ut in tanta ambientium id multitudine judicareris dignus, qui domeſtica tam magni viri conſuetudine in maximum ſalutis tuæ emolumentum fruereris. Pro qua benignitate quam calidas DEI providentia egiſti grates! Anguſtæ ſiquidem ſupellectilis inopia cupidini tuæ non mediocre ſufflamen injecerat. Hujus autem

bene-

beneficii particeps omnes difficultates feliciter ſuperare potuiſti, quod grata commemoratione te ſæpius recolere audivimus. Neſcio autem, cui potioris præconii titulum in ejus rei recenſione tribuam, Patronine ſalutem tuam juvandi promptitudini, an fidei tuæ & iſtius deſiderio inſerviendi diligentiæ. Utraque certe fuit ſingulariſſima. Nihil habuiſti prius & antiquius illarum rerum ſtudio quas ei gratas fore cognoſceres. Et iſte contra plusquam paterno te proſecutus eſt animo. Nihil profecto arcanarum tenuit doctrinarum, quas aut multiplici rerum uſu aut ex aliorum egregiorum Medicorum literis, undique ad ſe quotidie advolantibus, didicerat, quarum notitiam tibi non aperuerit. Tam benigni Hoſpitis gratia te ſine ſumtibus perduxit, quo paucis aliis ingentium munerum multitudo vix aditum comparat. Neque ab hujus tantum pependiſti ore, ſed & aliorum Medicorum ſcholis frequenter ardor tuus interfuit. Teſtem ejus rei adducere poſſum diſputationem. Præſide *D. Langio* anno M. DC. LVI. in conflictu publico, *de Miſcellaneis curioſis Medicis*, à te habitam. Cui acceſſit anno M. DC. LIX. alia, de *Phthiſi* nempe, ſub inclyti Michaelis tui moderamine, eruditorum velitationi, multæ cum lectionis & ſedulitatis encomio propoſita. Peregrinationes magno illis ſunt uſui, qui eas ſalubriter inſtituunt. Terræ diverſis pignoribus, populi vero inſtitutis differunt. Non omnia & eadem ubique vel inve-

inveniuntur, vel pari modo excellunt. Alia florent alibi, & quælibet provincia poſſidet, quibus ſe præ ceteris felicem prædicare poſſit. Medicis certe incredibilia eveniunt commoda, ſi cognoſcant, quibus & exteri remediis morborum vehementiam frangere ſoleant. Inde & te non parva alio ſole calentes provincias viſendi cupido tenuit. Non dicam, quod A. M DC LIIX. & Miſnicas & Bohemicas metallifodinas cum diverſis thermis atque acidulis, quæ ibidem inveniuntur, perluſtraveris. Tacitus præteribo, quod An. M DC LIX. incomparabilem Saxoniæ Electoris ſedem cum incredibili inuſitatarum rerum copia, quibus illa inſpicientium animis ſtuporem incutit, non minore commodo quam voluptate videris. Neque tradam, quod Anno M DC LX. illuſtrem Leucoream ut & inclytam Brandenburgici Electoris Aulam ſalutaveris, ſingulis in locis mirabiliter perſpiciens, quæ è re tua fore prudenter judicaveras. Sed cur, talia me referre nolle, aſſerui, cum ipſe, non parum inde commodi in te profectum eſſe, ſæpenumero prædicaveris? Non poſſum non, quin tuis id verbis efferam, ita ſonantibus: Præcipue in binis illis Auguſtiſſimorum Electorum ſedibus tam multiplices, tam utiles, tamque notatu dignas res oculis meis uſurpavi, quas cum ingentium ſumtuum imò vitæ ipſius jactura, qumplurimi per multorum annorum ſpatium vel in Gallia vel aliis remotioribus provinciis conſpiciendi vix nanciſcuntur facultatem. O egre-

giam de re veriſſima ſententiam! Quod ſi omnes eam reciperent, non tot cordatioribus viris naſcerentur querimoniæ, cernentibus, quod in itineribus minus circumſpectè ſuſceptis plurimi, dum exteras induunt maculas, domeſtica decora exuant; quippe qui domum referant pro divina purioris doctrinæ ſimplicitate horribilium errorum monſtra, pro candore & ingenuitate inſidioſas ficti vultus blanditias & callida machinamenta, pro frugalitate & continentia damnoſisſimi luxus libidines. Sed quo me abripit de tanta perverſitate indignatio? De illis tantum loquor, quos peregrinationum abuſus non injuria in omnium conjicit ignominiam. Illi autem in felicium numero præclarum inveniunt locum, qui provide alienas regiones perambulare didicerunt. Hisce tu quoque annumerari potes, ſocer honoratiſſime; Siquidem Majo Anni M DC LX. per civitates Saxonicas, Magdeburgum, Selenopolin, Hamburgum in uniti Belgii provincias profectus es, atque viſitatis pleriſque celebrioribus illarum urbibus, iis præcipue, quas Academiæ nobilitant, Franekera ſcil. Grœninga atque Trajecto, Leidæ atque Amſtelodami per aliquot menſes commoratus es. Poſtea reliquis Hollandiæ atque Selandiæ oppidis perluſtratis, trajeciſti in Angliam, Londini potiſſimum atque Oxoniæ victitans. Inde in Germaniam redux, viſis Colonia Agrippina, Confluentia, Francofurto, Norimberga, Ingolſtadio, Auguſta Vindelicorum, Monaco, per Comitatum Tyrolenſem

in

in Italiam excurriſti, Venetiis præcipue & Patavii ſubſiſtens, non neglectis tamen cæteris iſtius terræ civitatibus, quas clariora laudum præconia dudum egregiis extulerunt encomiis. Singulis in locis quam ſancte, quam moderate, quam circumſpecte, quam ſapienter te geſſiſti? Peregrinarum voluptatum lenocinia facili labe incautis ſubrepunt, & noxia ſuavitate animorum extinguunt vigorem. Tu autem Ulyſſis inſtar contra omnium deliciarum blandimenta, quibus illa luxuriant loca, incorruptus, integer atque invictus ſtetiſti, antiqui animi ſervato ſpecimine. Admiratus es, quicquid in ingeniis excellens, in animis laudabile, in moribus decorum, in inſtitutis frugiferum deprehendiſti, non tam chartis perituris, quam feliciſſimæ illa inſcribens memoriæ, quæ & cuſtodivit accepta, & ſine mora, cum deſiderarentur, reddidit. Maximopere autem in id incubuiſti, ut Medicarum rerum notitiæ quam plurimas faceres acceſſiones; quod eo felicius factum eſt, quo faciliorem comendatitiæ tui Michaelis literæ ad plerorumque locorum Medicos celeberrimos tibi patefecerunt aditum, quoque clarius animi tui dotes exſplenduerunt ad magnam erga te benevolentiam ſingulos, quibus innoteſcere potuiſti, allicientes. Neque moleſtiis caruiſti, quæ peregrinantibus ſolent accidere. Parum profecto à naufragii abfuiſti periculo, ex Hollandia contendens in Angliam, ſubitis tempeſtatibus in ſæviſſimi maris æſtu horribiliter tumultuantibus. In-

ſuetusque maritimorum locorum aër varias corpori tuo ægritudines attraxit. Inde & factum eſt, ut in Anglia non adeo diu permaneres, benignius in Italia corpori tuo cœlum fore, conjiciens. Sed & ilud expectationem tuam fefellit. Tantum enim abeſt, ut in gratiam ibi cum valetudine potueris redire, ut pluribus potius, iisque gravioribus malis conflictari debueris. Unde & mutaſti in Galliam hinc abeundi propoſitum, per Alpes Helveticas, Baſileam, Argentoratum, atque inde in patriam, quo fieri potuit viarum compendio, rediens. Virtute quid eſt efficacius? Cunctorum ad ſe pellicit animos, peragens, quæ ſunt incantationi impoſſibilia. Ignis eſt, fulgida erumpens flamma, & radiorum claritate ubique conſpicuus. Pulcerrimæ certe dotes tuæ non latuerunt in ſilentio, ſed in alta veluti ſpecula omnibus ſe dederunt conſpiciendas. Lipſia poſtquam Anno M DC LXI. te receperat, de honoribus in te conferendis fuit ſolicita. Habita enim de *philtris* diſputatione, ſuperatisque examinibus *licentiam ſupremum Medicinæ aſſumendi gradum*, quem *Doctoris* nominant, & ſequenti anno poſt tam *ſplendidum axioma*, Brabeutis iisdem, quos ſupra ſeptem annorum ſpatium habueras præceptores fideliſſimos, tibi impertiit. Quo facto parum abfuit, quin, nonnullis invitantibus, Hamburgum te contuleris, artis tuæ promtitudine inſerviturus, quicunque ea uti cuperent. Sed aliud placuit Supremi NUMINIS providentiæ. Cum enim pa-

triæ reipubl. conſul, Poliater atque Polyhiſtor, *Thomas Reineſius*, at quantum inter eruditos nomen? domicilium ſuum Altenburgo transferret Lipſiam, Fratris tui, meique Patris, Archiatri Ducalis ſuaſu, natalem locum urbi à nobis valde remota non immerito prætuliſti, Novembri Anni M DC LXI. feliciter huc veniens. Velim ea mihi benignitate cœleſtis jam detur facundia, ut omni orationis genere tuas laudes ita commendem poſteris, quo invictæ perdurent contra malevolorum invidiam, ne obterant, contra tyrannidem temporum, ne perdant, contra auſteritatem caſuum, ne conſumant. Profecto vix in patriam redieras, cum mox virtutes famæ januam tibi patefecerunt. Sicut enim ſolis exorientis calor benigniſſimus terram roſis & rore ſpargit; ita in curarum Medicarum primordio complures magna extuliſti lætitia, ægrotorum deſiderio mirifice ſatisfaciens. Inde non noſtræ tantum urbis, ſed & vicinorum locorum incolæ quamplurimi valetudinis aut reparandæ aut conſervandæ à te expetiverunt conſilium pariter & auxilium. Neque plebeji magis quam illuſtres viri, Nobiles, Barones, Comites atque Principes vitæ ſuæ curam tibi crediderunt, quorum ingens multitudo recenſeri poſſet, ſi neceſſarium videretur. Qua cupiditate, qua ſolertia adfuiſti omnibus? Actionum tuarum fuit ſcopus DEI gloria proximique incolumitas. Neque præmiorum ſpes exacuit te ad ſedulo inviſendorum ægrotorum ſtudium, neque

horum paupertas à ſanandis illorum morbis te deterruit; Sic ditiſſimorum habuiſti rationem, ut Iro pauperiores ne negligeres. Mercedem enim te conſecutum eſſe ſatis magnam, credidiſti, ſi miſeriæ hominum grato ſubvenire potuiſti levamine. Quanta iis in rebus uſus es dexteritate? Nullum ægritudinis genus, nullæ medendi viæ te latuerunt, neque temere unquam fefellit eventus. Quem prævidere Medici prudentia, ex omnium autem voto ſemper præſtare ne feliciſſimi cura poteſt. Optimus eſt Imperator, non qui hoſtem ſemper ſuperat, ſed qui in acie circumſpecte ſe gerit, omnia ſubiens, quæ iſti damno eſſe poſſunt. Medicumque laus non exigua condecorat, ſi morborum crudelitati ea opponit, quæ artis providæ ſapientia præcipit. Semper autem proſternere morbos non eſt Medici, quemadmodum nec Imperatoris hoſtium ubique profligare copias. Neutrum enim ſua decepit ars, neque tam ſcientia deſeruit, quam ſucceſſus felicitas, qui à DEI expectandus NUMINE. Sicut autem plurimorum valetudini aſſidua ſedulitate proſpicere ſolitus es uſque ad extremum vitæ halitum; ita & doctiſſimis literarum monumentis conſulere voluiſti iis, quibus volupe eſt eruditorum lucubrationes induſtriis verſare manibus. In illis poni poſſunt diſſertatio *de Tinctura univerſali contra abuſum Alchymiæ; methodus balſamandi cadavera, etiam majora ſine omni eviſceratione;* cui annexa *ratio medicamenta Chymica*

*extem-*

*extemporanea ſine deſtillatione* concinnandi, item Tractatus oſtendens *Cinnabarin nativam Hungaricam novum figendi modum.* Varia etiam *Ephemerides Medico-Phyſicæ Germanicæ Academiæ Imperialis Curioſæ* continent, quæ te agnoſcunt auctorem. Quid dicam, qua promptitudine miſerorum inopiæ ſubveneris? Illorum ſi repræſentari voces poſſent, quam innumera de te perciperentur præconia? Æquiparaſſe te, dicerent, eorum liberalitatem, quos canæ antiquitatis teſtimonia noſtræ conſecrarunt memoriæ. Veritatis ſum amantiſſimus. Atque à reipſa non abhorrere, quæ jam attigi, unanimi teſtantur ore atque calamo, qui Eccleſiæ Scholæque noſtræ præſunt, viri multa laude commendabiles. Poſteri etiam id confitebuntur, cognituri, quam dicaſti egenæ juventuti Scholaſticæ ad comparandos quotannis libros, pecuniam. Quid quoque adjiciam, quam ingenuo NUMEN ſupremum domi foriſque veneratus ſis obſequio? Recte vereque ſentire de iſto, ſancteque illud colere, fuerunt artes, quas imbibiſti, ut dictum eſt, puer, & conſtanter per omnem exercuiſti vitam. Illis ante omnia totis incumbendum eſſe viribus illis adoleſcentem ætatem, illis juventutis florem, illis virile robur, illisque ſenectutis canos conſecrandos eſſe cenſuiſti. Neque caruit illa pietas variis DEI O. M. remunerationibus. Non repetam, quanta benignitate tibi providerit, ut in magna rerum penuria ad Medicæ artis apicem potueris aſcendere.

dere. Vix annum in illuſtri exegeras Salana, cum Pater optimus ſui deſiderium incredibile tibi relinqueret. In quam magnam hujus abitus te conjecit inopiam? Nihilominus DEI providentia illam ita adjuvit,ut, multis non opinantibus, & felicius, quam ipſe ſperaveras, ſtudiorum tuorum metam potueris contingere. Neque commemorabo, quam luculenter res tua familiaris in urbe patria creverit, ut non tuis tantum tuorumque uſibus, ſed & plurimorum pauperum deſiderio ſufficere potuerit. Id autem tacitus præterire non valeo, quod non exiguam clari nominis famam, virtutibus tuis convenientem, DEI munere ſis adeptus. Anno M. DC. LXV. Sereniſſima Princeps, *Magdalena Sibylla*, Dux Saxoniæ, Medicum ſuum ordinarium te eſſe voluit. Et anno M. DC. LXVII. Ipſe Patriæ Pater O.M. *Fridericus Wilhelmus* Archiatri ſui munus clementiſſime tibi tradidit. Idemque *Sereniſſimæ Sobolis* ſuæ valetudini coſtodiendæ Anno M. DC. LXIX. te præfecit, quam ſpartam, illo pie defuncto, Sereniſſimorum Tutorum ſuffragia comprobarunt. Cum autem poſt præmaturum juventutis Principis, *Friderici Wilhelmi* diſceſſum, *Erneſtus Pius*, Saxoniæ Dux Auguſtiſſimus, harum provinciarum dominium jure hæreditario Anno M. DC. LXXII. acciperet, ille etiam ſui ſuorumque Archiatri titulo te ornavit, ſæpenumero conſiliis tuis, interprete Medico ordinario, Daniele Ludovici in curando corpore uſus. Quin & Anno

M.DC.

M. DC. LXXX. in aulam ſuam te pertrahere geſtiit. Valetudinis autem adhibita excuſatione, in urbe patria remanere maluiſti, quam aulæ fluctibus te iterum iterumque exponere. Eandem ob cauſam non potuiſti annuere Sereniſſimo Marchioni Brandenburgico, Domino *CHRISTIANO ERNESTO*, An. M. DC. LXXIII. deſideranti, ut Archiatri munus in aula ſua ſuſciperes. Ad parilis excuſationis neceſſitatem confugiens familiam tuam transferre Dreſdam noluiſti, cum Potentiſſimus Saxoniæ Elector, *Dominus Joh. Georg. III.* per principem miniſtrum efflagitaret, ut Medici ſui provinciam imponi tibi patereris. Bis autem Anno M. DC. LXXXII. & M. DC. LXXXIV. ab eo valetudinis ſuæ cauſſa evocatus, præter alia gratiæ ingentis teſtimonia *Electoralis Archiatri* reportaſti encomium. Colligi inde poteſt, dexteritati tuæ quid tribuerint ſummi Principes. Niſi enim te excellentiſſimum cognoviſſent Medicum, tanto animorum conſenſu vitæ ſuæ curam à te minus expetiiſſent. Quid de aliis afferam dignitatibus, quæ & aliunde tibi obtigerunt? Nimirum, quod *Academiæ Leopoldinæ Directores* celeberrimi tam illuſtris Collegii ſui *Adjunctum* te conſtituerint; quod multi exterorum literis ſæpenumero miſſis teſtati fuerint, quanti te facerent, quantaque cupidine, amicitiam ſibi tecum intercedere, optarent, quod & maximi Principes ad te direxerint literas cum ſingularis erga te gratiæ ſignificatione exaratas, in quibus non injuria

eminentiſſimum Romanæ Eccleſiæ *Cardinalem Collonitzium*, quin & ipſum Cæſarem *LEOPOLDUM* invictiſſimum cum nonnullis Romani Imperii Electoribus collocare poſſem, ſi exigeret neceſſitas. Quorum munificentia ſi uti voluiſſes, ad quæ honorum, ad quæ divitiarum culmina potuiſſes emergere. Sed prætuliſti patriæ terræ dulcedinem ſplendidiſſimis aliorum locorum muneribus. Maluiſti in illa honoris mediocritatem obtinere, quam alibi magnis exſplendeſcere dignitatibus. Illi enim cum præprimis te natum eſſe judicares, neglecta ſanitatis tuæ ratione, cum ipſo vitæ periculo, aſſidua diligentia inſervire ſtuduiſti. Quilibet inde conjiciet, patriæ amantiſſimum, ſtudioſiſſimumque te fuiſſe, quamdiu inter mortales exiſtere tibi licuit. Neque illa DEI clementia ſilentii peplo involvi debet, quam ab initio uſque ad finem matrimonii tui es expertus. Conceſſit enim tibi An. M. DC. LXII. florente Majo, in proſperis & adverſis ſociam conſtantiſſimam, *Victorini Gruneri*, qui Sereniſſimis Patriæ noſtræ Patribus à Secretis Cameræ atque Feudorum fuit, filiam, natu mediam, fœmineæ probitatis, prudentiæ, aliarumque dotium exemplar fulgidiſſimum. Quid tuo cum illa matrimonio blandius, quid auſpicatius, quid omni parte beatius cogitari poteſt? Quæ animarum arctiſſima copula? qui amor æmulus? Quæ reverentia mutua? Nulla inter vos fuit diſcordia, niſi

uter

uter utri dilectionis mutuæ palmam poſſet præripere. In cæteris una voluntas, una mens, diverſa tantum corpora inhabitans. Non familiam modo illa circumſpecte adminiſtravit, ſed & utile in Chymicis laboribus atque in laborioſiſſima methodi ſine eviſceratione balſamandi inventione officium tibi præſtitit. Quin & enixa eſt tergeminam tibi ſobolem, filios nempe duos cum unica filia, *Johannem Victorinum*, paucis à nativitate diebus iterum denatum; deinde *Mariam Eliſabetham*, ex qua mihi anno M. DC. LXXXVI. in matrimonium collocata binos vidiſti nepotes, alterum in matris utero mortuum, alterum infantilibus ineptiis multiplices ſenio tuo creantem delicias; & denique *Johannem Chriſtianum*, qui diverſis hactenus in Academiis multa edidit egregiæ indolis ſpecimina, per veſtigia tua ad eximiæ laudis culmina contendens. Nonne ea omnia ſupremi NUMINIS ſunt beneficia, quibus pietatem tuam exornare voluit? Neque abfuiſti à variis vitæ vexationibus? Nam quo ſinceriore DEUM colimus obſequio, eo frequentiorem perſentiſcimus caſtigationem, non ut pereamus, verum ut conſtantiore cultu ipſi ſtudeamus adhæreſcere. Paterno certe animo multa ab incunabulis uſque ad obitum tibi impoſuit. Nihil autem moleſtius accidere tibi potuiſſet, quam uxoris conjunctiſſimæ ſub Anni M. DC. LXXXVI. exitum diſceſſio. Quo arctiore animi veſtri copulati erant vinculo, eo difficilius disjungi poterant. Acquie-

viſti tamen in DEI voluntate, quam tuæ cynoſuram conſtanter veneratus es. Alia etiam dolorum lenimina tenuiſti, & occupationum multitudinem, quas omnibus deliciis ſemper duxiſti anteferendas; & dicti filioli mei teneritatem, dulciſſimorum geſtuum blandimentis, omnem tibi abſtergentis ſolicitudinem. O ſi diutius te habuiſſemus ſuperſtitem! Sed arcana Fatorum conſilia deſiderii noſtri vota præoccuparunt, cum vitæ tuæ adhuc longinquæ ſpes nos reficeret. Adeo incertæ hominum ſunt cogitationes. Fallimur, cum nullius erroris opinio nos titillat. Morbo eheu correptus pertinaciſſimo, quem nulla medicamentorum vis poterat frangere, inſtante noctis meridie IX. Januarii M. DC. XCI. abiiſti, quo DEI conſilia te avocabant. O lugubre verbum, quo me abripis? Quibus triſtitiæ fluctibus me abſorbes? Satis quidem DEO, ſatisque tibi vixiſti, ampliſſimas conſecutus dignitates. Nobis autem præpropero diſceſſu obiiſti, amore adhuc tuo indigentibus; Nimis mature mortuus es patriæ, officii tui per longinquum adhuc ſpatium cupidiſſimæ; Nimiumque cito miſeris, quorum ægritudinem variis ſublevaſti beneficiis. Sed cur te mortuum eſſe pronuncio, cum adhuc agas incolumis? Non enim anima tua tantum inter innumeras beatorum ſpirituum myriades æternis gaudet beatitudinibus; ſed & vivit in hoc terrarum orbe nominis tui nobilitas, omnis interitus deriſura ignominiam. Superſtes agis in filio,

de-

de quo patria optima quæque ſibi pollicetur; Perennas in animi tui monumentis, quæ grata prædicatione ſera circumferet poſteritas; Illa immortalitatis tabulæ famam tuam inſeret, & ab omni oblivionis liberabit injuria. Eam quicunque conſpicient, excellentiſſimi Medici exemplum te fuiſſe dictitabunt. Hiſce dictis, ſalve, indulgentiſſime Socer, æternumque vale.

* * *

*Viro Excellentiſſimo*

D. FRIDERICO GUILIELMO CLAUDERO

Perennem Soceri deſideratiſſimi.

D. GABRIELIS CLAUDERI

Memoriam celebranti.

COrtice ſucciſo lacrymat, ſtactenque refundit
Myrrha reſervandis nata cadaveribus:
Sic pius arguti dum pungis acumine ſcripti
Protinus ex imo pectore ſtacta fluit,

Stacta decus Magni conſervatura patroni
Candida dum Muſas vivere fata dabunt.

Subjungit
JOH. GEORG. VOLCKAMER, M. D.
Cæſ. Majeſt. Archiater, Comes Palatinus & Academiæ Leopold. Nat. Cur. PRÆSES.

*†*

*CLaudat* Clauderum *tumulus; cumulus meritorum*
*Panditur hîc, complens Solis utramq; domum.*

Sic
deſideratiſſimi ſui Dn. Collegæ
memoriam colit
Academiæ Nat. Carioſ. *CELSUS.*



# INDEX
## Ephemeridum Imperialis Academiæ LEOPOLDINÆ Naturæ Curioſorum.

### *DECUR. II. ANNI X.*


### *A.*

*ABdominis* abſceſſus internus à purgante disruptus. Pag. 128
inæqualis & lethalis tumor in filiola unius anni. 96
ſaccus hydropem mentiens. 95
vulnus penetrans ſine læſione ventriculi & inteſtinorum. 334
*Abortus* & Molæ. 246
ex Teneſmo. 230
*Abſceſſus* abdominis internus à purgante disruptus. 128
*Abſurdarum* rerum eſus. 56. App.
*Acari* & varia circa illos obſervata. 33. ſeqq. App.
Vide Teredo.
*Acidularum* ſalutaris uſus contra Epilepſiam. 273
*Aculeatus* vermis à puero rejectus. 187
*Æſtuante* corpore frigidus ingurgitatus potus facilè excitat inflammationem & febrim. 308
*Agri* Curlandiæ eorumque fertilitas. 129. App.
in illis lapides zizaniæ & graminis luxuriem impediunt. 130. App.
*Albumen* ovi an ad nutritionem ineptum. 13. ſeq.
*Alcaliſati* Salis citra acidi aſſociati beneficium producta cryſtalliſatio. 359
*Alni* folia ſerpentum Charactere tincta. 243
*Aloë* Onoldina. 56. App.
*Alvi* excretio ſebacea. 97
feces per Vulvam excretæ. 132. 249
fecibus tranſitum concedens ulcus in inguine ſanatum. 218
fluxus infantum & in eo purgantium uſus periculoſus. 127
menſtruus, menſium ſupplet defectum. 374
obſtructio vehementiſſima, vomitus ſtercorei cauſa. 236


*Ammo.*

*Ammoniaci* Salis ſpiritus, ejusque abuſus infauſtus. 214
*Amor* nimius Maniæ cauſa. 219
*Anatome* Apoplectici. 254
Botanologica Pilæ Marin. Ap. 197
Calculoſi. 57
Cephalalgia ſcorbutica laborantis pueri. 203
Demortuorum, ejusque inſignis uſus. 306
Epilepſia ſingulari defuncti pueri. 51. ſeqq.
Hydropici, Empyemate prius ex pleuritide, Paracenteſi curati. 345
Hydrope ovarii Muliebris defunctæ. 67
ſaccato laborantis fœminæ. 95. 96
Inteſtini jejuni ruptura defuncti, illæſo externe abdomine. 290
Ilei ruptura integro abdomine mortui. 297. 331
Inteſtinorum inflatione defunctæ. 394
Lutræ Maſculi. 204
Monſtri. 258
Nephriticæ & Picrocholæ. 250
Pilæ Marinæ Botanologica. 197
Pueruli à purgante in alvi fluxu exhibito, mortui. 127
Reſpiratione difficili à cordis Polypo laborantis. 337
& urinæ incontinentia à nimia pinguedine defuncti. 342
Tumore inæquali ac lethali abdominis, laborantis, unius anni filiolæ. 97
*Anatome* Tuſſi fera defuncti. 248
Urinam craſſam ac ductilem non niſi emulgendo excernentis. 207
*Andarce* malè confunditur cum pila marina. 200
*Andria* Sileſiaca. 101
*Ani* fiſtula & Anus clauſus. 132. 249
in ea plantaginis uſus. 144
*Animalia* Curlandica. 124. ſeqq. App.
*Animalculi* excretione Epilepſia curata. 273
*Animarum* omnium feſtum celebrant Curlandi. 137. App.
*Anodynum* ſuppoſitorium, dyſenteriæ periculoſiſſimæ remedium. 94
*Annulo* appenſo curata Epilepſia. 80
*Annulus* aureus ab infante unius anni deglutitus, ſeptem hebdomadum ſpatio in viſceribus commorans. 22
*Antlia* Pnevmatica & ad eam ſpectantia quædam Phænomena. 288
*Aphrodiſiaca* Opii apud Japonenſes præparatio. 77. 78
*Apoplectici* Anatome. 254
*Apoplexia* cum Epilepſia. 36
à ſcabie retropulſa. 53. App.
lethalis ex bregmatis hiatus, in ſeptuagenaria majore, coaleſcentia oborta. 84

*Apople-*

*Apoplexiæ* & lethargi cauſâ ſerum in cerebri ventriculis ſtagnans. 258
*Apoſtema* hepatis, diarrhœa ſanatum. 211
*Aquâ* calidâ febris tertiana curata. 233
*Aqua* inſalubris, ab illâ milites lienes contraxerunt magnos. 306
ſimplici curata hæmorrhagia narium. 226
vitæ curatum vulnus. 225
*Aquæ* frigidæ uſus in colica bilioſa. 228
in podagra. 165
Tettucianæ uſus in dyſenteriâ. 221
*Aqueis* exanthematibus ut plurimum inſunt vermiculi. 35. App.
*Aquula* curata. 239
*Arbor* Japonenſium Camphorifera. 79
Hambu. 78
Itabe. ibid.
*Arboribus* pruniferis Mercurius vivus inditus ipſis prunis vim communicat purgantem. 38
*Arena* ſubtiliſſima in cyatho lixivio remiſta & quotannis ſemel epota ante, balnei ingreſſum, optimum à morbis præſervativum. 31
*Arteriæ* venoſæ particula rejecta, magnum pulmonis vulnus curatum. 183
*Arteriarum* ſpecies ſingularis. 250
*Arthritidis* remedium prodigioſum. 165
*Atreta.* 249
*Avellanarum* vermiculi vertuntur in ſcarabæos. 40. App.
*Averſatio* caſei rarior. 60. App.
*Aves* Curlandicæ. 127. App.
*Aurum* fulminans ſine igne accenſum. 241
*Auſteri* vini noxa. 308. 309
*Avtomaton* capitis humani loquentis. 69

B.

B*Accæ* Juniperi præſervant à calculo. 230
*Balnea* Curlandica. 123. App. & 136. App.
Battſch / Juſculum brancæ Urſinæ. 135. App.
*Belladonæ* pro Myrtillis eſus maniæ cauſa. 213
virtus ſomnifera & deleteria. 197
*Bezoardicum* martiale Reguli parergon. 104
*Biceps* monſtrum Maſculinum. 72
Bierkäſes Curlandorum præparatio. 133. App.
*Biliarius* ductus protuberantiæ coli inſertus. 253
*Bilis* quomodo flatuum generandorum fiat materia. 402
*Bituminoſæ* terræ quam Torf vocant, uſus apud Curlandos. 123. App.
*Bovis* veſicula fellea monſtroſa. 314
*Brachii* ſiniſtri tumor ab infelici Venæſectione ortus, lethalem

 hæmor-

hæmorrhagiam & gangræ-
nam minitans, curatus. 270
*Brancæ* Urſinæ juſcula Bartſch dicta. 135. App.
*Bregmatis* hiatus & ex ejus coaleſcentia Apoplexia lethalis, in ſeptuagenaria majore. 84
*Bregmatis* ſiniſtri ſupra dextrũ transpoſitio in fœtu mortuo. 65

## C.

C*Adavera* fulguritorum non reſiſtunt putredini. 362
*Caffé* uſus in curanda palpebrarum grandine. 385
*Calculi* albi etiam in renibus inveniuntur. 252. & 254
præſervans. 230
*Calculorum* mira excretio. 161
*Calculoſi* anatome. 57
*Calculus* ſub lingua exciſus. 210
prægrandis è veſica fœminæ per dilationem ſphincteris eductus. 147
*Caligo* oculi, & in eo Euphraſiæ uſus. 224
*Camphoram* excoquendi Japonenſiũ modus. 79
*Camphorifera* Japonenſium arbor. 79
*Cancer* mammarum exulceratus, rarò perfectè curabilis. 133
*Canens* mutus. 378
*Canna* Saccharina in Elephantis ventriculo germinans. 206. App.
*Cantharidum* uſus internus variorum ſymptomatum cauſa. 60 App.
*Capitis* dolor à ſolo ſulphuris odore. 131
Eryſipelas curatum. 388
humani loquentis avtomaton. 69
vulnere Cephalalgia curata. 159
vulnus cum fractura & fiſſura lethale. 62
*Capſulæ* ferreæ operculi deglutitio, ejusque ſanguinolenta excretio. 191
*Cardialgia* ab aceto & fructu immaturo ſaltim deguſtato. 309
ejus cauſæ variæ. 325
vera à Polypo in corde. 254
*Caries* lignis duris inhabitans. 39. App.
omnis tandem transformatur in ſcarabæos. 40. App.
ejus, quæ in Scarabæum Pillularium transformatur, deſcriptio. ibid.
*Carioſi* oſſis tophus felicter ſectus. 274
*Carpiones* diu viventes. 28
*Cartilagineus* ex contuſione teſticulus. 245
*Cartilaginoſæ* venæ Cor ingreſſuræ. 343
*Caſeo* in recenti vermes alii, alii in arefacto obſervantur. 42. App.
*Caſeus* & ex ejus ſaltim mentione facta, vomitus. 60
*Caſtrenſis* aliquot jam annorum morbus hemitritæus. 304
ejus varia ſymptomata. 305. ſeqq.
*Catellorum* glabrorum & piloſorum partus ſingularis. 356

*Cephalalgia* capitis vulnere curata. 159
ſcorbutica intermittens à glandulis in Cerebro prognatis, orta, ſubſecuta capitis hydropen. 202
*Ceraſi* nucleus per aſperam arteriam in pulmones delapſus, phthiſin cauſatur lethalem. 123
in pulmonibus tartaro obductus & ſub ſpecie lapidis nucis moſchatæ magnitudinis rejectus. ibid.
*Cerebro* carens puellus. 386
*Cerebrum* à nimia Tabaci fumigatione exſiccari, falſum. 257
*Cereviſia* Curlandica. 133. App.
*China* Chinæ febrifugum certum in, ante, vel poſt paroxyſmum exhibeatur. 8
ejus uſus ad fugandos vermes. 229
*Chirurgicæ* operationes cur in quibusdam Regionibus felicius ſuccedant, quàm in aliis. 245
*Chronici* morbi in uno loco ſunt pertinaciores, quàm in altero. 175
*Chryſanthemum* foliis matricariæ petalis fiſtuloſis. 360
*Cibi* Curlandici. 134 App.
*Cineres* Clavellati parantur copioſè in Curlandia. 152. App.
*Clamores* excitari omninò poſſunt læſo licet pulmonum parenchymate. 249
*Clauderiana* Memoria. 215. App.
*Clavellati* Cineres parantur copioſè in Curlandia. 152. App.
*Clavi* ferrei Cordi infixi in jumento mactato reperti. 313
*Clavus* in pulmones illapſus poſt novem menſes feliciter rejectus. 124
*Cochlearum* uſus inſignis discutiendi ac attenuandi lympham coagulatam circa juncturas articulorum. 201
*Cæcitas* ex dyſenteria nimis citò adſtricta. 159
à fumo ligni viridis. 38
ex oculi globo ſub inferiori ſolùm palpebra latitante. 71
*Colica* bilioſa uſu aquæ frigidæ curata. 228
convulſiva peſſima ſymptomatum ſyndrome concomitata & curata. 264
ſpaſmodica ejusque inutilis per Mercurium, ſalutaris verò per balneum aquæ dulcis curatio. 365
*Colici* affectus differentiæ. 397
*Colo* bilarius ductus in ſubjecto quodam inſertus. 251. 253
*Colon* occluſum 262
*Color* pilorum, an ex eo ſanguinis temperies cognoſci poſſit. 126. App.
*Coma* ſomnolentum ex nimio pulveris Tabaci uſu. 222
*Conceptionis* ſigna inſolita. 161
ſignum infallibile Epilepſia in quadam muliere. 160

*Conceptionis* ſigna menſium fluxus. 161
*Conceptus* prodigioſus. 102
*Confectio* de Tivoli. 203. App.
*Conjugum* utero gerentium loco vomitus, dentiumque dolor in Maritis. 410
*Conſuetudo* altera natura. 1. App.
*Contagium* cur non omnes ſemper afficiat? 178
*Coralli*-formis Tophus tartareus & calculoſus in renibus calculoſi inventus. 58
*Coralloides* Tubularia. 202
*Corculum* ſaxeum. 73. App.
*Cordi* infixi clavi ferrei in jumento mactato reperti. 313
*Cordis* Polypi differunt & quoad ſubſtantiam & effectum. 341
*Cordis* Polypus. 34
respirationis difficilis cauſa. 336
*Cor* hydatidibus refertiſſimum. 314
*Coriandrum* quartanæ remedium. 157
an ejus ſeminis cortices ſint venenati. 158
*Cornea* multiplex. 167. ſeqq.
*Cornu*-formis proceſſus digiti longitudine è pollice pedis enaſcens. 208
*Coronariæ* venæ oſſeæ. 342
*Cranii* fractura rara & lethalis à lapſu levi. 60
ſuturarum uſus. 389
*Crepido* cum globi majoris parte Diaphragmati adhærens. 255
*Crepitus* ex utero erumpentes. 107
*Crocus* optimum Curlandorum condimentum. 135. App.
*Cruſta* lactea & ex ejus temeraria cura, totius naſi decidentia. 87
*Cryſtalli* ſalis marini ſingulares. 20
*Cryſtalliſatio* Salis Alcaliſati, citra acidi aſſociati beneficium. 359
*Cultrivorus* Baſileenſis. 2. ſeqq.
Halenſis Saxonicus. 1
Londinenſis. 2
Pragenſis. ibid.
Pruſſiacus. ibid.
*Curlandi*, animarum omnium celebrant feſtum. 137. App.
ſervitutem naturâ amant. 119. App.
Veneri non admodum ſunt dediti. 136. App.
Vivaces ſunt utplurimum. 138. App.
*Curlandiæ* Animalia domeſtica. 126. App.
fera. 124. App.
diviſio. 117. App.
familiæ primariæ. 121. App.
incolæ antiqui, Ethnici. 118. App.
ad fidem Chriſtianam à quo converſi. 118. App.
moderni, magiæ multum dediti. 119. App.
Memorabilia. 116. ſeqq. App.
Morbi Endemici. 137. App.
Oppida celebriora. 118. App.
Piſces. 128. App.
Situs. 119. App.
Volatilia. 127. App.
*Curlandica* balnea. 123. App. 136. App.
Cerevіſia. 133. App.

*Curlandica* frumenti præparatio. 131. App.
Itinera hyemali tempore. 122. App.
ſ. Lettica Lingua. 120. App.
pecudum ſtabula eorumque ſtructura. 127. App.
*Curlandici* aëris conſtitutio. 122. App.
fornaces. 123. App.
Rhedæ. 136. App.
*Curlandici* agri, eorumque fertilitas. 129. 130. App.
cibi. 134. App.
panes. 133. 135. App.
*Curlandicorum* Nobilium civilitas. 121. App.
Ruſticorum victus. 132. App.
*Curlandicum* ferrum. 132. App.
Sooſt. 134. App.
Succinum. 132. App.
Sauerzang. 135. App.
*Curlandicus* potus. 133. App.
ſalutationis modus. ibid.

## D.

D*Amaſcena* pruna ſubventanea. 215
*Deglutitæ* rei per umbilicum excretio. 361
*Deglutitio* Aurei annuli ab infante unius anni, ſeptem hebdomadum ſpatio in viſceribus deliteſcentis. 22
Operculi capſulæ ferreæ, ejusq; ſanguinolenta excretio. 191
*Dei* judicia abyſſus multa. 118
*Demortuorum* anatome ejusq; uſus inſignis. 306
*Dentis* ocularis infauſta extractio. 113
*Dentium* dolor maritorum, loco conjugum utero gerentium. 410
*Diabete* laborans puer. 162
*Diabetes* mirabilis. 243
*Diæta* prægnantium, fœtuum hodogeta. 155
*Diaphragmati* adhærens crepido cum globi majoris parte. 255
*Diarrhœâ*, apoſtema hepatis ſanatum. 211
ovis induratis ſuppreſſa, febris continuæ, vomitus atrabilarii, alvi fluxus & Phthiſeos tandem cauſa. 125
poſt ejus nuperam ſuppreſſionem purgantium uſus maximè eſt ſuſpectus. 126
*Dracunculorum* ſymptomata. 315. 316
*Dyſenteria* in ea acida blanda nonnunquam conveniunt. 373
adſtricta nimis citò, Cœcitatis cauſa. 159
contumax uvis recentibus & muſto curata. 370
cum febre petechiali lethali. 35
ſolo plantaginis ſucco curata. 227
& de plebeis ad eam remediis. 98
ſcabie ſoluta. 222
*Dyſenteriæ* periculoſiſſimæ ſuppoſitorium anodynum, remedium optimum. 94
*Dyſenteriam* arcens Aqua Tettuciana. 221
Radicis Hipepocaonnæ virtus. 209

## E.

*Ecchymoſes* notabiles. 107
*Edules* nidi Halcyonium Sinenſe. 201. App.
*Elephas* & in ejus ventriculo germinans Canna ſaccharina. 206. App.
*Empyema* ex Pleuritide Paracenteſi curatum. 344
*Empyematum* evacuationes per alvum quomodo fiant. 346
evacuationes inconſuetæ & ſalutares. ibid.
*Endemici* Curlandiæ morbi. 137. App.
*Ephemeris* tophi, ex oſſe carioſo propullulati ſectio feliciter peracta. 274
*Epidemica* Anni M DC XCI. pag. 76. ſeqq. App.
*Epilepſia* Annulo appenſo curata. 80
cum Apoplexia. 36
conceptionis infallibile ſignum in muliere. 160
ejusque examen rationale. 53. ſeqq.
latens. 179
Matrimonio curata. 220
ſingularis. 48
*Epilepſiæ* ſpecies variæ. 52. ſeqq.
*Epilepticæ* convulſiones per uſum acidularum & excretionem animalculi curatæ. 273
*Epileptici* motus unde? 53. 54
*Equi* marini excrementum an Pilæ ſint marinæ? 205
*Eryſipelas* capitis curatum. 388
*Eſulæ* radices in majori doſi exhibitæ mortis cauſa. 33
*Eſus* abſurdarum rerum. 56. App.
*Euphraſiæ* uſus in oculi caligine. 224
*Exanthematibus* aquoſis utplurimum inſunt vermiculi. 35. App.
*Excrementa* per Vulvam excreta. 132. 249
*Excrementum* Hippopotami an pilæ ſint marinæ? 201. App.
*Experimenta* non ſemper ac ubique ſuccedunt. 379

## F.

*Febres* qua ratione oriantur ab inflammatione partium. 308
ex potus frigidi ingurgitatione, corpore æſtuante, facilè oriuntur. 308
*Febris* intermittens tertiana, inque ea nec pulſus nec urinæ mutatio. 5
petechialis lethalis cum dyſenteria. 35
an in ea pulſus & urina certiſſima ſint ſigna. 5. 7
tertiana ſpaſmodica. 382
*Febrifugum* ex pellicula ovi. 364
*Febrium* curationes ſuperſtitioſæ & ridiculæ. 32. ſeqq.
*Fellis* bovini lapis, ejusque in Ictero uſus. 51. App.
in hepate filiolæ unius anni ubera matris adhuc ſugentis defectus. 97
*Fellis* humani calculus ſingularis figuræ. 74. App.

*Fellis* veſicula bubula monſtroſa. 314
*Ferrum* Curlandicum. 132. App.
*Fiſtula* curata. 166
*Fixatio* Salium Volatilium Urinoſorum. 416
*Flamma* ex Ventriculo. 53. App.
*Flatulentis* in morbis ſi calor nonnunquam adſit, unde? 405
*Flatulentus* inteſtinorum tumor. 390.
*Flatus* quid. 399
ex Utero prorumpentes cum crepitu. 107
*Flatuum* cauſa efficiens. 404
luſus mirifici. 401
materia. 402
ſedes ſeu officina primaria. 400
*Flores* ſulphuris ſimplices ſupervacanei. 105
*Flos* folii Lactucæ monſtroſus. 411
*Fluxus* Hepaticus dyſenteriæ ſuperveniens. 352
*Fœcunditas* in ſenio. 350
*Fœtus* in eo ceſſante functione oblitterantur partes. 261
nutritio per os, dubiis nondum caret. 17
in tumore ſtrumoſo fœminæ in ſiniſtra colli parte repertus. 103
*Fœtuum* in utero corruptorum exempla. 45
*Folia* Alni ſerpentum charactere tincta. 243
*Fonticulus* ſuturam inter coronalem & ſagittalem applicatus, in Cephalæa inveterata fruſtraneus. 83
*Formatio* pulli gallinacei & circa eam notabilia quædam. 13
*Fractura* cranii rara & lethalis à lapſu levi. 60
& fiſſura capitis à vulnere lethalis 62
*Frigida* m[illegible]s in fundo temperies, experimento comprobata. 286
*Frigus* & dolor Vena ſecta ſublatus. 59
*Fructuum* immaturorum eſus noxius. 309
*Fructus* Oleaginoſi non corrumpuntur ſenio, ſed vermiculorum corruptione. 41. App.
quomodo à corruptione aſſervandi. 41. App.
*Frumenti* præparatio Curlandica. 131
*Fulguritorum* cadavera non reſiſtunt putredini. 362
*Fulminans* aurum ſine igne accenſum. 133
*Fumus* ligni viridis cœcitatis cauſa. 38
oculis quâ ratione noceat? 39
*Funduli* umbilico impoſiti depaſcuntur & curant. 191
*Funguli* minimi ſeminiferi è ligno putrido nati. 411. ſeqq.

## G.

G*Aleniſtarum* placita refutata. 15. ſeqq App.
*Galli* morſus venenatus. 155
*Gallinagines* candidæ. 128. App.

*Galli-*

*Gallinaginum* captura apud Curlandos. 128

*Generatio* Teredinum ex ovo. 35.360

*Germinans* in Elephantis Ventriculo Canna ſaccharina. 206. App.

in Puellæ ventriculo piſum. 209. App.

*Gipſum* cognatum Calci minerale per vomitum rejectum. 92

*Glandula* pinealis quid? 258

*Glandulæ* in cerebro prognatæ Cephalalgiæ Scorbuticæ & Capitis hydropis cauſa. 202

*Glanduloſum* omentum tumoris ventris quaſi gravidi, cauſa. 68

*Globi* piloſi animalium, eorumque generationis cauſa & ratio. 205. App.

pars major & Crepido, diaphragmati adhærens. 255

*Gotthardi* montis ejusque incolarum deſcriptio. 321. ſeqq.

*Grando* palpebræ oculi, feliciter discuſſus. 384

*Gravida* certis menſibus epilepſiâ laborans. 160

*Gutturi* ſpinæ infixæ remedium certum. 149

## H.

H*Æmorrhagia* narium aquâ ſimplici curata. 226

magna curata. 233

ſuppreſſa mortis cauſa. 219

*Hæmorrhagia* Uteri in recens natis. 156

*Hæmorrhagiæ* cura per ſanguinem humanum. 131

*Hæmorrhagiam* narium ſiſtens pulvis. 48. App.

*Halcyonia* varia. 200. App.

*Halcyoniis* malè annumeratur pila marina. ibid.

*Halcyonium* ruffum & lapidoſum. 202. App.

Saccharinum. 203. App.

Sinenſium nidi edules. 201. App.

Vermiculoſum Adriaticum. 201. App.

*Halecum* ſingularis præparatio apud Curlandos. 135. App.

*Halitus* hominis & ex eo vitæ revocatio. 88

*Hambu*, Japonenſium arbor. 78

*Hederæ* terreſtris uſus in dyſenteria. 99

*Hemicrania* per Errhina curata. 52. App.

*Hemitritæus* per aliquot annos morbus Caſtrenſis. 304

ejus ſymptomata. 305. & 306

*Hepar* inſolitæ magnitudinis. 338

ſine felle in puella unius anni. 97

*Hepaticus* fluxus dyſenteriæ ſuperveniens. 352

*Hepatis* apoſtema diarrhœa ſanatum. 211

*Hernia* Mania curata. 369

*Herniarum* diſtinctio ex loci & materiæ contentæ ratione fieri debet. 245

*Hipepocannæ* Radicis virtus antidyſenterica. 209

*Hippopotami* excrementum an pila ſit marina? 205. App.
*Hirudinum* applicatio ſalutaris in fluxu menſium imminuto. 163
*Hydatides* quamplurimæ in corde. 314
*Hydrocephalus* internus lethalis. 51. App.
pro monſtro habitus. 85
*Hydromel* communis Curlandorum potus. 134. App.
*Hydropem* mentiens abdominis ſaccus. 95
an tollat urina pueri vel etiam propria, propinata? 232
*Hydropici* curati. 74. ſeqq.
*Hydrops* capitis & Cephalalgia Scorbutica à glandulis in Cerebro prognatis. 202
ejus curatio non eſt impoſſibilis. 74
feliciùs curatur in virginibus, quàm viris. 26
lethalis. 51. App.
ex nimio vini potu, vacuata prius à natura tota ſeroſa colluvie. 216
Ovarii muliebris. 66
Pectoris & in illo tuſſis ſiccioris cauſa. 317
ſaccatus. 95
& tympanites quomodo differant. 397

J.

*Japanenſium* Arbores. Vide Arbores.
Plantæ. Vide Plantæ.
*Icterus* & in eo lapidis è felle bovis inſignis uſus. 51. App.
*Jejuni* inteſtini laceratio abdomine integro lethalis. 290
*Ilei* inteſtini ruptura integro abdomine. 297
*Imaginationis* vis ex intuitu inciſionis tumoris. 200
*Imperforatos* minimè eſſe vivaces, probatur contrarium. 133
*Incontinentia* urinæ à nimia pinguedine. 332
*Infantis* recens nati ſudor ſanguineus. 121
*Inflammatio* partium quomodo febrium eſſe poſſit cauſa. 308
à lumbricis. 309
*Inflatio* inteſtinorum. 390
*Inguinis* ulcus fæcibus alvi tranſitum concedens, ſanatum. 218
*Inſomnium* mortem accelerans. 240
*Inteſtina* an perrodere poſſint lumbrici. 310
*Inteſtini* jejuni laceratio, integro abdomine lethalis. 290
Ilei ruptura integro abdomine. 297. 331
*Inteſtinorum* à flatibus mira diſtenſio. 401
inflatio. 390
*Inunctio* Mercurialis an periculoſa? 54. App.
in ſcabie lethalis. 59
*Ira*, ejusque noxa. 406 ſeqq.
*Iſchuria* cum tumore corporis verminoſo. 368
*Jabe* Japanenſium arbor. 78

*Judicia* Dei abyſſus multa. 118
*Juniperi* baccæ præſervant à calculo. 230
*Juſcula* brancæ urſinæ, Bartſch dicta. 135

## K.

*Kuſnoky* Camphorifera Japanenſium arbor.

## L.

*Lac* in infante. 231
*Lactis* ſerum, ejuſque mirus effectus. 364
*Lactuca* flos monſtroſus. 411
*Lapidefacta* Vide Petrificata.
*Lapideſcens* uterus ovis. 235
*Lapides* in agris, zizaniæ, graminisq; luxuriem impediunt. 130. App.
*Lapideum* Halcyonium ruffum. 202. App.
*Lapidum* & teſtarum marinarum figura rotunda unde? 203. App.
*Lapis* colore & figura cor repræſentans. 73. App.
è felle bovis, ejusq; in Ictero uſus. 51. App.
hominis, ſingularis figuræ. 74. App.
tartareus nucis moſchatæ magnitudine, nucleum ceraſorum olim deglutitum continens, tuſſi rejectus. 124
*Lapſus* levis fracturæ cranii rara & lethalis cauſa. 60
*Lepores* cur in Lithuania candidi. 125. App.
*Lepuſculus* in ſalvo materno petrefactus. 234
*Lerna* malorum. 143
*Lethargi* cauſa, lympha in ventriculo cerebri ſtagnans. 258
*Letti* Vide Curlandia.
*Lien* in gibba hepatis parte oſſeus. 342
Oſſeus. 343
*Lien* inſolitæ magnitudinis in unius anni filiola. 97. 252. & 254
parvus. 395
ratio & cauſa. 408
*Lienes* magnos milites contraxerunt ab aqua inſalubri. 306
*Ligni* viridis fumus cœcitatis cauſa. 38
*Ligna* putrida & ex eis enati funguli feminiferi. 411. ſeqq.
*Lignis* duris inhabitans caries, ejusq; deſcriptio. 39. App.
*Lignum* vetuſtum febricitanti cum profligatione paroxyſmi exhibitum. 32
*Limaci*-formis maſſa vomitu rejecta. 71
*Lingua*, & ſub ea calculus exciſus. 210
*Longævitas* carpionum. 28
piſcium unde? ibid.
*Loquentis* capitis humani avtomaton. 69
*Lumbrici* inflammationis lethalis cauſa. 309
inteſtina an perrodere valeant? 319

*Lumbrici*

*Lumbrici* Morborum & ſymptomatū graviſſimorum cauſa. 93. 187. ſeqq.
*Lumbricorum* ortus ex ſemine. 311. ſeqq.
*Lumbricus* in ſe ipſum convolutus. 190
*Lutræ* maſculi anatome. 204
*Lympham* coagulatam circa articulorum juncturas diſcutiendi & attenuandi cochlearum inſignis uſus. 201

## M.

*Mamma* unica duabus inſtructa papillis. 228
*Mammarum* cancer exulceratus rarò perfectè curabilis. 133
*Mania* ex amore nimio. 219
eſu belladonæ pro Myrtillis. 213
herniâ curata. 369
*Marina* pilæ anatome Botanologica. 197. App.
*Maris* temperies frigida in fundo experimento comprobata. 286
*Martiale* Bezoardicum Reguli parergon. 104
*Maſſa* limaci-formis vomitu rejecta. 71
*Medicina* Univerſalis Menſtruo catholico quærenda. 70. App.
*Melancholiæ* triſtiſſimum fatum. 30
*Melancholicis* feliciter propinata quædam Medicamenta. 31
*Membra* ceſſante functione in fœtu obliterantur. 261
*Membranis* triplicibus peritonæum conſtat. 251
*Menſium* defectum, menſtruum alvi profluvium ſupplet. 374
fluxus imminutus hirudinum applicatione feliciter provocatus. 163
infallibile conceptionis in muliere quadam ſignum. 161
per os. 58. App.
*Menſtrui* ſanguinis uſus in hæmorrhagiis ſalutaris. 131
*Mercurialis* inunctio an periculoſa. 54. App.
in ſcabie lethalis. 59
*Mercurialis* herba ejusque ova ſubventanea. 90
*Mercurius* dulcis mortis cauſa. 34
*Microſcopicarum* Obſervationū meſſis. 64. ſeqq.
*Mictio* ſub precationem ad menſam ordinaria, in puella 60. App.
*Mictionis* difficilis facile remedium. 377
*Millefolii* uſus in dyſenteria. 99
*Minera* Uratislavienſis nova. 72. 73 App.
*Mola* & abortus. 246
ſanguinis polypoſæ ſalva prægnatione excerni poſſunt. 248
Veſiculares quid? 247
*Monſtri* anatome. 358. 419. App.
*Monſtroſa* poma. 59. App.
*Monſtrum* biceps maſculinum. 72
*Morbi* Chronici in uno loco ſunt pertinaciores quā in altero. 175

*Morbi* Endemici Curlandiæ. 137
peculiares haud rarò oriuntur ex peculiari viſcerum conformatione. 253
*Morborum* curandorum proceſſus Sydenhamiani. 141. ſeqq. App.
præſervativum nauſeoſum. 31
*Morſus* galli venenatus. 155
*Mortuorum* feſta celebrant Curlandi. 137. App.
*Motus* Epileptici unde? 53. 54
*Mucus* albus in Pancreate. 254
flatuum quomodo fiat materia. 403
*Muribus* in eſcam cedere homines qui in cumulos frumenti incidunt, non eſt abſurdum. 130. App.
*Mus* albiſſimus. 129
*Muſto* curata dyſenteria contumax. 370
*Mutis* loquelam promittens impoſtor. 49. App.
*Mutus* canens ſive cantillans. 388

## N.

N*Arium* hæmorrhagia magna curata. 233
ſola aqua ſimplici curata. 226
ſuppreſſa mortis cauſa. 219
Naſi totius decidentia ex cruſtæ lactéæ temeraria curatione. 87
*Nephriticæ* anatome. 250
*Nicotianæ* pulvere maximè delectantur Curlandi. 133. App.
*Nidi* edules Halcyonum Sinenſium. 201. App.
*Nive* curata Odontalgia. 166
Podagra. 165
*Nucleus* ceraſi per aſperam arteriam in pulmones delapſus, phthiſeos lethalis cauſa. 123
*Nutritio* fœtus per os nondum caret dubiis. 17

## O.

O*Bſtructio* alvi pertinaciſſima vomitus ſtercorei cauſa. 236
*Ocularis* dentis infauſta extractio. 113
*Oculi* caligo & in eo Euphraſiæ ſalutaris uſus. 224
globus ſub inferiori ſolum palpebra latens, infantis cœci. 71
palpebræ grando, promptè ac feliciter diſcuſſus. 384
Vulnus curatum. 357
*Oculis* qua ratione noceat fumus. 39
*Odontalgiæ* ceſſatio conceptionis infallibile in muliere quadam ſignum. 161
Vide Dentium dolor.
*Odor* Roſarum rubrarum nocivus. 27
Sulphuris doloris capitis cauſa. 231
*Oleaginoſi* fructus non corrumpuntur à ſenio, ſed vermiculis. 41. App.
à corruptione quomodo diu aſſervandi. ibid.

*Omentum* conglobatum ponderis viginti ſex librarum. 68
glanduloſum tumoris ventris quaſi gravidi cauſa. 68
humanum triginta libras civiles ponderans. 342
*Onoldina* Aloe. 56. App.
*Operationes* Chirurgicæ cur in quibusdam regionibus felicius ſuccedant quàm in aliis. 245
*Operculi* capſulæ ferreæ deglutitio & ſanguinolenta excretio. 191
*Ophthalmia* nive curata. 166
*Opii* abuſus. 35. 36
Præparatio juxta Japanenſes. 77. & 78
uſus aphrodiſiacus. 77
ſingularis. 151
*Opio* crebrius aſſumto natura tandem aſſueſcit. 152
*Opium* anodynum potius eſt, quàm narcoticum. 151. 153
ad ʒj. à Japanenſibus devoratur innoxiè. 77
innoxiè ab Europæo devoratum. 154
non ſemper inducere ſomnium licet dolores cum effectu ſopiat, probatur exemplis. 143
*Orthopnœa* in ſene curata. 100
*Os* carioſum, & ex eo tophus feliciter exſectus. 274
*Oſcheo-didymo*-hydro-ſarcocele. 244
*Oſſea* Venæ coronariæ. 342
*Oſſeus* Lien. 344
in gibba hepatis parte. 342
*Ova* Mercurialis herbæ ſubventanea. 90
*Ovaria* Teredinum generatio. 35. 36. App.
*Ovarii* muliebris hydrops. 66
*Ovi* albumen an nutritioni ineptum. 13. ſeqq.
pars potior an ſit vitellus. 13. ſeqq.
pellicula, febrifugum. 364
vitellus in avibus placentæ uterinæ vices gerit. 14
vitellus pullo per vaſa umbilicalia connectitur. 14. ſeqq.
*Ovis* induratis diarrhœa ſuppreſſa, febris continuæ, Vomitus atrabilarii, alvi fluxus, & tandem Phthiſeos cauſa. 125
*Ovis* uterus lapideſcens. 235
*Ovum* incaute fractum ex quo pullus vivus vitellum integrum ab umbilico trahens, elapſus. 14. ſeqq.

## P.

*Palpebræ* oculi grando feliciter diſcuſſus. 384
*Pancreaticus* ſuccus quomodo flatuum fiat materia. 403
*Pancreatis* ductus memorabilis inſertio. 256
*Panes* Curlandici. 133. 135. App.
*Panis* an lumbricorum nutrimentum. 319. ſeqq.
non eſt omnium populorum victus. 321

*Panis* à ſeminio verminoſo immunis. 324
*Papillæ* duæ in unica mamma. 228
*Paracenteſi* curati, pòſt hydrope defuncti anatome. 345
curatum Empyema ex pleuritide. 344
*Paronychia* ex uſu ſeri lactis. 364
*Partus* catellorum glabrorum & piloſorum ſingularis. 355
*Pedis*, ejusq; pollicis proceſſus cornuformis, ad digiti longitudinem enatus. 208
*Penis* imperforatus. 132
*Peritonæum* in tres membranas diviſibile. 251
*Petrificatus* in alvo materno lepuſculus. 234
*Phthiſis* ex ceraſi nucleo per arterias in pulmones delapſo. 123
ex Diarrhœa ovis induratis ſuppreſſa. 125
*Phocæ* ventriculus an in eo reperiantur pilæ marinæ. 205. App.
*Picrocholæ* anatome. 250
*Pilæ* marinæ anatome Botanologica. 197. App.
ſunt fruticis peculiare genus. 209. App.
bene diſtinguuntur in piloſam & fruticoſam. 205. App.
an Equi marini excrementum? 205. App.
earum figura rotunda unde? 208. App.
formationis modus. 209. App.
Materia. 207. App.
*Pilæ* marinæ Paradoxa. 200. App.
Paronyma. ibid.
Partes Heterogeneæ. 210. App.
Homogeneæ. 210. App.
an ex Phocæ ventriculo. 205. App.
Partes piloſæ, earumq; generationis ratio. 205. App.
an in piſcium ventriculis generentur? 206. App.
Synonyma. 199. App.
Textura. 210. App.
Vilipendium. 199. App.
Uſus Medicus. 213. App.
*Pilorum* Color an ex eo ſanguinis temperies cognoſci poſſit? 126. App.
*Piloſa* Sphæra thalaſſia. 204
*Pinealis* glandula quid? 258
*Pinguedo* nimia difficilis reſpirationis & urinæ incontinentiæ cauſa. 342
*Piſces* Curlandici. 128
an Sale careant volatili? 29
*Piſcium* longævitas unde? 28
ventriculi an in iis generentur pilæ marinæ? 206. App.
*Piſa* fermentata Curlandica. 135. App.
*Piſum* in ventriculo humano germinans. 207. App.
*Placentæ* uterinæ vices in volatilibus ſupplet vitellus. 14
*Planta* Japonenſium Ran. 79
Schoba. 79
*Plantaginis* ſucco ſolo dyſenteria curata. 227
uſus in fiſtulis ani. 144

*Plica*

*Plica* amiſſa, ſteatomatis cauſa. 40
*Pleuritis* Spiritus vini potu curata. 223
*Pluvia* ſiliginis. 109
*Pnevmatica* Antlia, Vide Antlia Pnevmatica.
*Polypus* Cordis. 340
differt & quoad ſubſtantiam & effectum. 341
Cardialgiæ veræ cauſa. 254
reſpirationis difficilis cauſa. 336
*Potus* Curlandicus ſingularis. 133. App.
frigidus æſtuante corpore ingurgitatus, facilè excitat inflammationem & febrim. 308
*Prægnans*, inque ea terroris effectus. 154
*Prægnantium* diæta fœtuum hodogeta. 155
*Præſervativum* à morbis nauſeoſum. 31
*Procidentia* uteri notha. 356
*Proceſſus* cornu-formis digiti longitudine è pollice pedis enaſcens. 208
*Pruna* Damaſcena ſubventanea. 215
purgantia ob Mercurium vivum arboribus inditum. 38
*Puellus* ſine cerebro natus. 386
*Puer* diabete laborans. 162
*Pulli* gallinacei formatio, & circa eam notabilia quædam. 13
*Pullus* vivus ex ovo fracto, vitellum adhuc integrum ab umbilico trahens. 14
*Pulmonum* magnitudinem veſica non æmulatur. 343
*Pulmonum* ſtructura. 346. 347
ulcus magnum, arteriæ venoſæ particula rejecta, curatum. 183
Vide Empyema.
*Pulmo* ſcirrhoſus in puero fera tuſſi defuncto. 248
*Pulſui* ſoli nunquam in totum fidendum. 117
*Pulſus* exploratio extra carpum. 131
an ex eo febrium certa peti poſſint ſigna. 5. 7
inconſtantia mira. 115
cum urina in febre tertiana intermittente, non mutatus. 5
*Purgans* & ab eo abdominis abſceſſus internus disruptus. 128
aſſumtum Venerem ſtimulans. 229
*Purgantia* pruna ob Mercurium vivum arboribus inditum. 38
*Purgantium* uſus in alvi fluxu infantum periculoſus. 127
poſt diarrhœam nuper ſuppreſſam, periculoſus. 126
*Purgatione* ſublatum ulcus annoſum. 182
*Putredini* non reſiſtunt fulguritorum corpora. 362


## Q.


Q*Uartana* Venere curata. 221
*Quartana* remedium facile. 157


## R.


R*Adicis* Hipepocoannæ virtus antidyſenterica. 209


*Ran*

*Ran* Japanenſium Planta. 79
*Renum* ſitus præternaturalis in calculoſo. 58
*Rhedæ* Curlandicæ. 136. App.
*Reſpiratio* difficilis & incontinentia urinæ à nimia pinguedine. 342
*Reſpirationis* difficilis cauſa, Polypus cordis. 336
ratio. 339
*Robur* corporis inſigne. 58. App.
*Roſarum* rubrarum odor nocivus. 27
*Rotunditas* lapidum & teſtarum marinarum unde? 203. App.
pilarum marinarum unde? 208. App.
*Ruzma* Turcarum. 213. App.

S.

*SAccharina* Canna in ventriculo Elephantis germinans. 206. App.
*Saccharinum* halcyonium. 203. App.
*Saccus* abdominis feculentus. 95
hydropem mentiens. ibid.
*Sale* volatili an piſces careant? 29
*Salis* Alcaliſati citra acidi aſſociati beneficium, producta cryſtalliſatio. 359
Ammoniaci abuſus infauſtus. 214
Marini Cryſtalli ſingulares. 20
*Salium* volatilium urinoſorum fixatio. 416
*Salivatio* feliciter in ægro à Scorbuto planè emaciato, provocata 54. App.
*Sanguine* humano hæmorrhagia curata. 131
*Sanguineus* ſudor in juvene. 354
in recens nato. 121
*Sanum* eſſe & vitioſis ſcatere ſuccis non ſunt contraria. 120
*Scabie* ſoluta dyſenteria. 222
*Scabiei* cauſæ variæ juxta Authores varios. 36. App.
puſtulæ nondum ſanioſæ vermiculos continent. 34. & 35. App.
*Scabies* cur contagio tam facile propagetur? 37. App.
cur curata nonnunquam refloreſcat? 38. App.
lixivialibus curetur lotionibus. 38. App.
retropulſa apoplexiæ cauſa. 53. App.
*Scarabæi* cornuti, ex iis generatur caries lignis durioribus inhabitans. 39. App.
*Scarabæi* majales à morbis nauſeoſum præſervativum. 31
Pilularii & ſtercorarii transformatio ex carie. 40. App.
ex vermiculis avellanarum & amygdalarum. 40. App.
*Schoboe* Japanenſium planta. 79
*Scirrhoſi* pulmones in puero fera tuſſi defuncto. 248
*Scorbuti* facies varia. 175
*Seri* lactis mirus effectus. 364
*Serpentum* charactere tincta Alni folia. 243
*Serum* in cerebri ventriculis ſtagnans, apoplexiæ & lethargi cauſa. 258

*Siliginis* pluvia. 109
*Singultus* ex nimia Venere. 160
*Solani* Melano-ceraſi eſus, maniæ cauſa. 213
vis ſoporifera & deleteria. 197
*Somnolentum* coma ex nimio pulveris tabaci uſu. 222
*Somnum* non ſemper inducere opium, licet dolores cum effectu ſopiat, probatur exemplis. 143
Sooſt Curlandicum. 134. App.
*Spaſmodica* Colica ejusq; inutilis per Mercurium, ſalutaris verò balneum aquæ dulcis curatio. 365
febris tertiana. 382
*Sphacelatio* à frigore manuum pedumque in Curlandia nemini eſt miraculo. 122. App.
*Sphæra* Thalaſſia piloſa. 204. App.
*Spinæ* gutturi infixæ remedium certum. 149
*Spiritus* vini curat vulnera. 225
ejus potu fugata pleuritis. 223
*Spongiis* malè annumeratur pila marina. 200
*Stannea* vaſa in Curlandia à frigore rimas agunt. 122
*Steatoma* Plicæ amiſſæ cauſa. 40. App.
*Stercorarius* vomitus ex pertinaciſſima alvi obſtructione. 236
*Sterilitatis* in fœminis cura. 350
*Sternutationis* cauſa Vinum Hiſpanicum. 370
*Stranguriæ* facile remedium. 377
*Strumarum* curatio transplantatoria. 99
*Strumoſus* colli tumor fœminæ, & in eo fœtus repertus. 103
*Succinum* Curlandicum. 132. App.
*Sudor* corporis totius, qui aliàs in uno tantùm latere profluebat, conceptionis ſignum in muliere quadam. 161
ſanguineus in Juvene. 354
in recens nato. 121
viſcidus & ſalutaris. 106
unius tantum lateris. 376
urinoſus. 129. 130
*Sulphur* qua ratione facilè & quidem ſubtiliſſimè poſſit pulveriſari. 105
*Sulphuris* odor doloris capitis cauſa. 231
flores ſimplices ſupervacanei. 105
*Suppoſitorium* anodynum dyſenteriæ remedium optimum. 94
*Surdi* qua ratione loquentes è labiorum motu intelligant. 50. App.
*Suturarum* cranii uſus. 389

## T.

*Tabaci* exceſſivam fumigationem exſiccare cerebrum, falſum. 257
pulveris nimius uſus comatis ſomnolenti cauſa. 222
*Temperies* maris frigidi in fundo, experimento comprobata. 286

*Teneſmus* Abortus cauſa. 230
*Teredo* corporis humani & varia circa eam obſervata. 33 ſeqq. App.
*Teredinum* generatio ex ovo. 35. & 36. ſeqq. App.
*Terræ* bituminoſæ quam Torf vocant, uſus ad ædium tecta apud Curlandos. 123. App.
*Terroris* effectus in prægnante. 154. 358. ſeqq.
*Tertiana* febris ſpaſmodica. 382
*Tertianæ* ridiculæ curationes. 32
*Teſtarum* marinarum & lapidum figura rotunda unde? 203. App.
*Teſticulorum* inflammatio cum totali urinæ obſtructione feliciter curata. 11
*Teſticulus* à contuſione cartilagineus. 243
*Tettucianæ* aquæ uſus in dyſenteria. 221
*Thermometrum* correſpondens. 70
*Tophi* ex oſſe carioſo enati, ſectio feliciter peracta. 274
*Tophus* tartareus coralliformis in renibus calculoſi repertus. 58
Torff/ terræ bituminoſæ uſus apud Curlandos. 123
*Transplantatoria* ſtrumarum cura. 99
*Tremoris* remedium. 232
*Trepanationis* poſt omnem graviorem caſum nullo fracturæ aut fiſſuræ indicio, neceſſitas. 257
*Tubularia* coralloides. 202
*Tumor* abdominis lethalis & inæqualis. 96
brachii ſiniſtri ab infelici ſectione ortus, lethalem hæmorrhagiam & gangrænam mentiens, curatus. 270
Colli ſtrumoſus, inque eo fœtus repertus. 105
ventris quaſi gravidi, ab omento glanduloſo. 68
Verminoſus corporis cum Iſchuria. 368
*Turcarum* Ruzma. 213. App.
*Tuſſes* ſiccæ in hydrope pectoris unde. 327
*Tuſſi* fera laborantis pueri anatome. 248
*Tuſſis* ferinæ cauſa. 249
*Tympanites* ab hydrope quomodo differat. 397
lethalis cum ictero flavo, mox nigro, aſthmate, urinæ retentione & levi delirio, abſque ſiti. 24

## V.

V*Agitus* uterinus. 225
in mure minore. 216
*Variolæ* in Vetula. 165
*Venæ* coronariæ cartilagineæ. 343
Oſſeæ. 342

*Venæ*

*Venæſectio* infelix, periculoſi tumoris in brachio, cauſa. 270
prima an hominem ex mortis faucibus eripiat. 119
*Venæſectione* frigus & dolor ſublatus. 59
*Venenatus* galli morſus. 155
*Venenoſa* Japonenſium planta. 79
*Venere* curata quartana. 221
*Veneri* non admodum ſunt dediti Curlandi. 136. App.
*Veneris* ſtimulatio ex aſſumto pharmaco purgante. 229
*Ventriculus* & ex eo flamma. 53. App.
*Venus* nimia vomitum & ſingultum excitans. 160
*Vermes* fugat China China. 229
alii obſervantur in caſeo recenti, alii in arefacto. 42
*Vermiculi* aquoſis exanthematibus utplurimum inſunt. 35. App.
cum Urina excreti. 106
*Vermiculos* puſtulæ in ſcabie nondum ſanioſæ continent. 34. 35. App.
*Vermiculoſum* Halcyonium Adriaticum. 201
*Verminoſum* ſeminium, ab eo non immunis eſt panis. 324
*Verminoſus* in corpore tumor cum Iſchuria. 368
*Vermis* aculeatus à puero rejectus. 188
latus per intervalla rejectus. 214
octo ulnarum longitudine in Ileo, hydrope ovarii defunctæ mulieris repertus. 67
Vide Lumbrici.
*Veſica* pulmonum magnitudinem non æmulatur. 343
*Veſicæ* nimia craſſities & rugoſitas cum cruſta carnoſa in calculoſo. 59
*Veſicula* fellea bubula monſtroſa. 314
*Veſiculares* molæ. 247
*Vetula* variolis laborans. 165
*Victus* ruſticorum Curlandicorum. 132. App.
Vielfraß capitur in Lithuania. 126 App.
*Vini* Spiritus curat vulnera. 225
Vide Spiritus Vini.
*Vinum* Hiſpanicum ſternutationis cauſa. 370
*Viſcerum* ceſſans functio in fœtu obliteratur. 261
conformatio peculiaris, peculiaribus obnoxia eſt morbis. 253
*Vitæ*, ex halitu hominis revocatio. 88
*Vitellus* integer, ab umbilico tractus à pullo vivo, effracto ovo, elabente. 14. ſeqq.
an pars ſit ovi potior? 13. ſeqq.
ovi pullo per vaſa umbilicalia connectitur. 14. ſeqq.
in volatilibus placentæ uterinæ vices gerit. 14
*Vivaces* admodum ſunt Curlandi. 138. ſeqq.

*Ulcus* annoſum purgatione ſublatum. 182
inguinis fæcibus alvinis tranſitum concedens, ſanatum. 218
poſt pleuritidem ſpuriam per urinam criticè evacuatum. 192
viæ per quas renibus fuit communicatum. 195
*Umbilico* impoſiti funduli depaſcuntur & curant. 191
*Umbilicus* & per eum rei deglutitæ excretio. 361
*Univerſalis* Medicina Menſtruo catholico quærenda. 61. App.
*Vomitiones* pernicioſæ. 33
*Vomitu* rejecta limaci-formis maſſa. 71
rejectum gypſum, cognatum calci minerale. 92
*Vomitus* ingeſtorum nigerrimus, immutato eorum odore & ſapore. 56. App.
ad ſex menſes continuatus. 33
maritorum loco conjugum utero gerentium. 410
à mentione ſaltem facta caſei. 60. App.
ſanguinis menſtruus. 58. App.
ſtercoreus ex nimia alvi obſtructione. 236
ex Venere nimia. 160
*Uratislavienſis* minera nova. 72. 73. App.
*Urina* craſſa & ductilis. 207
*Urina* non niſi emulgendo reddita. 207
ratio & cauſa. ibid.
in febre intermittente tertiana non mutata. 5
an ex ea in febribus certa peti poſſint ſigna. 5. 7
frigida emiſſa. 378
& cum ea poſt pleuritidem criticè evacuatum ulcus. 192
per poros ab axillis ad inguina exſudans. 130
per viam inconſuetam in adulto reddita. 129
Verminoſa. 106
*Urinæ* incontinentia à nimia pinguedine. 342
ſuppreſſæ variæ cauſæ. 130
ſuppreſſio totalis cum inflammatione teſticulorum feliciter curata. 11
Uſus in hydrope & tremore. 232
*Urinoſus* ſudor. 129. 130
*Urſorum* captura in Curlandia. 125. App.
*Uteri* hæmorrhagia in recens natis. 156
procidentia notha. 356
*Uterinus* vagitus. 225
in mure minore. 216
*Uterus* & ex eo prorumpentes cum crepitu flatus. 107
Ovis lapideſcens. 235
*Uvis* curata dyſenteria contumax. 370

*Vulnera*

*Vulnera* curat Spiritus Vini. 225

*Vulnere* capitis, Cephalalgia curata. 159

*Vulnus* abdominis penetrans ſine læſione ventriculi & inteſtinorum. 334

*Vulnus* Capitis cum fractura & fiſſura lethali. 62

Oculi curatum. 357

Pulmonum magnum, arteriæ venoſæ particula rejecta curatum. 183

*Vulva* & per eam excreti alvi fæces. 249

# F I N I S.

## In Eph. Nat. Cur. Dec. II. Ann. X.

## Corrigenda:

PAg. 16. lin. 1. leg. illarum. lin. 17. arteriæ. 25. ſanguini. 28. materno (per. pag. 17. lin. 3. leg. huc. pag. 19. lin. 20. cartilagine. pag. 36. lin. 1. hærentis. pag. 42. lin. 10. ad hoc. lin. 20. *del. alterum punctum.* pag. 55. lin. 17. everſiones. pag. 56. l. 27. *del.* comma. pag. 57. lin. 8. dextro pag. 63. lin. 23. intermittente. pag. 66. lin. 8. ſaccatam. pag. 73. lin. 8. partu. pag. 77. lin. 24. delectabantur. pag. 82. lin. 7. ſcandala. pag. 85. lin. 7. ab apoplexia. pag. 87. lin. 7. Theophil. pag. 89. lin. 13. *del.* tis. pag. 92. lin. 13. *del. primum Semicolon.* pag. 95. lin. 8. ut per externa. pag. 137. lin. 30. colluctantem. pag. 144. lin. 11. area *& folia.* pag. 148. lin. 28. ullum. pag. 150. lin. 18. oculatioribus. pag. 158. lin. 22. nucleum. lin. 31. experientia. pag. 164. lin. 21. Dominicum de Marchettis. pag. 165. lin. 16. Peditum. lin. 23. perfudit. pag. 167. lin. 10. applicuit. pag. 168. lin. 7. expolitione. pag. 184. lin. 1. *poſt* fornace *add. comma.* pag. 196. lin. 1. ſociam. lin. 10. ad pleuram. pag. 198. lin. 27. ἀφάνας. pag. 203. lin. 28. *del.* comma. pag. 212. lin. 22. malv. M. j. pag. 216. lin. 12. ea. pag. 220. *antepen.* nullos. pag. 224. lin. 22. *compilat.* pag. 225. *antepen.* Vatterus. pag. 228. lin. 16. illæſæ. pag. 229. lin. 7. Rammazzinus. pag. 239. lin. 21. *del.* punctum. pag. 241. lin. 12. omnia). pag. 251. lin. 26. Admiratus. pag. 260. lin. 3. gyris. pag. 261. lin. 8. promittebatque. pag. 267. lin. 13. aurantior. pag. 269. lin. 13. alces. lin. 20. multum. p. 277. lin. 8. deligatus. pag. 279. lin. 11. dilatabatur. p. 283. lin. 30. foraminibus. pag. 284. lin. 4. oſtendebantur. pag. 291. lin. 1. ferræ. pag. 293. lin. *antepen.* portio. pag. 304. lin. 2. paucus. lin. 6. aperuimus, tum ne. pag. 307. lin. 5. partem,. pag. 38. lin. 27. vendibile. pag. 309. *penult.* perforent. pag. 310. lin. 12. multa de hac. pag. 316. lin. 31. pro puncto ponatur comma. pag. 317. lin. 22. ſemel. lin. 28. fructibus. pag. 319. 14. lautiſſimas. pag. 320. lin. *antepen.* faciunt. pag. 378. lin. 18. frigore. pag. 393. lin. 4. quidem.

## In Appendice.

PAg. 3. lin. 3. amicitiæ. pag. 4. lin. 28. obliviſcuntur, ut. pag. 7. lin. 23. inflati retinent. pag. 8. lin. *penult.* admittunt. pag. 9. lin. 1. *del.* comma. lin. 17. *del.* (. pag. 10. lin. 25. nonnulli. pag. 28. *penult.* poſſit. pag. 34. lin. 30. ſcabioſum. pag. 36. lin. 31. Di gran maninconia. lin. 32. rogna. pag. 38. lin. 3. mirum. lin. 12. hydrargyriis. lin. 18. dura. pag. 39. lin. 15. Hujus pag. 44. lin. 1. *del.* primum comma. pag. 50. lin. 23. morbi. pag. 53. lin. 27. Latinam. pag. 58. lin. 18. tum. p. 59. lin. 27. Illuſtris. pag. 65. lin. 13. valent. pag. 74. lin. 15. certior. pag. 93. lin. 24. quod. pag. 97. lin. 19. detraheretur. pag. 101. lin. 8. *poſt* cachochymia. *punctum.* lin. 14. facilè. pag. 106. lin. 20. exemplum. pag. 119. lin. 23. ferulis. pag. 128. lin. 1. viliſſimi. lin. *penult.* familiaris. pag. 130. lin. 26. quas. pag. 135. lin. 15. aviditate. pag. 150. lin. 27. *del.* primum punctum.

BRITISH MUSEUM NATURAL HISTORY